Property of

CBF

Please return to

Graduate Theological

Union Library

Jos P Kaiser.

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM

ALIA EJUSDEM AUCTORIS OPERA

SUMMARIUM INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM, ad instar programmatis in alumnis edocendis et examinandis adhibendum; *franco*..... 0 75

L'expérience paraît avoir démontré l'utilité de ce sommaire. On reconnaît qu'il facilite singulièrement la tâche toujours délicate des examinateurs; qu'il permet aux élèves de saisir d'un coup-d'œil l'ensemble d'un traité, et même de la Théologie tout entière; de se rappeler le détail et la solution des questions, et qu'il dispense d'écrire vingt programmes.

TRACTATUS DE VIRTUTE CASTITATIS, ad usum seminariorum, juxta novissima S. Sedis decreta et recentiora scientiæ inventa; 230 pages; *franco*..... 2 »

Ce Traité a pour objet les questions les plus délicates, souvent les plus difficiles, toujours les plus pratiques et les plus graves de la Théologie et des sciences naturelles. De ces principes et de l'application de ces conclusions dépendent l'existence, la conservation, la force, la dignité, la vertu et le salut éternel des individus, l'honneur, la félicité et la prospérité des familles, la vitalité, la grandeur et la durée des nations...

INSTITUTIONES CANONICÆ, ad usum seminariorum, juxta novissima S. Sedis decreta, cum Brevi Pontificali; 2 volumes, 709-759 pages. *Franco, en mandat-poste*..... 7 »

« La logique et la simplicité dans la conception du plan; la clarté et la force dans l'exposition; une grande sobriété dans la forme; l'étendue des connaissances dans les conclusions; la mise à jour, si je puis ainsi parler, des décisions pontificales dans les objets avec lesquels le clergé est en contact quotidien; une conformité parfaite aux vues du Saint-Siège; voilà les qualités qui m'ont le plus frappé dans cet ouvrage. Elles frapperont aussi très sûrement ceux qui, comme moi, le liront avec attention et liberté d'esprit et d'appréciation. »

Mgr BOURRET.

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM

EDITIO DECIMA NONA

JUXTA DOCTRINAM S. THOMÆ ET S. ALPH. DE LIGORIO, AC RECENTISSIMA S. SEDIS DECRETA, CUM BREVI PONTIFICALI, EXARATA AUT RECOGNITA

APPROBANTIBUS

Ill. ac Rev. DD. GOUTHE-SOULARD, Archiep. Aquensi,
Ill. ac Rev. DD. ERNESTO BOURRET, Episcopo Ruthenensi,

AUCTORE A. BONAL

SOCIETATIS S. SULPITII PRESBYTERO

TOMUS QUINTUS

DE ACTIBUS HUMANIS, DE LEGIBUS, DE VIRTUTIBUS, DE PECCATIS, DE CENSURIS, DE DECALOGO, DE PRECEPTIS ECCLESIÆ, DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

TOLOSÆ

APUD DOULADOURE-PRIVAT, EDITORES BIBLIOPOLAS

VIA SAINT-ROME, 39.

1896

VIRGINI

IMMACULATÆ

653

TRACTATUS

DE ACTIBUS HUMANIS

OBJECTUM, UTILITAS, DIVISIO TRACTATUS[1]

1. — In præcedentibus Tractatibus, dictum est de fine supernaturali ad quem destinatur homo, et de Gratia cujus ope actus elicere possumus ad illum finem assequendum.

1. — Auctores plerique, qui de Theologia duntaxat *morali* disserunt, Tractatui de Actibus humanis præmittunt notiones de morali Theologia, de ejus fontibus, de casuistis, speciatim de auctoritate operum a S. Alph. de Ligorio in lucem editorum circa illam Theologiæ partem.

Res autem aliter componere necesse est, quando totius Theologiæ, sive dogmaticæ sive moralis, synthesis uno conspectu exponitur, ac una et eadem conclusionum series evolvitur.

Quare 1. per totum decursum *Introductionis* ad Theologiam, de ipsius Theologiæ moralis notione, excellentia, utilitate et necessitate, de medio eam acquirendi, de ejusdem divisione actum est. 2. Insuper omnes Tractatus *de Locis Theologicis* partes, quales contexuimus, moralem etiam Theologiam spectant; et ibidem, n. 107, valorem et utilitatem operum de re morali a S. Ligorio scriptorum perpendimus. 3. Demum, in præcedentibus Tractatibus, præsertim ubi de Sacramentis sive in genere, sive in specie, de Theologia morali assidue movetur quæstio. Proinde de notionibus ad illam Theologiæ partem præviis, ac multo minus de ejus fontibus hic nullo modo locus est.

— Nostra ætate, plures in lucem prodiere *Summulæ morales*, ut aiunt, seu potius *summaria Casuisticæ dictionaria*, circa quæ non pauci studia theologica fere circumscribere videntur. Porro in hisce compendiis quæstiones, etiam majoris momenti, vix summis digitis attinguntur, ut ait d'Annibale, *Proemium*, n. 7. — Insuper conclusiones practicæ, cum in iisdem disjungantur a principiis revelatis seu dogmaticis, ex quibus dimanant, eo ipso non minus carent vi scientifica ac succo vitali et supernaturali. — Consequenter, instructiones sive catechisticæ, sive parochiales, haud raro versari videntur circa præcepta juris potius naturalis, quam divini; atque ea pietatis unctione destituuntur, cujus prima radix in intima dogmatum cognitione latet. Nec profecto talis fuit prædicatio Christi, Apostolorum et SS. Patrum.

In nostris autem Tractatibus, uti jam actum est pro Sacramentis in volumine tertio

Nunc vero disserendum superest de ipsis actibus, quibus in via homo gratiæ cooperari et ad finem supernaturalem tendere debet, et qui propterea perbelle a S. Bernardo *æternitatis semina* nuncupantur. Qui actus efformandi, dirigendi atque perficiendi, totius sunt Theologiæ moralis objectum atque scopus. Speciatim autem in hocce Tractatu agitur de illorum actuum notione, elementis et de eorumdem relatione cum lege in genere, et cum conscientia.

Hujus igitur tractationis momentum ex ejusdem objecto et fine colligitur, atque per se patet. Summe enim interest, quod sanctitatis duces seu Pastores et Confessarii omnia elementa actus sive boni, sive mali dignoscant, ut ad bonos eliciendos ducant animas, easdem vero a malis studiose et efficaciter retrahant.

Quæ ad præsentem Tractatum spectant in tribus capitibus absolvemus : nimirum, dicemus 1° de notione et elementis seu principiis actuum; 2° de eorumdem moralitate seu relatione cum lege; 3° de conscientia seu legis applicatione unicuique actui humano in individuis sumpto[1].

CAPUT PRIMUM

DE NOTIONE ET PRINCIPIIS ACTUUM HUMANORUM

Duplex erit articulus, scilicet, 1° de notione et speciebus actus humani, 2° de ejusdem principiis.

et quarto, non solum exhibentur omnes conclusiones in illis summulis contractæ; sed eædem ex principiis dogmaticis ac revelatis immediate deducuntur, uti requirunt Institutiones Theologicæ vere scientificæ ac ex omni parte christianæ, ex dictis in *Introduct.*, n. 2, 6, 15.

— Cæterum, in iisdem Tractatibus de re præsertim morali agentibus, non quibuscunque Theologis utimur, sed quibusque probatissimis; et in primis, S. Thoma, qui *rigat montes de superioribus suis;* S. Ligorio, qui inter recentiores exquisita prudentia et usu rerum longe præstat; Suaresio, quem Benedict. XIV *ipsum luminare Theologiæ* vocat, et in quo, ut ait Bossuet, *on entend toute l'Ecole;* S. Bonaventura, S. Antonino, Sanchez, de Lugo, Soto, Vasquez, Leyman, Lessio, Lacroix, Roncaglia, Bonacina, Navarro, Billuart, Collet, Scavini, d'Annibale, etc.

1. Circa Tractatum de *Actibus humanis* consuli possunt S. Th. 1, 2, q. 1 et seq ; — Suarez, de *Act. hum.*; — S. Ligorius, lib. 5, *Tract. præambulus ;* lib 1, *de Conscientia ;* — Billuart, Collet, Scavini, etc.

ARTICULUS PRIMUS

De notione et speciebus Actus humani.

2. — *Quæritur* 1° quid sit *Actus humanus?*

Resp. Actus humanus est *exercitium* seu *operatio voluntatis humanæ et liberæ in objectum cognitum.*

Dicitur 1° *exercitium, operatio;* in hoc actus distinguitur ab ipsa operationis facultate, quæ dicitur actus *primus*, quatenus in rei ordine, operatio præsupponit operandi potentiam, ex qua dimanat, et quæ sæpe nuncupatur *forma*, principium operationis; et hoc sensu forma in ente prima est, et prima concipitur; dum ipsius facultatis exercitium nuncupatur actus *secundus* respectu ipsius facultatis, quæ actus primus denominatur. De hoc actu secundo hic proprie agitur.

Dicitur 2° *voluntatis* seu appetitus rationalis; qua voce indicatur prædictam operationem procedere ex vi cognoscitiva simul et appetitiva, v. g., actum amoris, odii. Et quidem 1. ex *vi cognoscitiva*, qua operationis objectum, causa finalis, circumstantiæ, leges, quibus regulatur illud exercitium, proponuntur appetitui. Nemo enim appetere potest, quod nullatenus novit, juxta illud : *Ignoti nulla cupido; nihil volitum, nisi præcognitum; nihil in voluntate, nisi prius fuerit in intellectu.*

2. *Ex vi appetitiva*, seu ex principio intrinseco, sine quo moveri per operationem sibi propriam in objectum aliquod, quod sit operationis terminus, impossibile est.

Exinde ille actus dicitur *voluntarius*, ac distinguitur ab omni actu involuntario, nempe mere organico vel coacto. Et quidem 1. mere *organico*, quales sunt actus respirationis, actiones parvulorum, adultorum dormientium, quæ absque vi cognoscitiva, sed in homine, quatenus est animal, perficiuntur. 2. *Coacto* etiam seu violento, qui non a facultate homini intrinseca, sed ab agente extrinseco, renitente voluntate, procedit, qualis est actus hominis gradientis, quia ab alio trahitur.

Dicitur 3° *humanæ*, quatenus facultas operationis de qua agimus, constat non solum intellectu et voluntate seu ap-

petitu rationali, sed etiam natura animali, quæ bono sensibili studet. Porro, actus, qui ex natura animali prodeunt, necessario ultroque profluunt, et ideo *necessarii* et *spontanei* dici solent, ex subsequentibus, n. 21. In hoc actus humanus differt ab actu entis mere spiritualis, v. g., Angeli, ad quem producendum animalis natura non concurrit.

Dicitur 4° *liberæ*, id est, voluntatis operantis cum indifferentia ad volendum aut non volendum : in hoc proprie designatur species actus humani, de quo tractamus, atque distinguitur ab actibus humanis in cœlo, aut in purgatorio, aut in inferno peractis, qui sunt sane voluntarii, utpote perfecti ab ipsa voluntate cum prævia cognitione, sed carent libertate indifferentiæ relative ad finem ultimum, quem jam nec demereri, nec mereri possunt.

Exinde etiam actus humanus differt ab actibus indeliberatis seu a motibus *primo-primis*, in homine per intellectum et voluntatem perceptis, sed absque libertate; v. g., sine libera mentis advertentia ridere, frontem sibi palpare, tentationes superbiæ, voluptatis aut cupiditatis sentire. Hujusmodi actus perficiuntur cum cognitione quidem, sed non *ex cognitione*, et ideo vocantur actus *hominis*, quasi diceres actus, qui in homine fiunt ac conspiciuntur, non autem qui ab homine producuntur in quantum est homo, seu agens per voluntatem deliberatam; dum actus liber nuncupatur *humanus*, quasi diceres actum qualis decet hominem.

Ratione ejusdem libertatis homo fit suorum actuum vere dominus; atque ideo ex hoc *imputabilitas* et *moralitas, meritum* aut *demeritum* actuum humanorum initium capit; et propterea, de tali actu in præsenti Tractatu, et toto decursu Theologiæ moralis agitur. S. Th., 1, 2, q. 1.

Dicitur 5° *in objectum cognitum*, quod est per se illius operationis finis seu terminus, uti jam innuimus in 2°. Omnis enim operatio versatur circa aliquod objectum et tendit ad aliquam finem, cum variis circumstantiis. Hæc omnia regulantur legibus divinis aut humanis, quibus, si præfata operatio libera sit conformis aut contraria, exinde eadem fit bona, vel mala, digna meriti aut demeriti.

3. — *Quæritur* 2° quotuplex sit actus humani species?

Resp. Multiplex est actus humani species, prout consideratur ratione principii, moralitatis, et finis. Scilicet, ex parte principii seu facultatis qua producitur, ille actus est elicitus, vel imperatus, vel elicitus simul et imperatus. Ratione moralitatis, est bonus, vel malus, vel indifferens. Ratione finis, est naturalis vel supernaturalis. Aliæ sunt etiam subdivisiones, quas suo loco indicabimus, n. 35, 55.

Jam vero, de actu humano ratione moralitatis et finis dicemus n. 32, 35. Hic igitur notionem illius actus ratione principii evolvendam habemus. Unde

4. — *Quæritur* 3° quid sit actus elicitus, imperatus, elicitus simul et imperatus?

Resp. 1. *Elicitus* actus, a verbo *elicere*, est ipsummet exercitium voluntatis liberæ, atque ideo consummatur in ipsa voluntate, uti actus amoris, odii, desiderii.

Hujusmodi actus est *perfecte* vel *imperfecte voluntarius* ratione *cognitionis*, prout fit ex perfecta vel imperfecta cognitione rei volitæ : sic, v. g. perfecte voluntarius est ratione cognitionis actus illius, qui, perfecte sciens et volens, occidit sacerdotem; imperfecte autem, si quis non sit omnino vigil, vel insufficienter edoctus de bonitate actionis, quam perficit.

Sed etiam idem actus est *simpliciter* vel *secundum quid voluntarius*, ratione *inclinationis* voluntatis, prout a voluntate procedit sine ulla vel cum aliqua repugnantia; sic, v. g., sub illo respectu simpliciter voluntarius est actus ludi in puero; secundum quid autem, actus quo merx in mare projicitur metu naufragii.

2. *Imperatus* actus ille est, quem perficit quælibet alia facultas a voluntate distincta, sed sub imperio voluntatis, ita ut actum elicitum præsupponat et consequatur actus imperatus : tales sunt actus rationis puræ, imaginationis, memoriæ, motus corporis. Sic, v. g., qui gravi injuria ab alio lacessitus fuit et vindictæ desiderio succensus est, per solam voluntatem elicit actum odii et vindictæ; consequenter autem imperat imaginationi, ut acceptæ injuriæ

enormitatem repræsentet; memoriæ, ut ejusdem non obliviscatur; intellectui, ut circa vindictæ circumstantias occupetur, et perpendat tum media eam peragendi, tum etiam bona putativa inde obventura; toti corpori, ut in illam vindictam perficiendam concurrat omnibus suis facultatibus, oculis nempe, attente injuriantem secernendo, manibus, ferrum arripiendo, pedibus, in hostem currendo, etc.

Qui omnes actus ab imperio voluntatis proveniunt, sed perficiuntur per facultates a voluntate distinctas, quæ ad ipsius imperium moventur et agunt. Quare voluntas habetur ut *regina,* cui, sicut ancillæ, serviunt cæteræ omnes facultates sive animæ, sive corporis. S. Th. 1-2, q. 9, a. 1; q. 16, a. 1.

Actus imperati sunt *interni* vel *externi,* prout perficiuntur per *animæ* potentias imperatas, v. g., per intellectum, imaginationem, memoriam; vel per *organa corporis,* v. g., manducare, ambulare, ridere. Actus internus, et præsertim elicitus, specialius dicitur *actus;* externus autem potius *actio* nuncupatur. S. Th. *Cont. Gent.* lib. 2, c. 1.

3. Actus *elicitus simul et imperatus* ille est, qui per ipsam voluntatem perficitur ex prævio ejusdem voluntatis imperio in seipsam; v. g., actus contritionis et imperatur et elicitur a voluntate. S. Th. 1, 2, q. 17, a. 5.

5. — Hinc 1. actus imperatus non est vere humanus nisi quatenus procedit ab actu elicito.

Per se enim in exercitio intellectus aut corporis consistit, ac proinde per se non est voluntarius, nec liber, nec ideo vere et proprie humanus, sed fit voluntarius et liber quatenus imperatur a voluntate hominis viatoris. Unde etiam actus imperatus, quatenus ab elicito actu procedit, est perfecte vel imperfecte voluntarius ratione cognitionis aut inclinationis, haud secus ac ille actus elicitus.

6. — Hinc 2. solus actus elicitus per se esse potest vere humanus seu liber.

Namque per se ille actus est voluntarius, siquidem immediate procedit ab ipsa voluntate cum prævia cognitione.

Sed etiam per se est liber in statu præsenti naturæ humanæ; quia homo viator et sui compos nullum *specialem* et *determinatum* actum elicere potest, qui non sit vere liber, relative ad suum finem, ut constat tum ex unanimi loquendi usu, juxta quem verba *voluntarium* et *liberum* sunt æquipollentia; tum ex consensu Doctorum [1]; tum ex ipsa libertatis primaria ratione quam evolvemus n. 12, ad. 5.

ARTICULUS II

De principiis Actuum humanorum, seu de voluntario libero.

7. — *Quæritur* quænam sint actuum humanorum principia?

Resp. Actuum humanorum principia sunt interna vel externa.

1° *Interna* principia sunt congenita vel adventitia.

Congenita ea sunt, quæ a natura insunt homini, nec indigent labore comparari et industria : et hæc duo numerantur, nempe, intellectus et voluntas moralis. Intellectus, qualis hic accipitur, est facultas actuum humanorum directrix per conscientiam, n. 96; voluntas moralis est facultas bonum prosequens, prout sibi ab intellectu proponitur. Cum vero in homine viatore voluntas nunquam in

1. « Nostra voluntas nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate : porro, quia est in potestate nostra, libera est. — Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit, si non vult, non facit. » S. August., *de Lib. arb*, lib. 1, c. 3, n. 7; *de Litt. et Spiritu*, c. 51, n. 53. — « In homine viatore et per actus suos tendente in finem suum, nulla est actio humana, quæ non sit libera; » Suarez, *de Fine homin.*, disput. 2, sect. 2, n. 9. — « Les actions délibérées et réfléchies que les hommes font volontairement, ils les font aussi librement. On ne donne guère, dans l'homme tel qu'il est durant la vie, d'exemple d'une chose volontaire, sans être libre, que des actions indélibérées et non réfléchies, et dont on n'est pas responsable; l'amour du bien en général et de la félicité; mais cet amour est moins une action *particulière* de la volonté, qu'un sentiment gravé dans nos âmes par l'Auteur de notre être. Il est dans la volonté, mais il ne vient pas d'elle. Une cause supérieure l'y a fait naître et l'y entretient; c'est pourquoi l'on a raison de n'y point faire attention, lorsqu'on parle des actions volontaires, parce que c'est une *disposition habituelle*, plutôt qu'une *action* et un *effet de l'activité de la volonté*. Aussi les Pères, et surtout saint Augustin, en se conformant au langage ordinaire, ont souvent regardé comme synonymes ces expressions, *le libre et le volontaire*. » *Confér. d'Angers*, *Act. hum.*, 1re Confér., 4e quest.

particulari bonum prosequatur, nisi sit libera, n. 6, exinde voluntas, qualis in hoc Tractatu sumitur, cum libertate identificatur.

Adventitia principia ea sunt, quæ a natura non insunt homini; sed vel studio et labore comparantur, ut habitus naturales, de quibus agitur in *Prælectionibus philosophicis;* vel a Deo infunduntur, ut habitus supernaturales et gratia actualis, de quibus dicitur in Tract. *de Gratia*, et *de Virtutibus in genere et in specie*.

2° *Externa* principia tria sunt, nempe, objectum, circumstantiæ et finis, de quibus tractatur n. 36 et seq. Hic ideo agendum superest de libertatis notione, existentia et impedimentis.

§ I

De notione et speciebus Libertatis.

8. — *Quæritur* 1° quid sit *libertas* in genere, et simpliciter dicta.

Resp. 1° Libertas, in genere, est *immunitas a vinculo*, seu potestas expedita agendi vel non agendi.

Duplex est autem vinculum, nempe, in executione, vel in ipsa volitione; unde duplex est libertas in genere, scilicet, immunitas a vinculo in executione seu a *coactione*, et immunitas a vinculo in volitione seu a *necessitate*. Prior respicit actum imperatum; posterior autem ipsum actum elicitum seu volitionem afficit; atque ideo sola nomen libertatis proprie meretur, n. 4. Unde

2° Libertas proprie et simpliciter dicta definiri solet: *Immunitas a necessitate, — vis electiva, — potentia eligendi unum præ alio.* — aut *vis quædam operandi cum dominio* seu virtute *ad suspendendum actum etiam positis omnibus ad operandum requisitis:* quæ vis non est res distincta a voluntate, sed est naturalis ejus perfectio; — vel *potentia activa, quæ, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere, vel non agere.*

Et quidem 1. *potentia*, non vero actus, cum, seclusa operatione, maneat in agente libero, atque sit vis ad agendum, necne.

2. *Activa*, namque, si esset potentia passiva, non posset non recipere quod ei communicaretur, atque eo ipso in ejus dominio non esset suspendere actum, ut contendunt Baius, Jansenius, etc.

3. *Positis omnibus ad agendum prærequisitis*, nempe, excitatione ad actum, et judicio practico de re agenda, vel non agenda, ex quo exsurgit causa motiva seu finalis,

4. *Potest agere, vel non agere*, eo sensu quod, posito judicio practico, *fac hoc*, semper in voluntate remaneat potestas substituendi aliud judicium, *ne hoc facias*, vel *fac hoc aliud*. Cujusmodi enim judicium potest voluntas imperare intellectui etiam in procinctu agendi et in ipso molimine actionis, eoque posito, potest voluntas suspendere actionem, n. 14.

Itaque in actu libero duo sint, scilicet, *excitatio* ad actum, seu aliquis influxus externus et præsertim cognitio et motus primo-primus, quibus voluntas quasi excutitur et ad volitionem provocatur; ipsa *volitio*, quæ elicitur vi solius activitatis propriæ, ita ut in ejus voluntatis arbitrio sit ratio cur ita agat, aliterque agendi expeditam potestatem hic et nunc habeat; v. g., ex inspectione creaturarum cognosco amorem Dei erga me; hæc cognitio motum primo-primum redamationis in me sine me producit; cujusmodi motus ad illam redamationem excitat voluntatem; voluntas autem, ope intellectus, ponderatis motivis talis redamationis, vi propriæ activitatis elicit redamationis actum, in quo nititur libertatis exercitium.

9. — Hinc libertas *electionis* est ratio et *fundamentum imputabilitatis moralis*.

Etenim imputabilitas moralis ea est, qua non solum enti tribuuntur actus quos elicit, ~~sed etiam de iis actibus ratio petitur~~; sic, v. g., quando homini imputatur homicidii perpetratio, non solum affirmatur scelus istud ab ipso commissum fuisse, sed etiam ipsum potuisse, si voluisse, ab illo scelere se abstinere; et ideo in hoc reum fuisse, atque vituperio et pœna dignum : atqui potestas se abstinendi ab aliquo actu, est ipsamet electionis libertas; ergo hæc liber-

tas est imputabilitatis moralis fundamentum; n. 32. Quare hujusmodi libertas impugnata fuit ab illis omnibus, qui ordinem moralem evertere conati sunt, atque ab Alex. VIII damnata est hæc propositio : « In statu naturæ lapsæ, ad peccatum formale et demeritum, sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali et voluntate Adami peccantis. »

10. — *Quæritur* 2° quotuplex sit libertas electionis?

Resp. Triplex est, pro triplici modo quo exerceri potest in homine, scilicet, *contradictionis, contrarietatis, specificationis.*

Vel enim voluntas unum eligit e duobus contradictoriis, v. g., studere aut non studere, et tunc dicitur libertas *contradictionis* et etiam *exercitii*, quia per eam homo potest actum exercere aut non exercere.

Vel unum eligit e duobus contrariis, uti sunt amor et odium, bonum et malum; et tunc adest libertas *contrarietatis.*

Vel demum eligitur unum ex pluribus specie diversis, uti sunt ambulare, ludere, orare; et tunc dicitur libertas *specificationis.*

Jam vero, respectu moralitatis in homine viatore, sola libertas contrarietatis admittitur ab iis, qui sentiunt esse tantum actus bonos aut malos, non autem indifferentes in individuo. Pro iis autem, qui actus indifferentes retinent etiam in individuo, superest libertas contradictionis et specificationis ad illos actus indifferentes, n. 90.

§ II

De existentia Libertatis electionis in homine lapso.

11. — Electionis libertas impugnatur vel a philosophis, uti pantheistæ, dualistæ, fatalistæ, materialistæ; vel ab hæreticis, qui illam libertatem in homine confitentur ante generis humani lapsum per originale peccatum; non vero post hujusmodi lapsum, uti Prædestinatiani, Lutherani, Calvinistæ, Baiani, Jansenistæ, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 129, 132, 139, 144.

Cujusmodi igitur error jam confutatur in Prælectionibus philosophicis, et in Tract. *de Gratia;* atque ideo hic de libertate electionis in præsenti statu hominis præcipua argumenta contrahere satis erit. Itaque

PROPOSITIO

12. — *Homo, in statu naturæ lapsæ, remanet prædítus libertate electionis, seu immunis est a necessitate intrinseca.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* « Erit illi gloria æterna, qui *potuit transgredi*, et *non est transgressus, facere mala* et *non fecit;* » Eccli. 31, v. 10. — « Nonne *si bene egeris*, recipies? sin autem male, statim in foribus peccatum aderit, sed *sub te erit appetitus ejus*, et *tu dominaberis illius;* » Gen., 4, v. 7.

Unde sic : ille libertate electionis prædítus est, qui ex suo beneplacito potest servare aut transgredi mandata, facere malum aut non facere, dominari in appetitum ad peccatum provocantem, aut ei subjici : atqui ita est de voluntate hominis in statu præsenti, ex præfatis textibus; ergo, in statu naturæ lapsæ, homo remanet immunis ab intrinseca necessitate, atque libertate electionis prædítus.

2° *Traditione.* Conc. Trid. de hac re doctrinam SS. Patrum et præcedentium Conciliorum confirmat, declarando aut definiendo « *liberum hominis arbitrium,* post Adæ peccatum, *minime* esse *amissum* et exstinctum, *viribus* licet *attenuatum* et *inclinatum;* atque esse *in potestate hominis vias suas malas facere.* » Tract. *de Gratia*, n. 7, 26, 27, 28, 252.

Ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 335, de fide est justos vere mereri apud Deum, per gratiam operando : atqui, ex ibidem dictis, n. 146, de fide est ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ requiri in homine libertatem a necessitate, nec sufficere libertatem a coactione; ergo de fide est hominem in statu præsenti immunem esse a necessitate intrinseca, seu esse vere liberum. Vide Tract *de Fide*, n. 23, 32.

Cui Traditioni sacræ consonat consensus omnium populorum et philosophorum alicujus nominis.

3° *Ratione.* 1. *Ex sensus intimi testimonio.* Namque invincibilem habemus de nostra libertate persuasionem, ut constat ex his quæ agimus sive ante actum, sive in actu, sive post actum. Et quidem, *ante actum*, apud nos determinamus quænam erit nostra actio in tali instanti, etiam ante longissimum tempus; imo et fide data nos obligamus ad agendum tali vel tali modo; demum actionum nostrarum futurarum motiva pensamus, ut quidnam agere magis expediat, detegamus.

In ipso actu, invicte credimus nos posse, si velimus, a volitione hic et nunc elicita abstinere, ut aliam eliciamus.

Post actum, nobismetipsis actus nostros sive bonos sive malos imputamus tanquam causæ, quæ de illis rationem reddere tenetur, atque ideo nobis ipsis gratulamur, si bene egimus; si vero male, stimulis conscientiæ angimur. Ergo invincibilem persuasionem habemus de nostra electionis libertate.

Porro talis persuasio adeo invincibilis etiam apud ipsos libertatis impugnatores, a sola natura oriri potest; ergo probat hominem in statu naturæ lapsæ libertate electionis manere præditum.

2. *Ex ordinis moralis existentia.* Ordo moralis in eo consistit, quod Deus homini præscribat sui finis assecutionem sub reatu culpæ et pœnæ, talisque ordo in omnium populorum legislatione consignatur : atqui plane absurdum esset hujusmodi præceptum imponere enti jam ad suum finem, vel contra suum finem necessitato; ergo ordinis moralis existentia ita præsupponit electionis libertatem, ut, sublata libertate, nullo modo concipi possit ordo moralis, nec stare idea boni et mali.

3. *Ex voluntatis objecto.* Hoc argumentum ex ipsius rei visceribus, ut aiunt, desumitur, atque ideo, philosophice loquendo in præsenti materia est fundamentale, nec aliud traditur a S. Th., 1 p., q. 83, a. 1. Videlicet, voluntas suo objecto trahi nequit necessario, nisi illud objectum adæquet seu exhauriat voluntatis capacitatem : atqui, dum homo manet in via, ejus voluntas nunquam apprehendere potest objectum, quod ejus capacitatem adæquet; ergo,

dum homo in via manet, ejus voluntas nunquam necessario trahi potest suo objecto.

Major per se evidens est. Dum enim objectum voluntatis capacitatem non adæquat, nec exhaurit, eo ipso in ea remanet quidam ulterioris boni appetitus, quem allicere possunt alia objecta, et sic distrahere a consideratione et amore exclusivo boni cujuslibet, quod per se voluntatis capacitatem non exhaurit; proinde suo objecto voluntas trahi nequit necessario, nisi hoc objectum adæquet seu exhauriat voluntatis capacitatem.

Minor non minus constat. Etenim capacitas voluntatis est universalis, id est, proprium ejus objectum est bonum universale seu infinitum; siquidem nullum bonum particulare, quodcunque sit, plane satiat voluntatem, quæ semper aliquid aliud appetit, ita ut omnium bonorum particularium quælibet congeries sit pro voluntate creaturæ intellectualis sicut aquæ guttula pro oceano, aut pulvis pro indefinita spatii immensitate, ex constanti perennique experientia, juxta illud : « Et *omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis;* nec prohibui cor meum, quin *omni voluptate frueretur et oblectaret se in his, quæ præparaveram...*, et vidi in omnibus *vanitatem et afflictionem animi*. » Eccle. II, v. 10, 11.

Revera, bonum particulare quodcunque, sicut ab intellectu apprehendi potest ut bonum sub uno respectu, vel ut non bonum sub alio respectu; ita potest approbari vel improbari a voluntate, et ideo ab ea apprehendi, necne.

Atqui homo, dum manet in via, apprehendere nequit nisi bona particularia. Namque bonum, quod in via movere potest voluntatem, est contingens, vel Deus ipse. Si prius, tunc bonum est in se particulare, et idcirco trahere nequit necessario voluntatem, ex modo dictis.

Si posterius, quamvis Deus sit *in se* bonum universale, remanet tamen bonum particulare respectu creaturæ intellectualis, quandiu hæc a Deo peregrinatur; siquidem tunc hæc creatura nec ex tota capacitate Deum cognoscit, nec in Deo plene quiescit, alioquin non esset in via ad Deum, seu a Deo non peregrinaretur; ac proinde in ea remanet qui-

dam boni ulterioris appetitus, quem allicere possunt bona contingentia, et sic distrahere a consideratione et amore exclusivo boni divini, ut non minus universali constantique experientia constat, ac per se patet. Ergo homo, dum manet in via, nonnisi particularia bona apprehendere potest; et ideo ejus voluntas nunquam necessario trahitur suo objecto, seu nunquam libertate electionis caret, aut carere potest.

13. — Hinc 1. actus libertatis respectu finis ultimi, perfici nequi nisi a creatura rationali adhuc *viatore*.

Etenim, ex jam dictis, voluntas eligere potest, eo quod ejus actus versatur circa bona particularia in se vel ut talia apprehensa : porro, cum voluntas in ipso fine ultimo quiescit, secundum totam suam capacitatem bono universali fruitur; ergo tunc nulla superest facultas ad appetendum, nec proinde ad eligendum aliud bonum.

14. — Hinc 2. libertas electionis originarie oritur a facultate *rationis*.

Namque, ex dictis, libertas eligendi provenit ex eo quod, ex una parte, voluntas sit capax boni universalis, et ex altera, se exerat circa bona particularia tantum : porro voluntas non fit capax boni universalis, nec bona uti particularia apprehendit nisi per rationem; ergo electionis libertas originarie a ratione oritur. S. Th. 1, 2, q. 17, a. 1, ad. 2.

Et vero, sublata ratione, remanet solus naturalis instinctus seu activitas necessaria : porro instinctus naturalis semper et incluctabiliter fert ad aliquod bonum particulare, v. g., ad ambulandum, ad manducandum, ad vitandum hoc vel illud malum physicum; ergo voluntas non est activitas libera, nisi eo quod per rationem fit boni universalis capax, ac simul se exerit circa bona quatenus particularia per rationem apprehensa. Quare libertas sæpe vocatur *liberum arbitrium*, seu liberum judicium, S. Th. 1 p., q. 83, a. 4; 1, 2, q. 1, a. 1 : quatenus, scilicet, voluntas, dum homo est in via, est vis *electiva* mediorum ad finem assequendum. Alii dicunt libertatem præsupponere facultatem rationis uti conditionem sine qua non.

15. — Hinc 3. in homine viatore, eo major est libertas, quo perfectior est cognitio bonorum circa quæ versatur electio; et eo minor est libertas, quo imperfectior fit illa cognitio. Nam, ex dictis, voluntas non est libera, nisi inquantum per rationem ejus capacitas fit universalis, atque bona particularia ut talia apparent; ergo eo perficitur aut minuitur libertas, quo rationis exercitium perficitur aut deprimitur in homine viatore, ut ex subsequentibus confirmabitur.

§ III

De Libertatis impedimentis.

16. — Perfectio libertatis a rationis perfectione pendet ex dictis, n. 15; rationis autem exercitium minuitur aut tollitur per ignorantiam, concupiscentiam, metum et violentiam. Scilicet, ignorantia et metus immediate afficiunt intellectum, et mediate voluntatem liberam; concupiscentia immediate afficit appetitum rerum sensibilium, mediate autem intellectum et voluntatem; violentia immediate commovet corpus, mediate vero concupiscentiam aut metum, intellectum et voluntatem liberam. De his impedimentis sigillatim dicemus.

NUMERUS PRIMUS

De ignorantia respectu Libertatis.

17. — *Quæritur* 1° quid sit ignorantia, et quotuplex?

Resp. 1. Ignorantia late sumpta est *cognitionis* aut *scientiæ carentia in subjecto capaci.* Dividitur in *negativam* et *privativam :* prior seu nescientia est carentia scientiæ *non debitæ* in subjecto capaci; posterior est carentia scientiæ *debitæ* in subjecto capaci; v. g., Theologiæ carentia in pastore animarum; de privativa scientia hic agitur.

2. *Privativa* spectari potest ex parte objecti, ignorantia voluntatis et intellectus.

Ex parte *objecti*, alia est *juris*, alia *facti*. Ignorantia *juris* adest, quando quis nescit a lege divina vel humana quidquam prohiberi aut præcipi, ut, v. g., si quis ignorat esum carnis esse prohibitum die veneris. Ignorantia *facti* est in eo qui scit legem, sed ignorat hoc vel illud factum sub lege

cadere, ut, v. g., si quis manducat carnem die veneris, quia ignorat præsentem diem esse diem veneris.

Ex parte *voluntatis*, ignorantia est antecedens, concomitans aut consequens.

Antecedens ea est quæ assensum voluntatis antecedit, nec ullomodo volita est, et tamen est causa volendi id, quod quis nollet, si sciret, ut, v. g., si quis percutit Petrum, putans bona fide esse Joannem sibi infensum. — *Concomitans* ignorantia ea est, quæ etiam præcedit actum voluntatis, neque est ullatenus volita, sed non est causa volendi, siquidem actio adhuc fieret, etiamsi abesset ignorantia; talis est ignorantia illius qui percutit Petrum, putans esse Joannem, cum voluntate tamen percutiendi Petrum, si hunc adstantem sciret. — *Consequens* ignorantia est illa, quæ a libera voluntate procedit. Duplex distinguitur, nempe, vel *directe* in se *volita* seu affectata, vel *indirecte*, in causa *volita*. Prior seu *affectata* adest, cum quis directe et positive vult aliquid ignorare sive ut liberius peccet, sive propter aliud, juxta illud : *Noluit intelligere, ut bene ageret;* Ps. 35, v. 4. — Posterior, seu indirecte volita, provenit vel ex negligentia ordinaria, et dicitur simpliciter *negligentia;* vel ex negligentia extraordinaria, et ideo vocatur *crassa* aut *supina*.

Ex parte *intellectus*, ignorantia est vel physice invincibilis, vel moraliter invincibilis, vel moraliter vincibilis.

Ignorantia *physice invincibilis* ea est, quæ nullomodo vinci potest, v. g., in pueris, in semifatuis; de hac in Theologia ordinarie non movetur quæstio. — *Moraliter invincibilis* ea est, quæ absolute quidem seu ope diligentiæ extraordinariæ vinci potest, non vero ope diligentiæ communis seu moralis, qualem viri prudentes in re gravis momenti adhibere solent; *moraliter vincibilis* ea est, ad quam tollendam sufficit ordinaria diligentia.

Non datur autem ordinarie ignorantia *vincibilis*, nisi adsit suspicio aut dubium de obligatione ulterius inquirendi.

Non possumus enim illud exquirere, de quo minime cogitamus, juxta axioma : *ignoti nulla cupido*. Attamen moraliter vincibilis permanet ignorantia, si quis de obliga-

tione eam tollendi non concipit dubium aut suspicionem, eo quod agit ex inadvertentia, consuetudine, præcipitanter et inconsiderate, etsi sua vel aliorum experientia didicerit, quænam mala sequi solita sint ex tali ignorantia.

Jam vero, ignorantia, sive antecedens sive concomitans, est *moraliter invincibilis*, cum hoc discrimine, quod antecedens sit causa volitionis, non vere concomitans, ut jam notatum est; ignorantia autem consequens semper est *vincibilis* quæ ideo dividitur in affectatam vel crassam, ex supradictis. De ignorantia quatenus est moraliter invincibilis aut moraliter vincibilis, agitur in præsenti Tractatu. Scilicet,

18. — *Quæritur* 2° an ignorantia invincibilis aut vincibilis tollat vel minuat voluntarium?

Resp. 1° Quæ fiunt ex ignorantia *moraliter invincibili*, non sunt libera sub respectu, quo ignorantur.

Ibi enim non est libertas, ubi deest cognitio, ut dictum est, n. 14 : porro, quæ fiunt ex ignorantia moraliter invincibili, patrantur absque cognitione, ita ut nec prævideantur, nec prævideri possint; ergo in hujusmodi deest libertas.

Et vero, homo ordinarie non tenetur media extraordinaria adhibere ad finem suum consequendum; talis enim actio extraordinaria brevi homini prorsus impossibilis evaderet; ergo, ut ignotum, ordinarie reputandum est, quod moraliter prævideri seu cognosci nequit.

Unde, qui actionem perficit in se prohibitam, sed cujus prohibitionem invincibiliter ignorat, ille non peccat, eo quod respectu præfatæ prohibitionis cognitione ac proinde libertatis exercitio careat. Revera, ab Alex VIII damnata est hæc propositio : « Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ lapsæ, operantem ex ipsa non excusat a peccato formali. »

2° Hoc verum est etiam de ignorantia *concomitante;* et ideo non satis accuratum est quod aiunt plures, inter quos Scavini, hujusmodi ignorantiam nec voluntarium facere, nec involuntarium, nec accusare, nec excusare. Qui enim percutit Petrum sacerdotem, putans esse Joannem laicum, cum voluntate hunc percutiendi, si eum agnosceret, de

facto non vult percutere Petrum, et sub hoc respectu illa percussio est simplicite involuntaria; sed peccat Joannes, quatenus vult hominem occidere.

3° Quæ fiunt ex ignorantia *vincibili*, cum libertate perficiuntur, etiam sub respectu quo vincibiliter ignorantur. Etenim, qui libere vult causam, eodem modo vult et illius causæ effectum : porro ignorantia vincibilis est libere volita, cum possit tolli per ordinariam diligentiam; ergo libere etiam perficitur hujus ignorantiæ effectus. Sic, v. g., qui munus aliquod suscipit, dum conscius est ignorantiæ circa necessaria ad illud convenienter obeundum, vult libere talis ignorantiæ pravos effectus.

19. — Attamen 1. minus est voluntarium, quod indirecte tantum, et per accidens est volitum, seu ex ignorantia ordinaria, vel speciali seu crassa; dum e contra, magis voluntarium est, quod provenit ex ignorantia directe volita seu affectata, quæ denotat majorem aversionem a recto, et majorem affectum ad pravum. S. Th. 1, 2, q. 76, a. 4.

20. — 2. Liberum non est ignorantiæ vincibilis consectarium, quod prævideri moraliter non potuit ex illa ignorantia secuturum fore. Tunc enim agens versatur in ignorantia invincibili respectu talis effectus.

Nec profecto colligendum est meliorem esse conditionem hominis ignorantis quam cognoscentis, eo quod non peccet, quia in ignorantia invincibili jacet; alioquin melior esset etiam conditio hominis omni rationis usu destituti, quam hominis qui usu rationis pollet, id est, ens irrationale enti rationali esset anteponendum.

NUMERUS II

De concupiscentia respectu Libertatis.

21. — *Quæritur* 1° quid sit *concupiscentia*, et quotuplex respectu libertatis?

Resp. 1. In latiori sensu prout hic sumitur, concupiscentia est motus appetitus sensitivi in rem per imaginationem, græce phantasiam, sibi objectam impellens, vel ab ea re-

fugiens, prout sensibiliter bona vel mala apparet, cum aliqua commotione corporali; v. g., motus gulæ, luxuriæ, rapinæ, iræ, vindictæ.

Idem appetitus *concupiscibilis* nuncupatur, quatenus inhiat vel refugit ea, quæ secundum imaginationem bona vel mala apparent; *irascibilis* vero, quatenus nititur submovere quæcunque nobis illa inhiantibus vel hæc fugientibus, obstant. S. Th. 1, 2, q. 15, a. 1; q. 17, a. 7, ad 3; q. 81, a. 1, 2. *Passio* etiam vocatur motus illius appetitus; et illa bona vel mala est, si objectum, quod appetitur, sit secundum vel contra legem seu rationis ordinem. Si sit contra legem, passio denominatur *fomes peccati*.

2. Duplex est concupiscentia respectu voluntatis liberæ, scilicet, *antecedens* vel *consequens*. Prior ea est, quæ vel omnino, vel ex parte tantum antecedit advertentiam mentis, v. g., viso inimico, statim excitatur appetitus vindictæ; in isto casu, si voluntas nullatenus ei consentiat, habetur motus *primo-primus;* si vero imperfecte consentiat, motus *secundo-primus* reputatur, n. 2.

Posterior ea est, quæ prævium voluntatis consensum subsequitur, ut, dum quis intensa voluntate vult aliquid, inde excitatur passio in appetitu inferiori; v. g., si quis vehementiorem in se excitat iram, ut fortius ulciscatur.

22. — *Quæritur* 2° an concuspiscentia tollat vel minuat liberum arbitrium?

Resp. 1. Concupiscentia mere *consequens* non tollit, nec minuit libertatis exercitium, sed hoc magis auget, aut potius signum est intensitatis voluntarii motus. Sic, qui, ut fortius ulciscatur, vehementiorem in se excitat iram, non solum actuali rationis usu potitur, actumque liberum perficit, sed etiam hujusce actus specialem intensitatem et libertatem manifestat. S. Th. 1, 2, q. 77, a. 6.

2. Concupiscentia *omnino antecedens* seu motus *primo-primus* simpliciter, cum præcedat omnem mentis advertentiam, est actus omnino spontaneus et nullo modo liber, atque ideo omni culpa vacat. Non est enim actus liber sine prævio rationis exercitio, n. 14; talis est motus primo-

primus iræ viso inimico, libidinis visa femina, vanæ gloriæ audita laude.

3. Concupiscentia ex parte tantum antecedens mentis advertentiam, non omnino tollit, sed minuit libertatis exercitium. Et quidem non omnino tollit, cum, ex hypothesi, illius concupiscentiæ mens conscia sit, ac proinde remaneat rationis et libertatis exercitium. Minuit tamen; nam concupiscentia facit quod intellectus proponat voluntati in objecto sensibili omnes rationes boni concupiscibilis et delectabilis, et minus attendat ad rationes boni honesti, quibus ab illo objecto sensibili removeretur voluntas; ac proinde in tantum minuitur facultas bonum honestum eligendi; v. g., qui, præventus iræ motu, irruit in inimicum eo minus liber est ad considerandum rationes, quibus removeretur ab illo impetu, quo vehementior est illi motus primo-primus iræ.

23. — Unde, sub concupiscentia antecedenti, majori quidem inclinatione fertur voluntas ad appetendum objectum sensibile, atque ideo major est spontaneitas seu voluntarietas, et simul minus est libertatis exercitium. Propterea, qui gravi et subita pulsus tentatione peccat, minus reus est, ac qui sponte et ultro ad eamdem actionem sese determinat.

24. — Hinc motus pravæ concupiscentiæ statim ac animadvertuntur, rejiciendi sunt, saltem per simplicem voluntatis denegationem seu displicentiam.

Posito quod enim voluntatem liberam excitent illi motus, statim voluntas eos sequitur, vel non : si prius, adest consensus et peccatum, si objectum ad quod movent, est illicitum; si posterius, voluntas resistit; ergo statim ac insurgunt de re illicita illi motus cum mentis advertentia, compescendi sunt. Ante omnia, præsertim in re fidei, charitatis aut castitatis, conandum est animum ad alia divertere. Directa enim resistentia sæpe sæpius illos inordinatos motus magis excitat [1].

1. « Dans les passions, il faut calmer les esprits par une espèce de diversion, et se jeter, pour ainsi dire, à côté plutôt que de combattre de front; c'est-à-dire,

Remedia autem contra concupiscentiæ motus, ea sunt quæ illorum causis opponuntur. Unde, si proveniant ex phantasia, compescendi sunt, ad alia divertendo; si ex objectis externis, aut occasionibus, hæc fugiendo, nisi justæ rationes contra militent, aut ab omnibus objectis quis moveatur; si ex complexione vel humorum abundantia, mortificatio colenda est; si ex timore, ille vincendus est, seu spernendi sunt motus.

Cæterum, ut animadvertit Suarez, *de Vitiis et peccatis*, disp. 5, sect. 7, n. 20, 21, semper tenetur homo ad non consentiendum concupiscentiæ hic et nunc allicienti, quia præceptum negativum pro semper obligat. Potest autem non semper teneri ad repellendam delectationem ex duplici ratione; scilicet, 1. quando quis timet eo magis esse augendam concupiscentiam sensus, quo ipse magis conetur ad illam expellendam, ex S. Th. 2-2, q. 35, a. 1, ad 2; tunc enim directe oppugnare potius esset cooperari. 2. Quando, ad depellendam illam concupiscentiam, necessarium est omittere aliquam actionem honestam v. g., officium parochi, confessarii; ablato enim periculo consensus, affirmativum præceptum non obligat cum tanto incommodo, præsertim cum ille motus naturalis per se non sit malus moraliter.

25. — *Quæritur* 3° quid sit *vitium*, et an minuat libertatem actus?

Resp. Vitium est *facilitas consentiendi motibus concupiscentiæ, per frequentem iis motibus ejusdem speciei consensum acquisita.*

Quæ facilitas, quandiu libere conservatur, non minuit

qu'il n'est plus temps d'opposer des raisons à une passion déjà émue. Car, en raisonnant sur la passion même pour l'attaquer, on en rappelle l'objet, on en imprime plus fortement les traces, et on irrite plutôt les esprits, qu'on ne les calme.

« Il en est des esprits émus et poussés d'un certain côté, à peu près comme d'une rivière, qu'on peut plusaisément détourner, que de l'arrêter de droit fil; ce qui fait qu'on réussit mieux dans la passion en pensant à d'autres choses, qu'en s'opposant directement à son cours. » Bossuet, *De la Connaissance de Dieu*, etc., C. 3, n. 19.

libertatis exercitium. Namque vitium inclinat quidem voluntatem in bonum sensibile, atque in ipso instanti quo fit actus, minor est attentio ad bonum honestum, et consequenter minor libertas; at, cum, ex hypothesi, illa inclinatio libere fuerit acquisita, et libere conservetur, eo ipso fit consequens ad voluntatis actum; ac proinde libertatem non minuit, sed est majoris intensitatis actus liberi indicium, ut jam dictum est de concupiscentia consequente, n. 22.

Unde, qui peccat ex habitu, quem attendit et retractare non curat, non excusatur a *toto*, nec a *tanto* peccato; sed e contra, cæteris paribus, gravius peccat, ex majori inclinatione et delectatione libera, quam si absque habitu peccaret. Propterea, juxta S. Th. 1. 2, q. 78, a. 2, 3, qui vitioso habitu utitur, ex certa malitia peccat, quatenus ex seipso movetur ad peccatum.

Quando autem malus habitus jam displicet, eumque, quantum potest, quis eradicare conatur, tunc fit concupiscentia antecedens, atque plus minusve libertatem minuit; et ideo minus est peccatum sub influxu pravi habitus detestati et effficaciter retractati patratum.

E contra honestus habitus seu virtus semper libertatem perficit. Nam sub influxu virtutis mens liberius considerat rationes bonum honestum prosequendi; voluntas proinde efficacius abstrahitur ab influxu concupiscentiæ, sicque liberius bonum honestum eligit.

NUMERUS III

De metu respectu Libertatis.

26. — *Quæritur* 1° quid sit *metus*, et quotuplex?

Resp. 1. Metus est *trepidatio mentis*, seu *motio contra voluntatis inclinationem impressa, ex intellectuali apprehensione alicujus mali imminentis*. Unde distinguitur tum a concupiscentia, quæ est motio secundum voluntatis inclinationem impressa ex apprehensione sive intellectuali, sive physica alicujus boni sensibilis; tum a vi seu violentia, quæ est motio impressa contra voluntatis inclinationem a causa extrinseca; dum metus provenit ex intellectuali apprehensione alicujus mali causati vel a causa intrinseca v. g.,

ab infirmitate, vel a causa extrinseca sive libera, ut ab homine, sive necessaria et naturali, puta ab incendio, a naufragio.

2. Metus, ratione intensitatis, duplex est, nimirum, *gravis* vel *levis*, prout timetur malum grave aut malum leve.

Gravis autem metus talis est vel *absolute*, quando malum in se et pro majori hominum parte vere grave timetur, ut mors, mutilatio, dura incarceratio; vel *relative* tantum, quando malum licet in se leve, grave est tamen relative ad sexum, ætatem, indolem personæ cui injicitur metus; sic pueri, mulieres, senes metu majori, cæteris paribus, affici solent, quam viri ætate maturi,

In foro *externo* metus reputatur gravis, si causetur malo in se vel relative gravi; levis autem, si malum in se sit leve. In foro *interno* conscientiæ, ipsa *trepidatio* mentis, non vero ejus causa, attenditur.

27. — *Quæritur* 2° an metus tollat aut minuat libertatis exercitium?

Resp. Hic agitur de actu facto *ex metu*, et non solum *cum* metu. Sic mercator altum mare conscendit cum metu, sed non ex metu; orta autem tempestate, projicit merces in mare ex metu, ut observat Billuart, dissert. 1, a. 7. Hoc posito, distinguendum est. Scilicet, 1. trepidatio levis, cum leviter tantum impediat attentionem ad bonum honestum, non tollit, nec nisi tantum leviter minuit rationis usum; ac proinde non censetur actum agentis determinare. Unde pro nihilo reputanda est, saltem per se, et communiter loquendo, juxta axioma : *Parum pro nihilo reputatur*.

2. Metus sive absolute, sive relative gravis, vel omnino perturbat mentem, ejusque omnem advertentiam tollit; et tunc penitus impedit libertatis exercitium : vel sub gravi trepidatione homo nihilominus remanet sui compos; et tunc non tollitur, sed minuitur libertatis actus.

Et quidem non tollitur, cum supersit rationis exercitium, quod semper sequitur libertatis actus. Minuitur tamen; nam sub gravi mentis trepidatione, difficilius evadit rationis exercitium, seu ex magna parte impeditur attentio

et deliberatio circa motiva non agendi juxta metus impulsionem; ac proinde in eodem gradu impeditur libertatis actus.

3. Nec metus gravis *in se* spectatus, a mortali excusat, nec de mortali veniale facere potest, quoties lex non cessat propter aliquod grave incommodum, v. g., quando violatio legis cedit in contemptum fidei, Religionis, etc. Excusat autem a lege humana, secluso societatis aut Religionis damno; quia non censetur legislator velle obligationem legis urgere cum tanto incommodo.

NUMERUS IV

De vi seu violentia respectu Libertatis.

29. — *Quæritur* 1° quid sit *vis*, et quotuplex?

Resp. Vis seu violentia, coactio, est *motio impressa ab agente extrinseco contra voluntatis inclinationem;* et in hoc discrepat a metu, quem ex apprehensione intellectuali alicujus mali imminentis experimur.

Duplex est violentia, scilicet, *absoluta* vel *secundum quid*, prout alicui omni modo, vel aliquatenus tantum repugnanti infertur.

30. — *Quæritur* 2° an violentia tollat vel minuat libertatis exercitium?

Resp. 1. Vis directe cadere non potest in ipsam voluntatem, atque nec minuere, nec a fortiori tollere libertatem actus *eliciti*. Actus enim elicitus procedit a principio intrinseco seu ab ipsa voluntate, præeunte cognitione, n. 3 : porro coactum et violentum est ab extrinseco principio ; ergo repugnat quod actus elicitus sit coactus. Et vero « invitus nemo potest velle aliquid, quia nemo potest velle, nolens velle, » ait S. Anselm., *de Lib. arb.*, c. 6.

2. Violentia cadere potest in facultates imperatas actus externi, ut patet exemplo hominis, qui invitus vi physica cogitur ante idolum genua flectere : porro vel tali motioni pro suis viribus non resistit voluntas, et tunc adest actus imperatus plus minusve liber, ideoque personæ vim patienti imputandus pro majori aut minori affectu, quo fit.

31. — Hinc, quando violentia infertur de re mala, nec adest consensus interni periculum, patiens non tenetur omnimodam exterius opponere resistentiam, si resistentia foret certo inutilis et simul noxia, vel solum si graviter noxia futura sit. Sic sancti Martyres ducti ad templa paganorum non peccabant, quamvis propriis pedibus ambularent. Nemo enim tenetur ad actum inutilem et nocivum, Revera tunc patiens ex ratione sufficienti permissive tantum se habet respectu mali ab alio patrati.

Attamen cavendum est 1. ne imprudenter credatur non esse consentiendi periculum; 2. ne facilius reputetur resistentiam fore inutilem, et grave probabileque oriturum ex resistentia incommodum; 3, ne aliquid agatur, quod positivam cooperationem importet in ipsomet malo; 4. ne pro opposita voluntate habeatur simplex displicentia, et consensus conditionatus, scilicet, qui non daretur extra circumstantias præsentes, sed qui revera, licet ægre, præstatur; 5. ne ex sola segnitia et lassitudine et resistentia exterior relaxetur, quod tunc valde periculosum evadet.

CAPUT II

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM

In quatuor articulis dicemus 1° de moralitatis notione; 2° de ejusdem speciebus; 3° de fontibus; 4° de requisitis ut actus sit malus, vel bonus.

ARTICULUS PRIMUS

De notione Moralitatis.

32. — *Quæritur* 1° in quonam proprie consistat actus humani *moralitas?*

Resp. Moralitas a *more* seu agendi modo, quo homines dicuntur boni vel mali, diverso modo definitur ab auctoribus, prout dissentiunt inter se circa moralitatis fontem. Apud Theologos autem moralitas definiri solet : *Conformitas aut oppositio actus humani cum lege æterna per cujusque rationem manifestata.*

Itaque ad moralitatem tria requiruntur, scilicet, actus humanus, lex æterna, applicatio hujus legis illi actui per conscientiam, seu relatio inter actum humanum et legem æternam per ipsum dictamen rationis efformata.

Et quidem 1° *actus humanus* seu *liber*. Etenim moralitas necessario implicat ideam laudis aut vituperii, mercedis [1] aut pœnæ : atqui actus libertate destitutus seu ex necessitate productus, nec laude, nec vituperio, nec mercede, nec pœna dignus est; ergo ad moralitatem in primis requiritur actus liber vel tanquam fundamentum vel saltem ut conditio sine qua non; n. 9, 12.

Et vero, actus quo Beati Deum diligunt, vel quo damnati odium in Deum habent, non est per se dignus laude aut vituperio, mercede aut pœna, utpote libertate destitutus.

2° *Lex* seu objectum alicui legi subjectum. Namque actus liber non potest esse dignus laude aut vituperio, mercede aut pœna, nisi quatenus conformis aut difformis est alicui regulæ seu voluntati superiori; siquidem sublata illa regula, jam homo in suis actibus remanet omnino independens; ac proinde quicunque sint actus illi, a nemine vituperio et pœna plecti possunt: ergo moralitas implicat objectum alicui legi subjectum.

Lex autem illa est *æterna*. Moralitas est quid per se necessarium et universale, id est, iidem actus liberi in iisdem conditionibus eliciti, digni sunt laude aut vituperio, mercede aut pœna, quocunque loco, quocunque tempore, a quocunque homine eliciantur; ergo moralitas implicat objectum legi per se necessariæ et universali seu legi æternæ subjectum.

1. De facto seu ex divina institutione nulla est bona actio, quæ apud Deum digna non sit proportionatæ mercedis, juxta illud : « Quicunque potum dederit uni ex minimis istis *calicem aquæ frigidæ* tantum *in nomine discipuli*, amen dico vobis, *non perdet mercedem suam;* » Matth. 10, v. 42. Attamen non repugnat quod Deus enti rationali bonum perficiendum imponat cum supplicii commination, si non obediat, et absque mercedis promissione, si præcepto obtemperet, juxta illud : « Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : *Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus;* » Luc, 17, v. 10. Revera ens rationale, bonum perficiendo, Deo *retribuit*, quod a Deo accepit, ex verbis : « *Tua* sunt *omnia;* et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. » I Paralip 29, v. 14.

Revera, in hac lege nituntur omnes aliæ leges sive divinæ sive humanæ, ut dicitur in Tract. *de Legib.*, n. 5, 6; ergo ad moralitatem, uti necessarium elementum, requiritur lex æterna seu objectum legi æternæ subjectum.

3° *Per cujusque rationem manifestata.* Etenim, ut quis dignus habeatur laude aut vituperio, mercede aut pœna præter actus conformitatem aut difformitatem cum lege æterna, necesse est quod actum perficiat cum cognitione illius conformitatis aut difformitatis; alioquin lex pro agente esset quasi non existeret, nec objectum libere apprehenderetur uti legi divinæ subjectum : porro talis conformitatis aut difformitatis cognitio, nihil aliud est quam legis æternæ unicuique actui humano per rationem applicatio; ergo hæc ad moralitatem requiritur. Sic, v. g., actus divini amoris libere elicitur ab homine viatore: conformis est legi æternæ, ex qua ens infinite amabile super omnia alia entia est amandus; idem ille actus elicitur cum cognitione illius legis, et quia tali legi est conformis : quibus positis, actus eo ipso est laude et mercede dignus, seu actus moralis et moraliter bonus.

Exinde patet duplicem esse regulam morum seu voluntatis humanæ, una *primaria* et *remota*, scilicet, lex æterna, quæ est quasi *ratio Dei;* alia vero secundaria et proxima, nempe, ipsa ratio humana, quæ fit regula morum, quatenus est applicatio regulæ primariæ et remotæ. S. Th. 1. 2, q. 71, a. 6. Vide Tract. *de Legib.*, n. 5, 6, 7; et infra, n. 99.

Quæ vero tria ad moralitatem sufficiunt. Positis enim actu humano, lege æterna, et inter utrumque relatione per agentis conscientiam, qui elicit actum legi æternæ conformem aut difformem, eo ipso dignus est laude aut vituperio, mercede aut pœna; ergo ad actum moralem præfata sufficiunt.

33. — Hinc 1° moralitas inducitur ex conformitate aut difformitate actus liberi cum fine ultimo a Deo homini signato.

Lex enim æterna aut lex quæcumque justa seu in lege

æterna vere fundata, actum liberum dirigit ad finem ultimum, quem Deus homini assignavit; ergo actus in tantum moralis est, in quantum tendit ad finem ultimum, aut ab hoc fine avertit.

34. — Hinc 2° moralitas proprie consistit in plenitudine entis vel in defectu entis, quod actui libero inesse debet.

Nam bonitas aut malitia actus non est aliquid actui extrinsecum, sed ipsum actum, imo ipsum agentem afficit; siquidem ex illa bonitate aut malitia ipse actus et etiam agens dicitur atque in se revera est bonus aut malus : atqui bonum est quid positivum, malum autem est quid ex se negativum, seu quædam absentia boni; S. Th. 1 p., q. 48, a. 1; vide Tract. *de Deo*, n. 197; ergo moralitas proprie consistit in plenitudine aut in defectu entis, quod actui libero inesse debet.

Et vero, ex dictis, actus moralis ille est quo agens fit conformis aut difformis legi æternæ, vel quo ad finem ultimum tendit, aut ab hoc fine se avertit : porro actus non fit conformis aut difformis legi æternæ, aut fini ultimo, nisi inquantum habet perfectionem seu entis plenitudinem, vel deficit ab entis plenitudine, quæ ex lege æterna et ex fine ultimo ei inesse debet; ergo moralitas proprie consistit in plenitudine vel in defectu entis, quod in actu humano requiritur. S. Th. 1. 2, q. 18, a. 1.)

ARTICULUS II

De Moralitatis speciebus.

35. — *Quæritur* quotuplex sit moralitatis species?

Resp. Moralitas spectari potest ratione relationis inter actum et legem, ratione legis, ratione finis, et ratione subjecti.

1° Ratione *relationis inter actum et legem*, moralitas triplex est, nempe bonitas, malitia et indifferentia. *Bonitas* est actus humani conformitas cum lege æterna, ac proinde aptitudo ad finem ultimum assequendum, sive entis plenitudo, quæ actui libero inesse debet.

Malitia autem est dissentaneitas actus a lege æterna et a

fine ultimo, atque defectus debitæ plenitudinis entis in actu.

Indifferentia tandem est absentia conformitatis aut difformitatis in actu libero cum lege et fine ultimo. Non consentiunt Theologi an illa indifferentia sit moralitatis species, ut infra expendetur, n. 91. Vide Billuart, *de Act. hum.*, dissert. 4, art, 2.

2° Ratione *legis*, moralitas est *intrinseca* vel *extrinseca*. Videlicet, actiones quæ præcipiuntur aut prohibentur lege *naturali* et *æterna*, sunt *intrinsece bonæ* aut *malæ* : sic, v. g., amor Dei est quid intrinsece bonum; odium Dei, fornicatio est quid intrinsece malum; quia talia præcipiuntur vel prohibentur eo ipso quod creatura est rationalis, aut quia creatura rationalis destinata est ad talem vel talem finem. Unde exurgit distinctio inter ea, quæ sunt intrinsece bona aut mala *primario*, vel *secundario*, de quibus in Tract. *de Legib.*, n. 16.

Actiones autem quæ præcipiuntur aut prohibentur aliqua lege *positiva*, sunt *extrinsece* bonæ aut malæ; v. g., requies ab operibus servilibus die Dominica, carnium esus die veneris. Unde bonitas aut malitia illarum actionum est accidentalis et variabilis, cum superior possit legem, ex qua oritur laudatarum actionum moralitas, abrogare, suspendere, ab ea dispensare, ei exceptiones apponere.

3° Ratione *finis*, moralitas est *naturalis* vel *supernaturalis*, prout actus ad finem ordinis naturalis aut supernaturalis tendit, vel a fine hujus aut illius ordinis avertit.

4° Ratione *subjecti*, moralitas seu bonitas aut malitia actus est vel *materialis* tantum, vel *formalis* tantum, vel *materialis simul ac formalis*.

Scilicet, 1. quando actus est *legi conformis*, sed elicitus ab agente qui invincibiliter putat talem actum esse legi contrarium, v, g., si Petrus init Matrimonium cum consanguinea in quinto gradu, quam putat consanguineam in quarto gradu, talis actus est *in se*, *objective*, *materialiter* bonus, malus autem *subjective*, *formaliter*.

2. Quando actus est *legi contrarius*, sed elicitus ab agente, qui invincibiliter putat illum actum esse legi conformem, v. g., si Petrus init Matrimonium cum consanguinea in

quarto gradu, quam putat consanguineam in quinto gradu, talis actus est *in se, objective, materialiter* malus, bonus autem *subjective, formaliter*.

3. Tandem, quando actus est legi conformis aut contrarius, et ut talis ab agente cognitus et elicitus, bonus vel malus est *materialiter simul et formaliter;* sic, v. g., Petrus init Matrimonium cum consanguinea in quarto gradu, quem ut quartum et ut dirimentem cognoscit : talis actus Petri malus est *materialiter simul et formaliter*.

Jam vero moralitas materialis homini non imputatur, ob defectum rationis et ideo libertatis. Unde, cum dicitur aliquis peccasse *materialiter,* sensus non est quod aliquo modo peccaverit, sed quod adfuerit materia peccati, ita ut agens peccavisset, si actum suum elicuisset cum sufficienti cognitione et deliberatione. Similiter, qui dicitur non peccasse *nisi formaliter,* revera peccavit, sed non peccavisset, idem agendo, si in errore non fuisset, eo quod revera in suo actu deerat peccati materia. Itaque in foro conscientiæ semper agitur de moralitate *formali*, quæ sufficit ad bonitatem aut malitiam actus in individuo sumpti.

ARTICULUS III

De Fontibus Moralitatis.

36. — Fontes moralitatis nuncupantur ea actus humani principia seu elementa, ex quibus ille actus fieri potest bonus vel malus. Tres porro numerantur moralitatis fontes, scilicet, actus *objectum*, *circumstantiæ*, et *finis*. Equidem finis est circumstantia quædam; attamen, quia maxime influit in actum, ideo specialiter de illo tractant communiter Theologi. Unde triplex erit paragraphus.

§ I

De Objecto actus humani, ratione Moralitatis.

37. — *Quæritur* 1° quid sit objectum actus humani ratione moralitatis?

Resp. Objectum actus humani, ratione moralitatis, est id, *quod primo et per se voluntate attingitur, prout subest rationi dirigenti, prohibenti aut præcipienti.*

Dicitur 1 : *id quod primo ac per se voluntate attingitur;* in hoc objectum a circumstantiis et a fine operantis distinguitur : hæc enim non attinguntur per se et primario, sed per objectum et secundario. Sic acceptio rei alienæ, domino rationabiliter invito, est objectum voluntatis in furto; quantitas autem, aut qualitas rei sic acceptæ, est circumstantia furti, quæ acceptionem ipsam rei alienæ præsupponit; similiter finis seu intentio furandi, ut, v. g., quis voluptati libentius indulgeat, est quid accidentale et extrinsecum, quod jam præsupponit acceptionem rei alienæ.

Dicitur 2 : *prout subest rationi dirigenti, prohibenti, præcipienti;* quibus indicatur objectum, de quo agitur, non esse rem physice sumptam, sed rem in esse moris, seu quatenus, si a voluntate libera apprehendatur, est conformis vel difformis rectæ rationi. Sic v. g., objectum furti non est res aliena prout res est, sed quatenus ratio vetat ne sumatur domino rationabiliter invito; similiter, objectum temperantiæ non est præcise potus aut cibus, sed potus aut cibus sumptus conformiter ad rationem.

Unde, objectum morale nihil aliud est ac ipsa actio circa quam immediate versatur voluntas; ut, ea mediante, talem aut talem finem attingat; sic : v. g., in furto, objectum *morale* est ipsa acceptio rei alienæ, domino rationabiliter invito, sicut objectum *materiale* est pecunia ipsa; ita ut pecunia sit immediatum furti objectum, furtum autem immediatum objectum voluntatis.

38. — Notandum est objectum morale sæpe sæpius formulis incompletis exprimi, v. g. : *Non occides, non concupisces, nolite judicare,* etc. Hujusmodi enim formulæ, si stricte sumantur non sunt semper veræ, eo quod, brevitatis causa, innuunt tantum, sed expresse non circumscribunt objectum morale sub eis contentum et prohibitum; sic occidere proximum non est in omni casu prohibitum, ut innuere videtur formula generalis : *Non occides.* Unde, positis hujusmodi formulis, difficultas remanet in assignandis casibus particularibus pro quibus prohibitio non existit.

Aliunde, præcisis omnino formulis semper uti valde difficile est, quia non valemus certo et sigillatim deprehendere omnes conditiones, omnes restrictiones, quibus circumscriptæ sunt prohibitiones legis, ita ut ad summum novimus actionem talem esse malam ordinarie, nisi ratio necessitatis excuset. Sed etiamsi omnes et singulas restrictiones sub quibus actio est prohibita, perspicue assecuti fuissemus, pigeret nos hoc per longos verborum circuitus exponere[1].

39. — *Quæritur* 2° an ex objecto moraliter considerato desumatur prima et essentialis moralitas actus humani?

Resp. Affirmative. Etenim voluntas primo et per se respicit objectum suum, dum secundario tantum et accidentaliter respicit circumstantias et finem operantis, ut patet ex ipsa objecti moralis notione jam tradita : sic, v. g., in furto, voluntas immediate respicit rem alienam uti acceptam domino rationabiliter invito; et ideo immmediate seu primario mala est voluntas, prout hujusmodi acceptio est legi contraria; ergo ex objecto moraliter spectato desumitur prima et essentialis moralitas actus humani.

Et vero 1. prima et essentialis moralitas actus ab eo desumitur, ex quo pendet ipsius actus *species* essentialis et primaria : atqui primaria et essentialis species actus defluit ex objecto; sic, v. g., actus est et dicitur homicidium, aut amor Dei, aut furtum, prout ejus objectum est occisio proximi, aut Deus quatenus dilectus, aut res aliena uti ablata domino rationabiliter invito; ergo, etc.

2. Prima et essentialis bonitas aut malitia actus ea est, quæ ante omnem aliam in eo concipitur, sine qua alia concipi nequit, et quæ, aliis mutatis, invariabilis permanet : atqui talis est moralitas objecti; sic furtum, hoc ipso quod est acceptio rei alienæ, domino rationabiliter invito, intelligitur primo et essentialiter malum sine ordine ad alias circumstantias, nec sine hac malitia furtum concipi potest, nec, mutatis circumstantiis aut fine, variabilis est malitia illius acceptionis rei alienæ; ergo, etc.

1. « Hæc est humana conditio, ut vix possit homo tam perspicuis verbis sensum suum explicare, quin ambiguitas et dubia nascantur; præsertim quia lex humana loquitur breviter et in generali; et in applicatione ad varios casus in particulari oriuntur frequenter dubia. » Suarez, *de Legib.*, lib. 6, c. 1, n. 5. Vide Tract. de *Loc. Theol.*, n. 105.

Cæterum, actus humanus desumit moralitatem ab objecto morali, quod de se bonum est, vel malum. Si enim objectum esset indifferens, nullam bonitatem aut malitiam ex se conferret; sed tunc moralitas repetenda esset vel a fine, vel a circumstantiis; sic, v. g., deambulatio, manducatio per se non est quid morale, sed indifferens.

§ II

De Circumstantiis actus humani ratione Moralitatis.

42. — *Quæritur* 1° quid sit *circumstantia* actus humani ratione moralitatis?

Resp. Circumstantia, de quo agitur, a verbo *circumstare*, est *accidens quoddam, moraliter afficiens actum humanum jam constitutum in suo esse tum physico, tum morali.*

Dicitur 1 : *accidens* seu conditio quædam ipsi entitati actus extrinseca; sine qua ideo actus humanus esse et concipi potest, et quæ tamen ad ipsum aliquo modo pertinet. "Sicut enim illud in localibus dicitur circumstare aliquid, quod est quidem ei extrinsecum, et tamen quod ipsum attingit aut ei appropinquat, ita in moralibus conditiones, quæ sunt extra substantiam actus humani, et tamen hunc actum aliquo modo attingunt, circumstantiæ nuncupantur."

Sic furtum in loco sacro, duplex elementum habet, scilicet, acceptionem rei alienæ, domino rationabiliter invito, in quo furti essentia et substantia actus reponitur; et conditionem loci sacri, sine qua furtum esse et concipi potest, et quæ tamen acceptionem rei alienæ, in præfato casu attingit; unde illa conditio est accidens seu circumstantia furti.

Dicitur 2 : *moraliter afficiens actum humanum;* id est, ipsum actum moralem modificans in ordine ad regulas morum seu rectam rationem, adeoque ipsi conferens aliquid bonitatis vel malitiæ accidentalis; alioquin posset esse circumstantia actus humani qua physicus est, sed non qua moralis, ac proinde de tali circumstantia hic non moveretur quæstio; sic, in prædicto casu, circumstantia loci sacri confert furto accidentalem malitiam sacrilegii; circumstantia autem physica manus dextræ vel sinistræ, qua rapitur

res aliena, nihil confert bonitatis aut malitiæ, nec proinde ad scientiam moralem interest.

Dicitur 3 : *jam constitutum in suo esse morali;* omne enim accidens præsupponit rei substantiam; et ideo circumstantia moralis afficit actum humanum jam in esse morali constitutum per suum objectum; et propterea non dat actui nisi bonitatem aut malitiam accidentalem. Sic loci sacri circumstantia in furto, præsupponit furtum et furti malitiam, huicque superaddit malitiam sacrilegii.

43. — *Quæritur* 2° quotnam sint circumstantiæ actus humani, ratione moralitatis?

Resp. Septem communiter assignantur hoc versu comprehensæ :

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Revera aliquid extra actus substantiam existens, potest tamen ipsum actum attingere tripliciter, 1. vel quatenus afficit ipsam actus substantiam, scilicet, per modum mensuræ, ut tempus et locus, et est *quando*, *ubi*, aut per modum qualitatis, sicut modus agendi, et est *quomodo;* 2. vel quatenus afficit actum ex parte causæ sive finalis, *cur*, sive efficientis principalis, *quis*, sive instrumentalis, *quibus auxiliis;* 3. vel quatenus afficit actum ex parte effectus, et est circumstantia *quid*.

Equidem nullus est actus humanus absque loco, tempore, modo, fine, agente, instrumento et effectu; et sub hoc respectu, præfata non sunt circumstantiæ, sed ad ipsam actus substantiam pertinent. Sunt autem circumstantiæ quatenus ex iis defluit quædam entitas, quædam bonitas aut malitia ita specialis et accidentalis, ut sine ea actus substantia et moralitas esset et concipi posset. Unde

Quis non significat substantiam agentis, sed ejus qualitatem, v. g., quod sit sacerdos, religiosus, laicus, solutus vel conjugatus, dives vel pauper, superior vel subditus.

Quid non denotat pariter substantiam effectus, sed aliquod accidens ipsi conjunctum, puta, qualitatem, vel quantitatem; v. g., in furto, *quid* non denotat quod res furtiva

sit aliena, id enim pertinet ad substantiam furti; sed quod sit sacra vel profana, magnæ vel parvæ quantitatis; in homicidio, quod sit parens, vel clericus; in luxuria, quod complex sit nupta, consanguinea, etc.

Ubi non significat nudum locum, sed qualitatem loci, quod sit publicus, sacer, etc. Si enim fornicatio fiat in loco publico, oritur scandalum; si in loco sacro, est sacrilegium.

Quibus auxiliis significat accidentalia instrumenta seu media quibus usus est operans; ut si occiderit cum aliquo socio, si adhibuerit opem dæmonis, etc.

Cur denotat finem non intrinsecum seu operis, sed extrinsecum et operantis; ut si quis furetur ad se inebriandum.

Quomodo significat modum accidentalem quo fit actus, v. g., intense vel remisse, ex contemptu vel levitate, ex ignorantia vel metu, ex malitia vel passione.

Quando significat conditionem accidentalem temporis; nempe vel qualitatem, ut si opus fiat die festo aut communionis, vel quantitatem, ut si actus diu aut parum duret.

44. — *Quæritur* 3° an actus humanus desumat aliquam bonitatem aut malitiam ex circumstantiis?

Resp. Affirmative. Etenim 1. in Evangelio vidua pauper, quæ in gazophylacium misit *duo minuta,* præfertur divitibus, qui summas majores dederant; ergo actio viduæ hujus ex paupertatis circumstantia nobilior et sanctior facta est.

2. Circumstantiæ clavibus Ecclesiæ subjici non debent, si ex eis actus non fit deterior : atqui tamen, ex Conc. Trid., in confessione aperiendæ sunt circumstantiæ speciem peccati mutantes; ergo actus humanus aliquam bonitatem aut malitiam desumit ex circumstantiis.

3. Actus humanus est bonus vel malus ex objecto, prout hoc objectum convenit vel opponitur legibus, quibus subjicitur : atqui actus humani circumstantiæ possunt his legibus seu rectæ rationi convenire aut opponi; ergo, etc.

Et vero, dantur actus alii meliores aut pejores, licet idem

habeant objectum et eumdem finem : sic v. g., qui nummum furatur in templo, gravius peccat quam si, cæteris paribus, furaretur extra templum : atqui ista differentia aliunde peti non potest, quam ex circumstantia loci, ut patet; ergo ex circumstantiis actus humanus desumit aliquam bonitatem aut malitiam.

45. — *Quæritur* 4° quotuplici modo circumstantiæ afficere possint actum humanum, ratione moralitatis?

Resp. Duplici modo, scilicet, vel mutando *speciem* bonitatis aut malitiæ, vel *aggravando* aut *minuendo* actus bonitatem aut malitiam intra eamdem speciem.

Etenim moralitas desumitur ex actus conformitate vel difformitate cum regulis morum : porro, inter circumstantias, aliæ secundum se et independenter a specie morali petita ex objecto, important specialem et distinctum ordinem conformitatis aut difformitatis ad rationem; v. g., furtum in ecclesia commissum, desumit speciem furti ex objecto, et speciem sacrilegii ex circumstantia loci; aliæ vero secundum se non important specialem ordinem ad regulas morum, sed speciem moralem objecti, quam supponunt, modificant tantum, ut sunt magis et minus, multum et parum, intensum et remissum; ergo circumstantiæ sunt vel mutantes speciem, vel tantum eamdem speciem bonitatis aut malitiæ aggravantes aut minuentes.

46. — Jam vero 1. inter circumstantias *mutantes speciem moralitatis*, aliæ supponunt in actu speciem bonitatis aut malitiæ ex objecto, quæ permanet; sic circumstantia loci sacri in furto, supponit speciem furti ex objecto defluentem, huicque addit sacrilegii speciem.

Aliæ autem vel nullam speciem bonitatis aut malitiæ ex objecto supponunt, ut in actu indifferenti; vel eam, quæ existit, destruunt aut potius impediunt ne resultet, ideoque primam ei essentialem speciem bonitatis aut malitiæ actui conferunt. Sic ambulare per se nullam habet speciem bonitatis aut malitiæ; ambulare autem sanitatis causa, speciem bonitatis desumit ex circumstantia finis; sed etiam, ero-

gare eleemosynam, habet ex objecto bonitatem sublevationis pauperis; dare autem eleemosynam, præcise ob vanam gloriam, non habet bonitatem eleemosynæ, sed malitiam vanæ gloriæ, eo quod operans non appetit eleemosynam propter ejus honestatem, sed præcise ut medium utile ad malum finem; ac proinde circumstantia vanæ gloriæ impedit, ne bonitas eleemosynæ ipsum actum afficiat.

47. — 2. Inter autem circumstantias *aggravantes*, aliæ *notabiliter*, aliæ *leviter* aggravant. Censetur notabiliter aggravans in materia *quantitativa*, quæ scilicet consistit in numero, pondere et mensura, quando seorsim sumpta et ab actu separata, sufficeret ad peccatum mortale: ut, v. g., qui ultra decem francos, quos suppono sufficere ad peccatum mortale, furaretur alios decem.

In aliis materiis censetur notabiliter aggravans, quando notabiliter excedit modum ordinarium peccandi in hujusmodi materiis, ut si quis per menses et annos perseveraret in odio fraterno.

Si neutrum ex his occurrat, censetur leviter aggravans, v. g., si quis furatur duos francos ultra decem; si post rixam, aliquantulo tempore in odio permanserit.

§ III

De fine Actus humani ratione Moralitatis.

48. — *Quæritur* 1° quid sit finis, et quotuplex?

Resp. 1. Finis in genere est *terminus actionis*. Unde omnis actio per se ad aliquem finem tendit. Qualis autem hic sumitur, finis est *terminus actionis liberæ*, sed *illud* quod homo *per actum rationalem vult obtinere*. Unde ipsamet actio rationalis seu actus humanus est *medium* ad finem consequendum, n. 37.

2. Duplex esse potest finis actus humani, scilicet, finis *operis*, et finis *operantis*: prior non distinguitur ab ipso opere seu est ipsi objecto intrinsecus, v. g., sublevatio pauperis est finis ad quem per se, natura sua et quasi proprio pondere tendit ipsum opus eleemosynæ; et propterea dici-

tur finis operis. De hoc fine jam actum est ubi de objecto, cum quo confunditur.

Posterior ille est, quem ad libitum sibi præfigit operans : v. g., vana gloria, aut pœnitentia est finis illius, qui facit eleemosymam propter vanam gloriam, vel ad satisfaciendum pro peccatis. Quandoque finis operis fit finis operantis, ut quando quis eleemosynam præcise in sublevamen pauperis erogat.

Hic de fine operantis proprie agitur; et licet finis hujusmodi sit una e circumstantiis actus expressa vocabulo, *cur*, n. 43, tamen de eo specialiter agunt Theologi, quia ab eo, ut qui præcipue movet, præcipue desumitur moralitas.

Finis operantis quatenus ipsus actus terminus, dicitur proprie *finis;* quatenus autem, posita ejus cognitione, movet ad actum, dicitur *motivum* seu *causa finalis.*

Finis *operantis* potest esse *proximus, remotus* et *ultimus. Proximus* immediate intenditur, eumque ante omnem alium agens vult obtinere. *Remotus* ille est, quem agens post finem proximum vult obtinere; *ultimus* tandem ille est, in quo sistit agens. Sic, v. g., pro ægroto, qui per medicinam sibi proponit sanitatem recuperare, deinde vacare labori assueto, et demum gloriam Deo dare, sanitas recuperanda est finis proximus, labor assuetus est finis remotus, gloria Dei est finis ultimus.

Finis ultimus est ultimus *absolute*, vel *relative* tantum. Finis absolute ultimus ille est, ad quem omnes alii referri debent, ipse autem ad alium referibilis non est : qui finis Deus est, in quo totum hominis bonum totaque felicitas reponitur.

Finis absolute ultimus est *naturalis*, vel *supernaturalis :* prior est Deus ut auctor naturæ tantum spectatus, et ope virium naturalium obtinendus; posterior est Deus ut auctor gratiæ et divinæ gloriæ spectatus, et ope auxilii supernaturalis consequendus.

Finis *relative* ultimus ille est, quem de facto voluntas agentis in alium non refert, licet referre posset; sic sanitas est finis relative ultimus medicinæ, in hypothesi quod ægrotus sanitatem nonnisi propter se appetat.

49. — Hinc homo semper agit propter aliquem finem ultimum. Nam fieri nequit, quod ens rationale reflexe sese determinet absque motivo quodam, seu quod per suam actionem deliberatam non reflexe intendat assecutionem alicujus boni ad aliud non relati, alioquin daretur finium progressus in infinitum.

50. — *Quæritur* 2° quodnam sit discrimen inter finem et medium?

Resp. Medium est illud *per quod* agens vult obtinere finem; et ideo, quatenus medium, non est aut saltem non habetur ut in se quid *bonum* seu per se appetibile, in quo proxime, aut remote, aut ultimo sistat voluntas; sed est aut habetur ut quid *utile* ad finem obtinendum, nec proinde sumitur propter se, sed propter finem, seu eo quod in finem deducat; propterea finis nobilior est his, quæ sunt ad finem; S. Th. 1 p., q. 44, a. 4, ad 2.

Finis autem semper est quid *in se* aut *putative bonum* et appetibile, ideoque ex se movens voluntatem ad actum. Actus voluntatis quo apprehenditur finis, dicitur *intentio;* actus autem voluntatis quo apprehenditur medium, ordinarie vocatur *electio.*

51. — Hinc 1° finis est prior in intentione, medium autem prius est in exsecutione.

Etenim medium sumitur propter finem; ergo conceptio et volitio finem conceptionem et volitionem medii antecedit; sic via non sumitur, nisi præconcepto et intento loco ad quem ducit. E contra finis intentus reipsa non obtinetur nisi per medium; ergo necesse est adhibere medium, antequam finis obtineatur.

52. — Hinc 2° qui vult finem, eo ipso vult medium, et qui vult aut exsequitur medium, eo ipso vult finem.

Etenim finis ut talis nec esse, nec concipi potest absque medio; medium autem, ut tale, nec esse nec concipi potest absque fine; ergo ratione intentionis, volitio finis necessario implicat volitionem mediorum, sicut et volitio aut exse-

cutio mediorum, quatenus media sunt, necessario implicat volitionem et consecutionem finis. Sic, v. g., qui vult Petrum occidere, eo ipso vult adhibere media ad illud homicidium perficiendum; et qui vult adhibere aut revera adhibet media ad occidendum Petrum, eo ipso vult Petrum occidere.

Quare finis et medium in actu humano, ac proinde in actu morali, quid unum efformant, iisdemque regulis subjiciuntur.

53. — *Quæritur* 3° an actus humanus a fine desumat bonitatem aut malitiam?

Resp. Affirmative. Etenim 1. finis, quatenus motivum et terminus actus humani, hunc vere attingit; ergo, ex parte finis, sicut et ex parte aliarum circumstantiarum, actus erit bonus vel malus, prout ejus motivum et terminus erit rationi conformis vel contrarius.

2. Revera, ab eo desumitur moralis actus, quod facit actum ex indifferente bonum vel malum, ex malo pejorem, ex bono meliorem; atqui ita est de fine respectu actus humani: sic actus est indifferente fit malus ratione finis, ut si quis deambulet ex motivo luxum ostendendi; ex indifferente bonus, ut si quis deambulet ex motivo postea liberius Deo famulandi; ex malo pejor, ut si quis furetur, quo possit lautius vino indulgere; ex bono malus, ut si quis jejunet, ex motivo uti jejunantem hominibus se præbendi; ex bono melior, ut si quis eleemosynam eroget ad peccata sua redimenda; ergo ex fine bonitatem aut malitiam desumit actus humanus.

Propterea monet Christus ut a fine malo caveamus in bonis operibus: « Attendite, ne justitiam vestram faciatis *coram hominibus* ut *videamini ab eis;* alioquin mercedem *non habetitis apud Patrem*... Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit *simplex*, totum corpus tuum *lucidum erit;* si autem oculus tuus fuerit *nequam*, totum corpus tuum *tenebrosum* erit; » Matth. 6, v. 22, 23: atqui per oculum communiter interpretes intelligunt intentionem finis; ergo, etc.

54. — *Quæritur* 4° utrum actus exterior, seu ipsamet *exsecutio* medii, interioris actus bonitatem aut malitiam augeat?

Resp. Non auget per se, bene vero per accidens.

Et quidem 1. non *per se*. Nam Scriptura non minus laudat aut redarguit quod quis sincere et plene facere voluit, quam si de facto illud fecisset : « Quia *fecisti* hanc rem, et *non pepercisti* filio tuo unigenito, benedicam tibi ; » Gen. 22, v. 16, 17. — « Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, *jam mœchatus* est eam in corde suo ; » Matth. 5, v. 25. Ergo pro ipso opere habetur voluntas illud patrandi.

Eodem sensu loquuntur SS. Patres; « *Sola voluntas* est quæ remuneratur, sive bona in bonis, sive mala in malis; » S. Chrysost., in præfato loco S. Matth. — « Quid planius quod *voluntas pro facto reputetur*, ubi factum excludit necessitas? « S. Bernard, *Epist.* 77, c. 2.

Revera illud per se non auget bonitatem aut malitiam actus interni, quod per se nullam habet bonitatem aut malitiam moralem : atqui actus exterior, cum per se nulla gaudeat libertate, n. 5, 6, nullam ratione sui moralitatem seu bonitatem aut malitiam habet, seorsim ab actu interiori; ergo, etc.

2. *Per accidens* autem auget bonitatem aut malitiam actus interioris, quatenus actum internum reddit intensiorem aut diuturniorem, aut fit occasio scandali, aut proximo infert nocumentum, aut restitutionis obligationem inducit, aut irregularitatem parit, aut per eum incurritur excommunicatio. Unde, ratione bonorum aut malorum effectuum, qui ex actu exteriori consequuntur, hic actus bonitatem aut malitiam actus interni auget.

ARTICULUS IV

De requisitis ut Actus liber sit malus, vel bonus.

Dicemus 1° de diverso respectu sub quo bonitas aut malitia actus apprehendi potest a voluntate libera; 2° de requisitis ut actus sit malus; 3° de requisitis ut actus sit bonus; 4° de actu indifferenti.

§ I

De diverso respectu, sub quo bonitas aut malitia Actus humani apprehendi potest a voluntate libera.

55. — *Quæritur* 1° sub quotuplici respectu apprehendi possit moralitas actus humani a voluntate libera?

Resp. Sub quadruplici præcipue respectu nempe, ratione signi, cognitionis, modi et intentionis.

Et quidem 1. ratione *signi* seu manifestationis, illa apprehensio est expressa vel tacita. *Expressa*, si verbis aut signis manifestetur : v. g., si superior verbo aut nutu capitis peccato subditi assentiat; *tacita* vero, si adesse ex facto aliquo aut etiam omissione notum fiat; sic, v. g., peccata subditorum sunt superiori voluntaria et imputabilia, si iis se non opponat, cum possit ac debeat. Unde regula juris; *Qui tacet, consentire videtur*.

56. — 2. Ratione *cognitionis*, illa apprehensio est explicita vel implicita. *Explicita*, quidem, quando fit cum actuali conscientia; *implicita* autem, quando non fit cum actuali conscientia, sed continetur in actu, cujus moralitas intenditur explicite; sic, qui vult occidere Petrum, patremfamilias, ad vindictam, nihil aliud cogitando, explicite vult occisionem Petri et vindictam, implicite autem consectaria illius homicidii pro filiis Petri.

57. — 3. Ratione *modi* quo influit voluntas, illa apprehensio est actualis aut virtualis. *Actualis*, quando fit proprie electio finis et mediorum; *virtualis* autem quando non fit, sed perseverat vi seu virtute prioris actus electionis. Sic, v. g., Paulus, qui elicit volitionem occidendi Petrum, et vi hujusce electionis per aliquod spatium procedit, quin de occisione Petri cogitet : volitio de occisione Petri est actualis; processus autem per illud spatium ad aggrediendum Petrum, est virtualis seu virtualiter intentus, cum fiat ex vi seu virtute volitionis de Petri occisione.

58. — 4. Ratione *intentionis*, apprehensio moralitatis

actus est *directa* vel *indirecta*. Quæ divisio accurate expendenda est. Quanti enim momenti, et quanto numero sint difficultates, quæ circa voluntarium indirectum occurrunt, nemo est qui ignoret, si quæstionibus theologicis studuerit.

Porro *directa* est intentio, quando quid *eligitur tanquam finis*, vel *tanquam medium*, sive expresse sive tacite, sive actualiter sive virtualiter. *Indirecta* autem est intentio, quando quid *non eligitur tanquam finis nec tanquam medium*, sed *consequitur* ex eo quod directe seu ut finis aut ut medium intenditur. Sic, v. g., si Paulus occidat Petrum ad injuriam sibi a Petro illatam vindicandam, tunc vindicta ut finis et occisio Petri ut medium, et ideo directe a Paulo intenduntur; consectaria autem illius homicidii pro filiis Petri, nec ut finis, nec ut medium, et ideo indirecte a Paulo intenduntur. Directum voluntarium sæpe dicitur, quod est volitum *in se* et *immediate;* indirectum autem voluntarium, quod est volitum non in se, sed *in alio* saltem confuse apprehenso.

59. — Hinc 1. indirecte volitum consequitur ex *causa* seu actione, quæ *duplicem habet effectum*, quorum unus directe seu tanquam finis aut medium intenditur, alter vero indirecte seu non ut medium, nec ut finis apprehenditur; sed consequitur ex eo, quod directe intenditur.

60. — Hinc 2. *directe* volitum est semper *in intentione*, *indirecte* autem volitum semper est *præter intentionem.*

Etenim nihil a voluntate intenditur nisi propter se, vel propter aliud : atqui directe volitum intenditur propter se seu ut finis, vel propter aliud seu ut medium; indirecte autem volitum non intenditur propter se, nec propter aliud seu non ut finis, nec ut medium; ergo directe volitum semper est in intentione; indirecte autem volitum semper est præter intentionem, ita ut agens permissive tantum se habeat quoad effectum indirecte volitum. S. Th. 2. 2, q. 65, a. 7.

61. — *Quæritur* 2° quotuplici *causalitate* effectus directe, aut indirecte volitus produci possit?

Resp. Causa est id, quod *rem aliquam producit,* vel ad rem *producendam* aliquo modo *concurrit.*

Causa est *physica* vel *moralis*, *per se* vel *per accidens*, *proxima* vel *remota.*

1. *Physica* seu *immediata* causa ea est, quæ ex se et propria energia producit effectum : talis est Dominus omnium creator, mens humana quoad suas determinationes, homo qui propria manu alium occidit.

Moralis seu *mediata* causa ea est, quæ physicam causam liberam movet ad actum, ac proinde interventu alterius liberæ causæ effectum producit; v. g., qui homicidium suadet, aut jubet, qui vendit gladium homini cædem paranti, est causa moralis illius homicidii et hujus cædis; imo, qui effectum non impedit, quando potest et debet impedire.

2. *Per se* causa, sive physica sive moralis, ea est quæ operatur effectum *ad quem* revera *dirigitur et ordinatur ab agente* sive actualiter sive virtualiter, sive explicite sive implicite; v. g., qui occidit hominem, *quem* revera occidere *intendebat,* est hujus occisionis causa *per se.*

Per accidens causa ea est, quæ operatur effectum *ad quem nec actualiter, nec virtualiter ab agente ordinatur.* Sic, v. g., qui, venando, occidit hominem, invincibiliter putans esse lupum, est causa physica, sed per accidens illius homicidii. Similiter medicus, qui medicamentum, quod salubre invincibiliter putat, consulit, ex quo nihilominus mors ægroti sequitur, est causa moralis simul et per accidens mortis illius.

3. *Proxima* causa ea est, quæ, attentis circumstantiis, *certam* aut *valde probabilem* connexionem habet cum effectu; v. g., venenum in debita quantitate propinatum, est certo causa proxima mortis proxime subsequentis. Unde plus minusve proxima est, prout connexio cum effectu plus minusve accedit ad agentis certitudinem.

Remota ea est, quæ, attentis circumstantiis, aliquam quidem cum effectu habet connexionem, sed *parum probabilem* in mente agentis; v. g., venenum in aliqua tantum quantitate propinatum alicui jam ex aliunde debili, aliquam connexionem habet cum ejusdem morte post

annum subsecuta, cujus ideo causa remota reputari debet.

Quæ ultima divisio non est cum præcedente identica. Causa enim sive per se, sive per accidens, non admittit plus minusve, sed est, vel non. Insuper causa dicitur per accidens, quatenus licet non præcavere, aut moraliter impossibile est præcavere ejus effectum malum. At non licet non curare de effectu, præcise quia remote tantum influit causa; sunt enim effectus adeo graves, ut teneamur eos præcavere, etiamsi nobis parum probabiles videantur.

62. — Jam vero effectus *directe* intentus a causa procedit physice aut moraliter, *per se*, et *non per accidens*, proxime aut remote: effectus autem *indirecte* volitus a causa procedit physice aut moraliter, *per accidens* et *non per se*, proxime aut remote; ac proinde iste effectus plus minusve imputabilis est, prout physice aut moraliter, proxime aut remote ex causa directe volita oritur.

Sit v. g., dux qui, urbem impugnando, plures ex defensoribus et simul ex non pugnantibus per suos milites occidit: dux ille vult urbis occupationem ut finem, defensorum occisionem ut medium, ac proinde utriusque causa est *directa;* dat jussa ut milites illum finem per hoc medium obtineant, et ideo utriusque est causa *moraliter*, ac *per se;* attentis circumstantiis, illa jussa certam connexionem habent cum illo fine et medio, et ita utriusque dux est causa *proxima.*

Occisionem vero non oppugnantium dux non vult ut medium, nec ut finem; sed quia impossibile est urbem occupare et defensores occidere, quin simul plures ex non defensoribus pereant, ideo horum occisionis dux causa est *indirecta.*

Insuper ejusdem occisionis dux causa est tum *moralis,* cum illos innocentes non propria manu, sed per suos milites occidat; tum *per accidens,* cum contra illos innocentes non ordinet conatus militum; et tamen mors innocentum erit duci imputabilis, si urbis aggressio sit injusta; tum *remota,* quia non est certa connexio inter conatus ad hostes

occidendos et mortem innocentum, qui plus minusve remote inter ipsos hostes versantur.

63. — *Quæritur* 3° quodnam sit discrimen inter causam *per accidens* et causam *occasionalem?*

Resp. Causa per accidens vere influit in actum, ideoque participat naturam causæ efficientis; causa autem mere occasionalis est id, quod nec physice, nec moraliter influit in effectum, sed duntunxat cujus occursu vel præsentia agens sese determinat ad agendum, ita ut non ab alio, sed a seipso ad hanc determinationem deducatur. Unde occasio nonnisi improprie dicitur causa; et tamen per se sufficit ad incurrendum reatum scandali, nisi eam ponendi adsit ratio sufficiens.

o Ut autem distinctius perspiciatur quænam consectaria in quæstiones morales inducere possit illa notionum confusio, juvat aliqua afferre exemple. Qui furatur aut destruit rem modici valoris, prævidens fore ut dominus propter inordinatum affectum, quem gerit ad rem illam, contristetur immodice et etiam moriatur, est-ne causa hujus mortis? Affirmant non pauci, quia, positis circumstantiis, vere influit in illius mortem. Negant alii, quia destructio rei, de qua agitur, est tantum *occasio* mortis domini, causa vero hujus mortis est domini stultitia.

o Qui solo suo exemplo alios movet ad furtum, est-ne causa moralis hujus furti? alii affirmant, eo quod in hoc furtum vere influit, juxta axioma : *Verba movent, exempla trahunt.* Alii vero negant, eo quod, qui male agit, est tantum *occasio*, non autem causa mali ab aliis patrati; siquiden non censentur aliis dicere, quod suam agendi rationem imitentur.

§ II

De requisitis ut Actus sit malus.

Inquirendum est, scilicet, quid requiratur et sufficiat in actu libero, ut malitiæ seu peccati reatum incurramus. Quæstio expendi potest relative ad malitiam quæ directe aut indirecte apprehenditur a voluntate libera, n. 58.

NUMERUS PRIMUS

De effectu malo directe intento.

Jam diximus, n. 58, 60, 62, effectum directe intentum esse illud, quod eligitur tanquam finis vel tanquam medium, atque talem effectum semper esse in intentione, et a causa *per se* et non per accidens procedere. Sit igitur

PROPOSITIO.

64. — *Actus malus est simpliciter, quoties effectus directe intentus, id est, medium aut finis, rectæ rationi non consonat.* Certum est.

Etenim, ex dictis n. 52, 60, finis et medium sunt semper in intentione; ergo qui intendit finem, quem scit legi æternæ contrarium, vel adhibet medium, quod cognoscit legi seu rectæ rationi dissentaneum, eo ipso intentionem habet violandi legem; ideoque actum malum cum conscientia elicit, et ita formaliter peccat.

Revera actus moralis, qualis in individuo existit, duplici essentiali elemento nititur, scilicet, fine et medio, quæ ad unum actum efformandum indivulse concurrunt, n. 52; ergo essentiali rectitudine caret, atque ideo simpliciter malus est actus liber, si malum sit medium duntaxat, vel si malus sit tantum finis, vel a fortiori si malum sit utrumque. Unde axioma apud Moralistas vulgatum : *Malum ex quocunque defectu*, scilicet, ex parte medii, aut ex parte finis. Quæ sic evolvuntur :

65. — 1° Intentio *finis honesti* vitiatur ex electione *medii prohibiti.*

Nam, ex, ex dictis n. 52, qui vult finem, eo ipso vult et medium; ergo qui vult finem bonum consequi per malum medium; eo ipso vult malum in medio inclusum, et ideo mala est ejus intentio. Propterea dictum est : *Non faciamus mala, ut veniant bona ;* Rom. 3, v. 8. Sic, qui furatur ad dandam eleemosynam, vel mentitur ad salvandam vitam proximi, elicit actum simpliciter malum, quia intentio salvandi vitam proximi, aut subveniendi ejus indigentiæ, ut

movens ad furtum vel ad mendacium, vitiatur et fit mala.

Attamen malitia electionis medii prohibiti, ex bona intentione minuitur secundum quid. Malitia enim seu gravitas peccati attenditur ex affectu voluntario ad peccatum : porro, qui non appetit malum nisi ex amore boni honesti, minorem habet affectum ad bonum delectabile, quod in peccato placere solet; et ideo, cæteris paribus, minus peccat.

66. — 2° Electio *medii honesti* sordescit ex intentione *finis mali*.

Etenim in electione medii in se honesti, præcise ut est medium, non intenditur ipsa honestas medii, sed solum medii utilitas ad finem malum, n. 50, ita ut non eligatur medium nisi quia ad malum finem tendit; et ideo electio medii in se honesti sordescit ex intentione finis mali; v. g., qui dat eleemosynam unice ob vanam gloriam, non curat honestatem eleemosynæ; sed solum intendit vanam gloriam, ita ut, si eleemosyna ex se non esset honesta, et conduceret ad vanam gloriam, illam nihilominus assumeret.

Itaque intenti finis mali, v. g., vanæ gloriæ, inde fit pejor quod ordinet ad malum id, quod de se bonum est : siquidem recta ratio veta ne id quod bonum est, inserviat malo, et fiat quasi iniquitatis instrumentum.

67. — 3° Pejor est actus et majoris demeriti, per medium malum ad malum finem elicitus, quam per malum medium duntaxat, vel ad malum tantum finem.

Res per se patet; sic furtum ad fornicandum est opus pejus et majoris demeriti, quam si furetur ad divitias comparandas. Tunc adest specialis difformitas ex parte medii seu objecti, et alia ex parte finis.

Sed etiam multiplex potest esse malitia ex circumstanstiis, multiplex quoque ex multiplici fine : v. g., si furetur *in templo*, ad *fornicandum* et ad *lautius vino indulgendum*.

68. — *Quæritur* 1° an finis seu intentio *leviter* mala totam actus bonitatem corrumpat?

Resp. Distinguendum est, scilicet, vel finis leviter malus

§ et *totalis* vel *partialis* tantum. 1. Si finis leviter malus sit *totalis* totus corrumpitur actus, juxta omnes, ex jam dictis; tunc enim agens ex malo fine vult bonum sub ratione mali; et ideo prout volitum est ab eo, malum est; S. Th. 1, 2, q. q. 19, a. 7; v. g., qui dat eleemosynam unice ob vanam gloriam, elicit actum ex omni parte malum, ex jam dictis, n. 66.

2. Si finis leviter malus, sit *partialis* tantum, vel est primarius, vel secundarius.

Si sit *primarius*, ita ut antecedenter se habeat, et influat in totum opus, atque circumstantia finis boni superveniat tantum actioni jam ex se malæ; tunc actus totus malus est, juxta plerosque, quia finis malus in totam operis substantiam influit, eamque ideo totam corrumpit, secundum illud : *Modicum fermentum totam massam corrumpit;* I Cor. 5, v. 6. Sic, v. g., qui dat eleemosynam primario et ante omnia ob vanam gloriam, secundario autem et subsequenter ob sublevationem pauperis, elicit actum totaliter malum. Juxta alios, in hoc casu duplex actus elicitur, unus malus quo amatur eleemosyna propter vanam gloriam, alius bonus quo amatur eleemosyna propter sublevationem pauperis.

Si *secundarius* sit finis leviter malus, ita ut actioni jam bonæ ex se superveniat, nec influat in totum operis corpus, totus corrumpitur actus, juxta plures auctores, eo quod non potest dari duplex finis oppositus circa unum eumdemque actum, quin malus bonum inficiat, juxta effatum : *Bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu.* Sic, v. g., qui dat eleemosynam primario et principaliter ob sublevationem pauperis, secundario autem ob vanam gloriam, actum simpliciter etsi leviter malum elicit, juxta illos auctores.

Juxta vero communiorem sententiam, in hoc casu tantisper quidem minuitur, sed non substantialiter tollitur bonitas actus. Tunc enim finis malus se habet tantum *concomitanter,* quin in ipsam actionis substantiam influat, ita ut adsint duo actus, unus quo bonum amatur propter se, alter quo bonum amatur propter malum finem.

Idem dicendum est de alia circumstantia leviter mala, quæ in actionis decursu supervenit, v. g., aliquod tædium, aliqua negligentia, distractio.

Si secus esset, pauciores actus boni reperirentur. Nam pauca sunt opera etiam in viris sanctis attente vigilantibus, quibus in hac vita non desit aliqua debita circumstantia, vel non immisceatur aliqua mala circumstantia, puta, vanæ gloriæ, amoris proprii, nimiæ complacentiæ, remissionis, excessus, præcipitationis, inconsiderationis, etc. Unde S. Gregor., *Moral.*, lib. 35, ait : « Si de his operibus divinitus districte discutimur, *quis inter ista remanet salutis locus*, quando et mala nostra pura mala sunt, et bona, quæ nos habere credimus, *pura bona esse nequaquam possunt?* »

Aliunde finis principalis non potest destrui per finem accidentalem; et axioma theologicum, quod objicitur, semper verum est quoties objectum est malum, vel circumstantiæ, aut finis illud substantialiter inficiunt : hoc autem in præfato casu locum nullatenus habet.

69. — *Quæritur* 2° an, ut actus sit malus, necesse sit quod eliciatur præcise tanquam malus?

Resp. Negative. Sufficit ut quis velit ponere actionem, quam malam esse novit. Lex enim non tantum vetat appetere malum, sed et jubet vitare : *recede a malo :* atqui non vitat nec recedit, qui libere et scienter facit actionem cui malum annexum est.

Revera, non alio modo nobis possibilis est actus malus. Malum enim, cum sit aliquid negativum, seu absentia boni debiti, non est quid in se appetibile, nec ideo potest esse per se objectum voluntatis, quæ nonnisi bono terminari potest. Unde in rei veritate, malum non intendimus, nisi sub obtentu alicujus boni, in cujus volitione implicite includitur; videlicet, ita voluntas nostra afficitur, ut bonum istud assequi velimus non obstante defectu seu malo, quod annexum habet, et quod proinde simul cum illo non velle non possumus.

NUMERUS II

De effectu malo indirecte intento.

70. — Agitur de actu qui duplicem habet effectum, scilicet, unum directe seu tanquam finem aut medium intentum, alium vero indirecte seu non tanquam finem nec ut medium volitum, n. 58, 59; et quæstio est an effectus indirecte intentus, sit semper imputabilis, et ideo vitandus, quando in se seu materialiter malus est.

Jam vero Theologi tres exigunt conditiones, ut quis sit reus peccati ob effectum malum indirecte intentum, nempe, ut 1. agens libere ponat actionem; 2. prævideat aut saltem possit et debeat prævidere illum effectum ex sua actione secuturum; 3. absit legitima ratio illam actionem ponendi, non obstante malo effectu; id est, effectus malus indirecte volitus non compensetur per effectum bonum directe intentum, et ex causa in se bona aut indifferenti procedentem.

Porro duæ priores conditiones in omni re morali imputabili semper et necessario supponuntur, ex dictis, n. 18; et ideo tota difficultas nititur in tertia conditione, an, scilicet, posita compensatione effectus mali per bonum effectum, imputabilis non sit malus effectus. Unde

PROPOSITIO

71. — *Effectus malus indirecte intentus, ex causa in se bona aut indifferenti defluens, agenti non imputatur, modo compensetur per effectum bonum directe volitum.* Certum est.

Constat sensu et praxi communi hominum, Patrum et Theologorum. Etenim præfato principio omnes res politicæ, civiles et domesticæ reguntur, nec minor est illius usus in sacri ministerii exercitio et animarum regimine. Siquidem omnes consentiunt tolerandos esse abusus, et procrastinanda multa bona, metu majorum malorum; licitum esse confessario aut medico exercitium suæ professionis, non obstante periculo consentiendi concupiscentiæ motibus, quorum illa professio est occasio; in bello justo posse incendi civitatem, etiam cum imminenti innocentum

periculo; licitam esse mutilationem ad ipsius corporis conservationem, vel etiam occisionem injusti aggressoris ad propriam vitam servandam : porro talia et alia similia nihil aliud sunt, quam boni effectus directe intenti et compensantes effectus malos indirecte volitos, et ex eadem causa in se bona aut indifferenti procedentes; ergo constat thesis. S. Th., 2-2, q. 64, a. 7.

Hinc effectus malus, de quo agitur in propositione, respectu illius qui ejus causam ponit, non est malus moraliter, sed physice tantum et materialiter, n. 35.

Illud enim malum est moraliter, quod est in intentione et contra legem : atqui malus effectus, de quo agitur, non est in intentione, cum sit indirecte volitus, n. 59; nec contra legem respectu illius, qui ejus causam ponit, cum, ex hypothesi, adsit ratio sufficiens talem causam ponendi; ergo effectus hujusmodi est physice tantum malus, ita ut, deficiente illa ratione sufficienti, jam illicitus evaderet; atque ideo hæc ratio tollit motivum propter quod effectus ille moraliter malus diceretur, sicque in hoc casu objici non potest axioma : *Bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu.* Tota proinde difficultas contrahitur in determinanda illa ratione sufficienti. Unde

O 72. — *Quæritur* 1° quandonam bonus effectus directe intentus censetur compensare malum effectum indirecte volitum?

Resp. Ad hujusmodi æstimationem, tribus attendendum est, scilicet, gravitati effectus boni vel mali ad invicem spectatæ, personæ agentis, relationi connexus inter actionem et effectum sive bonum, sive malum.

Et quidem 1° *gravitati effectus boni et mali.* Licita est enim aut illicita actio, si bonus effectus sit major vel minor malo, et ideo uterque ad invicem comparandus est.

Quæ comparatio ut facilius statuatur, consideranda sunt ordo charitatis, et natura mali effectus. 1. *Ordo charitatis Deo, sibi et proximo debitæ.* Quantumvis enim actio sit in se bona aut indifferens, si indirecte producat effectum illius ordinis læsivum, eo ipso effectus malus ordinarie non compensabitur, ideoque erit illicitus. Sic, v. g.,

fuga tempore persecutionis, est actio ex natura sua indifferens; si vero præsentia Pastoris aut alterius sit necessaria ad tuendum honorem Deo debitum, abstinendum est a fuga, etiam cum propriæ vitæ periculo; alioquin vita temporalis honori divino anteponeretur, sicque everteretur ordo charitatis Deo debitæ.

Simili ratione, Sacerdos, medicus, tempore pestis, nequeunt se transferre in alia loca, quandiu eorum præsentia necessaria est, ubi sævit pestis; alioquin bonum nostrum corporale anteponeretur bono spirituali proximi, aut bono temporali ipsius communitatis; et ita everteretur ordo charitatis debitæ. Vide Tract. *de Decalog.* n. 178.

Sic etiam christianus statuere nequit domicilium in loco, in quo nullum habebit religionis auxilium; ex charitate enim erga seipsum, quisque tenetur magis providere vitæ suæ spirituali, quam corporali.

2. *Natura mali effectus.* Quo enim pejor erit et irreparabilior ille effectus, eo magis necessarium et majus esse debet bonum, quod directe intenditur : porro, cæteris paribus, pejor est effectus qui consistit in peccato alterius, quam in mera deordinatione juridica; et rursus, peccatum alterius, cui facilitas aut occasio præbebitur, cæteris paribus, pejus erit et fœdius, si lædat ipsam legem naturalem, quam si læderet legem positivam; iterum, si peccatum alterius opponatur legi divinæ positivæ, pejus erit malum, quam si opponeretur legi tantum humanæ; tandem, cæteris paribus, pejor est effectus, si peccatum alterius sit contra justitiam, quam si contra charitatem tantum; in priori enim casu, adest duplex deordinatio, nempe contra charitatem et contra jus alterius.

At sedulo notare necesse est, quod gravitas effectuum non ponderanda sit et conferenda pro casu particulari tantum et concreto, sed pro casu generali, seu respectu bonorum aut malorum, quæ pro societate hominum ex tali causa oritura forent. Fieri enim potest quod, ratione boni publici, lex naturalis permittat quosdam actus, qui ratione habita solius boni particularis, essent prohibiti, et ideo investigandum est quid ante omnem eventum magis expediat hominum communitati.

Sic, v. g., ex occisione injusti aggressoris, sequitur conservatio vitæ corporalis innocentis, et simul æterna damnatio hominis nefarii, qui moritur in ipso criminis actu. Iste malus effectus, si in se precise consideretur, longe superat bonum conservationis vitæ corporalis in innocente. At, si attendatur quantam potentiam sumerent malefactores, negato defensionis jure, statim deprehendetur longe majus malum secuturum fore ex illius juris denegatione; siquidem jam in immensum cresceret malefactorum audacia. Quibus igitur attentis, patet bonum effectum, seu publicam securitatem abunde compensare malum, in quod injustus agressor ex malitia sua se conjicit.

2° Attendendum est *personæ agenti*, videlicet, hujus juribus et officiis.

Et quidem *juribus*. Quo enim minus juris habemus ad actionem bonam in se spectatam, eo major debet esse ratio ponendi causam mali effectus, qui ex ea secuturus est, et reciproce. Unde, juxta communem sententiam, difficilius excusatur qui sacramentum non necessarium petit ab indigno ministro, quam qui petit necessarium ; vel qui a ministro extraneo illud petit, quam si petat a proprio Parocho.

Officiis etiam. Nam communis obligatio vitandi malum effectum, tollitur per effectum bonitatis communis ; specialis autem obligatio non tollitur nisi per effectum bonitatis specialis. Sic specialis obligatio, quæ parentibus aut Parocho incumbit impediendi peccata filiorum aut parochianorum, non tollitur nisi per specialem rationem a correctione sese abstinendi.

3° Denique attendendum est *relationi connexus et influxus* inter causam et effectum sive bonum, sive malum.

Et quidem *connexus* duplici modo existere potest, prout actio mea est sola causa mali effectus, vel non sola causa ; sic, v. g., caupo qui bibulo dat potum, habitat vel in pago, ubi nullus est caupo præter ipsum, vel in civitate, ubi multi sunt caupones, et semper ad lucrum parati : evidenter major requiritur necessitas et effectus melior in primo casu, quam in secundo ; cum in civitate ebrietas erit, vel per me, vel sine me ; in pago autem non erit, nisi per me.

Influxus potest esse plus minusve positivus, plus minusve determinabilis, n. 61, 62 : atqui periculum remotum, vagum et indeterminatum mali effectus etiam gravioris, satis compensatur per proximum influxum actionis in bonum effectum. Nisi enim hoc liceret, omitterentur multæ actiones in se bonæ et utiles, cum gravi detrimento privatorum et ipsius societatis ; ergo, si causa proxime influat in bonum, et nonnisi remote in malum effectum, licite ponetur, saltem ordinarie, etiam ob rationem non ita gravem.

73. — Dixi : *saltem ordinarie*. Nam si causa remote influeret in grave damnum tertii præsertim irreparabile, jam deesset proportio, ideoque læderetur ordo charitatis, quæ non permittit ut propter rationem non ita gravem, demus causam etiam remotam malo proximi gravissimo.

Cæterum, cum remota causa multos gradus admittat, n. 61, hic præligi nequit invariabilis regula æstimationis. Notare sufficiat obligationem abstinendi a ponenda causa remota damni tertii, eo strictiorem fore, quo damnum illud erit gravius et irreparabilius. Sic, v. g., non desunt graves Theologi, qui sentiunt mulieri gravidæ abstinendum fore

a gestando grave onus, a saltatione immodica, etc., etiamsi hujusmodi actiones ex viginti vicibus semel tantum aut iterum causarent abortum.

74. — *Quæritur* 2° quale peccatum committat, qui pravi effectus indirecte voliti causam in se bonam aut indifferentem ponit, cum ratione *notabiliter insufficienti?*

Resp. Ut determinetur illius peccati gravitas, attendendum est ad voluntarietatem causæ, ad mali effectus naturam, ad proximitatem influxus in effectum malum.

Et quidem 1. *ad voluntarietatem causæ.* Quoties causa erit venialiter tantum culpabilis ob indeliberationem seu imperfectionem voluntarii, toties effectus in illa tantum causa voluntarius, erit quoque venialiter tantum culpabilis, quantumvis ratione sui sit enormis.

Revera tota voluntarii indirecti ratio ex causa deducitur, cum nunquam sit in se intentus, n. 59, 60, ac proinde effectus positus cum imperfectione voluntarii in causa, non potest esse nisi imperfecte voluntarius in se, et ideo venialiter tantum culpabilis.

Unde hæc regula quam attulerunt aliqui Theologi : *effectus in causa tantum voluntarius non magis culpabilis est, quam ipsa causa;* vera est si intelligatur de culpabilitate ratione voluntarietatis, non vero de culpabilitate sub omni respectu ; siquidem effectus in causa prævisus sæpe communicat causæ de se bonæ suam malitiam, ut constat ex dictis de actione de se bona aut indifferenti, a qua tenemur sæpe abstinere, ad præcavendum malum effectum, qui ex ea sequeretur, n. 71. Quare

2. Attendendum est etiam *ad naturam ipsius effectus.* Vel enim gravis est deordinatio, et tunc effectus ex hac parte ad lethalem culpam imputabitur; vel est levis, quale est peccatum veniale, aut etiam deordinatio quæ materialiter considerata haberi potest ut levis : tuncque non potest excedere veniale, ut per se patet.

3. Tandem attendendum est *ad proximitatem* seu *gradum influxus.* Effectus enim non imputatur, nisi quatenus voluntarius est : atqui tota ratio voluntarii indirecti ex causa desumitur, cum illud nunquam in se intendatur, n. 59 : ergo plus minusve voluntarius ac proinde imputabilis est effectus indirecte volitus, prout causa proximius aut remotius in illum influit, n. 61.

Unde, si causa proxime influat in effectum malum, nihil ex hac parte deerit, ut positio causæ possit esse mortale peccatum. Si vero remote tantum influat, positio causæ erit venialis, salva tamen restrictione supra exposita, n. 73: idque, eadem ratione, verum est, etiamsi actio ex qua remote tantum fluit malus effectus, sit aliunde graviter culpabilis.

§ III

De requisitis ut Actus sit bonus.

75. — In duplici numero dicemus 1° de necessitate intendendi bonitatem actus, ut hæc agenti imputetur; 2° de natura illius bonitatis, quæ intendi debet.

NUMERUS PRIMUS

De necessitate intendendi bonitatem Actus, ut hæc agenti imputetur.

PROPOSITIO

76. — *Ut actus sit moraliter bonus, necesse est ut voluntas saltem confuse feratur in objectum tanquam bonum et honestum.* Certum est,

Etenim voluntas non dicitur bona, nisi quatenus vult bonum : porro, quando agens bonum saltem confuse non sibi proponit, voluntas dici nequit velle bonum, licet in se bona sit actio, circa quam versatur; ergo, ut actus sit moraliter bonus, necesse est quod voluntas saltem confuse et vere sese ferat in objectum tanquam bonum et honestum, seu tanquam in Deum referibile.

Revera, illud solum est homini libere agenti imputandum, quod sub ejus libera electione cadit : atqui nisi voluntas vere feratur in objectum ut honestum, hæc honestas nullo modo cadit sub electione libera, nec proinde homini libere agenti est imputanda.

77. — Hinc, qui ordinat actum seu medium de se bonum ad finem bonum, eo ipso intendit et ipsam bonitatem *medii*.

Namque, in hoc casu medium non est utile ad finem bonum, nisi quia est in se bonum et honestum, ac proinde medium intendi nequit ut utile, quin intendatur ut honestum. Sic, v. g., qui facit eleemosynam ad suorum delictorum pœnitentiam, intendit honestatem et eleemosynæ et pœnitentiæ, eo quod eleemosyna non conducit ad pœnitentiam nisi ratione propriæ honestatis.

78. — *Quæritur* an non solum confuse, sed etiam *explicite* saltem aliquoties bonum velle debeamus?

Resp. Affirmative. Etenim variis tentationibus, quæ ad malum sæpe nos impellunt, resistere non possumus, quin fugam mali expresse velimus : porro voluntas malum vitandi, eadem est ac voluntas bonum faciendi, cum malum sit negatio boni; ergo saltem aliquoties bonum expresse velle debemus. Sic, v. g., qui resistit tentationi superbiæ, voluptatis, iræ, præcise quia in iis adest oppositio legi naturali, eo ipso vult expresse bonum seu tali legi conformitatem.

Insuper, plura sunt præcepta affirmativa, v, g., fidei, spei, charitatis, religionis, pœnitentiæ, quæ in vita interdum per se urgent : porro tales actus perfici non possunt absque expressa voluntate bonum faciendi; ergo aliquando per se tenetur homo bonum expresse velle.

NUMERUS II

De natura bonitatis, quæ, ut Actus sit bonus, intendi debet.

79. — Multiplex est error aut opinio circa hoc punctum. Videlicet, juxta quosdam philosophos, ille tantum actus moraliter bonus est, qui solo bonitatis moralis intuitu peragitur, absque ulla mercedis seu propriæ felicitatis consideratione et influxu. Ita, apud veteres, stoicæ scholæ philosophi; apud recentiores vero, Kantius et Fichteus in Germania, et Jouffroy in Gallia.

Hæretici autem contenderunt in statu naturæ lapsæ, nullum actum moraliter bonum esse, nisi ad Deum referatur ex motivo charitatis prædominantis : ita Baius, Jansenius; vide Tract. *de Gratia*, 140, 148, 254. Quidam Theologi docuerunt adesse pro christiano peccatum veniale omissionis, nisi actus ad Deum referatur ex motivo charitatis saltem initialis : ita olim Lovanienses; vel saltem ex aliquo motivo supernaturali : ita plures, inter quos Estius. Contra sit.

PROPOSITIO PRIMA

80. — *Actum moraliter bonum perficit agens, qui, inter*

agendum, sibi reflexe et distincte proponit mercedis a Deo promissæ consecutionem. Certum est.

Constat 1° *Script.* Etenim actus spei et timoris ut boni commendantur, imo et præcipiuntur, in Scriptura, cum dicitur : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, etc. » Matth. 25, v. 34 : porro, qui hujusmodi actus elicit. sibi proponit vel possessionem Dei consequendam, vel Dei privationem vitandam per obligationis aut consilii expletionem ; ergo actum laudabilem et ideo honestum perficit, qui, inter agendum, sibi reflexe proponit mercedis a Deo promissæ consecutionem.

2° *Traditione* sive sacra, sive profana. Namque SS. Patres, Concilia, Theologi et Philosophi ingenio et sana doctrina inter cæteros præstantes, unanimiter docuerunt bonum esse actum spei beatitudinis æternæ, vel timoris gehennæ, seu elicitum intuitu mercedis obligationem expletam consequentis. Vide Tract. *de Gratia*, n. 17, 30, 53 ; *de Pœnit.*, n. 4, 144, 148, 177. Unde Conc. Trid., sess. 6, can. 31, sic definivit : « Si quis dixerit justificatum peccare, *dum intuitu æternæ mercedis bene operatur :* anathema sit. »

3° *Ratione.* Ille actum moraliter bonum perficit, qui, ex una parte, nihil prorsus mali vult, et, ex altera, vere bonum intendit : atqui agens de quo movetur questio, 1. *nihil mali vult.* Nam eliciendo actum propter mercedem explicite conceptam, nihil aliud in rei veritate intendit, quam consectarium ex ipsius obligationis aut consilii expletione profluens : porro tale consectarium non est malum ; ergo nec mala est ejusdem volitio.

2. Idem agens *vere bonum intendit.* Mercedem enim velle non potest, qui primario seu tanquam mercedis causam velit moralem bonitatem actus seu obligationis aut consilii expletionem, quæ a mercede essentialiter præsupponitur : porro, qui directe et in se vult moralem actus bonitatem, sine dubio vere bonum intendit ; ergo actum moraliter bonum perficit, qui inter agendum, sibi reflexe proponit mercedis a Deo promissæ consecutionem.

Revera, ex una parte, propria et ultima merces obligationis expletæ, est ipsius Dei possessio in ordine naturali aut supernaturali; ex altera vero, qui bonitatem actus intendit, intuitu possessionis Dei, non ordinat Deum ad seipsum, sed seipsum ad Deum tanquam ad finalem beatitudinem : porro talis motus Deum honorat, et ideo laudabilis est; ergo intentio mercedis a Deo promissæ non tollit bonitatem actus.

81. — Attamen 1. actum moraliter bonum non eliceret, qui, adimplendo obligationem intuitu possessionis Dei, ita affectus esset, ut illum actum non perficeret, si a Deo mercedem non speraret, vel si Dei privationem non timeret. Tunc enim ex spe mercenarii, vel ex timore serviliter servili ageret, seu vere et in se bonitatem actus non intenderet; ac proinde actum vere honestum non eliceret. Vide Tract. *de Pœnit.*, n. 151 et seq.

2. Patet etiam perfectiorem esse actum elicitum intuitu solius bonitatis moralis seu ex amore puro, quam intuitu mercedis divinæ seu ex amore concupiscentiæ. Nam in priori casu, nullus est in intentione respectus ad proprium commodum; dum, in posteriori, intuitus propriæ felicitatis ipsam boni intentionem afficit.

PROPOSITIO II

82. — *Ut actus sint moraliter boni, non requiritur quod referantur ad Deum ex motivo charitatis prædominantis.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Etenim, ex thesi præcedenti, in Scriptura sæpe laudantur, imo et præcipiuntur actus fidei, timoris, spei, pœnitentiæ, sive sint cum charitate habituali aut actuali, sive non; ergo præfati actus in se et in nobis boni sunt etiam absque charitatis influxu.

Imo Scriptur aut aliqua mercede apud Deum digna, exhibet opera quædam ab infidelibus peracta, ex dictis in Tract., *de Gratia*, n. 253, 254 : atqui in infideli, cum omnino deficiat fides, a fortiori deficit charitas quæcumque, cum charitas fidem necessario præsupponat; ergo absque

charitatis influxu actus, in statu naturæ lapsæ, possunt esse boni.

2° *Traditione.* Ex Conc. Trid., 1. actus fidei, timoris, spei generatim præcedunt charitatem etiam initialem in peccatore; atque illi actus non solum sunt boni, sed etiam supernaturales et necessarii ad justificationem consequendam; 2. attritio ex sola turpitudine peccati, aut ex solo gehennæ metu et pœnarum est salutaris; nec peccat justificatus, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, n. 80. Vide Tract. *de Gratia*, 275, 284, 285, *de Pœnit.*, n. 4, 144, 148; ergo boni esse possunt actus, in præsenti statu, absque charitatis influxu.

Idem constat ex damnatione hujus propositionis a Baio assertæ : « Non est vera obedientia, quæ fit sine *charitate.* »

3° *Ratione Theol.* 1. Juxta adversarios, nullus est actus moraliter bonus, nisi procedat ex charitatis influxu, quia, in statu naturæ lapsæ, inter dominantem cupiditatem et charitatem dominantem, nulli ponuntur effectus medii : atqui hoc ut falsum damnatum est tum Bulla Pii V, contra Baium, tum Bulla *Auctorem fidei*, prop. 23, 24; ergo falsum est in statu naturæ lapsæ non dari actus bonos, nisi ex charitate prædominante procedant.

2. Plures sunt virtutes plane a charitate distinctæ, v. g., fides, spes, religio, gratitudo, pœnitentia : atqui, nisi actus illarum virtutum sint in se boni absque charitatis influxu, jam non erunt virtutes proprie dictæ a charitate distinctæ, seu qualitates *per se* disponentes animæ potentias ad suas operationes recte exercendas; ergo, actus diversarum virtutum sunt moraliter boni absque charitatis influxu.

83. — *Obj.* Dicitur in Scriptura : « *Diliges* Dominum Deum tuum *ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis;* » Deuter. 6, v. 4-9; Matth. 22, v. 37 : porro ille non diligit Deum ex toto corde suo, cujus omnes actus non ex charitate procedunt; ergo, etc.

Resp. Præfatus textus triplici sensu intelligi potest, scilicet, 1. quod teneamur Deum super omnia bona contingentia anteponere ac diligere, ita ut nunquam, ex concupiscentia boni cujuslibet contingentis, peccatum mortale committamus atque a fine ultimo nos averte-

tamus : in hoc adest amor Dei appretiative summus; 2. quod teneamur in singulis actibus amoris affectum elicere; 3. quod teneamur saltem hunc amoris affectum ita brevibus intervallis elicere, ut omnia opera nostra censeantur ex ejus influxu procedere.

Porro ad primum certe tenemur, ex dictis in Tract. *de Decalogo*, n. 69; ad secundum nos teneri nemo dixerit, ut jam innuimus, n. 80, et ut ex thesi præcedenti constat. Revera, præcepta affirmativa semper non obligant, nec in præsenti statu potest homo semper et pro semper actus charitatis elicere. Nec proinde ad tertium tenemur, quia si necesse non sit semper et pro semper actus charitatis elicere, pariter necesse est semper et pro semper elicere actus, qui ex charitatis influxu procedant.

Quandonam autem elici debeat actus ex motivo charitatis, dicemus in Tract. *de Decalogo*, n. 71.

PROPOSITIO III

84. — *Christiani non tenentur, sub peccato omissionis, omnes actus ad Deum ex motivo charitatis saltem initialis referre.* Ita communiter.

Sequitur ex thesi præcedenti. Etenim, juxta Lovanienses, boni sunt quidem actus qui procedunt a virtibus a charitate distinctis; sed tamen operans fit reus peccati saltem venialis, quoties non agit ex charitate saltem initiali, quia ad hoc tenetur ex præcepto dilectionis Dei : porro, ex thesi præcedenti, præceptum dilectionis Dei quatenus affirmativum non obligat semper et pro semper, seu aliquando tantum; ergo Christiani non tenentur omnes actus ad Deum ex motivo charitatis referre sub peccato omissionis.

Revera, actus fidei, spei, timoris, pœnitentiæ ordinarie præcedunt charitatem, atque disponunt ad justificationem, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 275; ergo, qui illos actus elicit, etsi ex motivo charitatis non agat, peccatum omissionis non committit; alioquin, peccando, simul se disponeret ad justificationem.

Aliunde parum sibi cohærent Lovanienses, dum non exigunt nisi charitatem initialem seu nondum super omnia, et quidem sub veniali tantum. In primo enim Decalogi præcepto, quo nituntur, præcipitur certe charitas dominans et sub gravi.

Similiter non sibi cohærent, dum asserunt opus non vitiari illo peccato omissionis. Namque, juxta illos, omne opus elici debet ex motivo seu fine charitatis saltem initialis : porro, ex communi doctrina Theologorum, actio, carens debito fine, est in se defectuosa, ac proinde non est bona, cum bonum sit ex integra causa, n. 68. Vide Tract. *de Gratia*, n. 254.

PROPOSITIO IV

85. — *Ut actus sit moraliter bonus, non requiritur pro Christianis quod semper intendatur ejus bonitas supernaturalis.* Ita communiter.

Etenim supernaturalis bonitas ad actus moraliter bonum requiritur vel jure divino positivo, vel jure naturali : atqui neutrum; ergo, etc.

Et quidem 1° non *jure divino positivo,* scilicet, non ex primo mandato, nec ex verbis S. Pauli : « Sive manducatis, sive bibitis... *omnia in gloriam Dei facite;* » I Cor. 10, v. 31. — « *Omne quodcunque facitis* in verbo aut in opere, *omnia in nomine Domini Jesu Christi;* « Coloss. 3, v. 17.

Etenim primum mandatum semper quidem obligat negative, quatenus prohibet, quin unquam aliquid agamus divinæ charitati repugnans; semper autem et pro semper non obligat ad eliciendos charitatis actus, juxta omnes, alioquin esset in praxi impossibile.

Similiter verba S. Pauli, utpote affirmativa, non obligant semper et pro semper ad actum; sed continent vel consilium tantum, vel præceptum nihil agendi contra gloriam Dei, vel præceptum omnia ad Deum referendi ex motivo tantum naturali; ergo supernaturalis bonitas ad actum moraliter bonum non requiritur jure divino positivo. « Non est necessarium quod omnia in Deum referantur actu, sed habitu... omnia actu in Deum referre, non est possibile in hac vita, sicut non est possibile ut semper de Deo cogitetur : hoc enim pertinet ad perfectionem patriæ. » S. Th., *Lect.* 3, *in Coloss.* 3; *Quæst.* 3, a. 11, ad 2, *de Carit.*

Tandem, si ex motivo aliquo supernaturali elici deberet actus, ut essent moraliter bonus, eo ipso omnia opera infi-

delium essent peccata : porro in hoc damnatus est Baius, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 140; ergo actus, ut sit moraliter bonus, non semper elici debet ex aliquo motivo supernaturali.

2° *Nec jure naturali*, quod duo tantum dictat, nempe, nullum eliciendum esse actum, qui a fine supernaturali avertat; et eliciendos esse actus ad finem supernaturalem consequendum præscriptos : porro non semper urget obligatio eliciendi actus supernaturales, ex jam dictis; atque, ut homo non agat contra finem supernaturalem, sufficit quod ejus actus sit bonus bonitate naturali aut etiam indifferens, juxta plures, n. 91; ergo supernaturalis bonitas ad actum moraliter bonum non semper requiritur jure naturali.

« Non oportet, inquit S. Th., 2 dist. 40, q. 1, a. 5, ad 8, quod intentio actualis ordinans in finem ultimum sit semper conjuncta cuilibet actioni, qui dirigitur in aliquem finem proximum; sed sufficit quod *aliquando actualiter* omnes illi fines in finem *ultimum* referantur, id est, *quando oportet habitum charitatis exire in actum;* quia quandocunque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, et, per consequens omnium eorum, quæ in ipsum ordinantur, ut bona sint. »

86. — Conclusio. Ex præfatis, ut actus sit moraliter bonus requiritur et sufficit quod nullam rectæ rationi contrarietatem scienter implicet; quod ejus bonitas moralis saltem confuse intendatur; et quod aliquando etiam, seu quoties per se aut per accidens præcipitur, supernaturalem bonitatem contineat.

87. — *Quæritur* 1° an, ut actus sit bonus et meritorius, requiratur ut sæpius renovetur intentio, seu *actualiter* referatur ad Deum, v. g., singulis diebus?

Resp. Sufficit plane relatio perseverans vi relationis antea actu elicitæ. Intentio enim virtualis est vere existens et efficax. At, cum, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 261, 262, 263, 347, homo in statu præsenti indesinenter alliciatur

concupiscentia superbiæ, aut voluptatis, aut cupiditatis, exinde brevi tempore deficit a bona intentione, nisi plus minusve frequenter suam intentionem renovet, juxta illud : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem;* Matth. 26, v. 41. — « *Vigilate omni tempore orantes*, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis; Luc. 21. v. 36, — *Vigilate in orationibus;* I Petr. 4, v. 7[1].

88. — *Quæritur* 2° an, ut actiones sint meritoriæ, necesse sit agere ex motivo *supernaturali*, aut saltem *de Deo cogitare?*

Resp. Distinguendum est, scilicet, vel agitur de merito alicujus boni ordinem naturalem non superantis, vel de supernaturali merito gratiæ et gloriæ.

Si prius, non requiritur motivum supernaturale, nec de Deo explicita cogitatio, sed sufficit ut intendatur bonitas ipsi operi intrinseca, vel alia fini operantis propria : posita enim hujusmodi bonitate vere intenta, opus per se et quasi proprio pondere ad Deum refertur; sic, v. g., qui facit eleemosynam ob sublevamen pauperis, eo ipso conformis est voluntati divinæ, quæ intendit illud sublevamen.

Si posterius, requiritur non solum status viatoris, status gratiæ, opus liberum et honestum, gratia excitans et adjuvans, sed etiam motivum supernaturale, ut communiter sentiunt Theologi contra Vasquez, qui asserit sufficere motivum ordinis naturalis. Vide Tract. *de Gratia*. n. 342.

1. « Aspirez *bien souvent* en Dieu par de courts, mais ardents élancements de votre cœur; interrogez-le *souvent* de votre salut; donnez-lui *mille fois le jour* votre âme, et faites *mille sortes de divers mouvements de votre cœur* pour vous donner de l'amour de Dieu, et vous exciter à une passionnée et tendre dilection de ce divin époux.

« En cet exercice de la retraite spirituelle, et des oraisons jaculatoires gît la grande œuvre de la dévotion : il peut suppléer au défaut de toutes les autres oraisons, mais le manquement d'icelui ne peut presque point être réparé par aucun autre moyen. Sans lui on ne peut pas bien faire la vie contemplative, et *on ne saurait que mal faire la vie active; sans lui, le repos n'est qu'oisiveté, et le travail qu'embarrassement.* C'est pourquoi je vous conjure de l'embrasser de tout votre cœur, *sans jamais vous en départir*, » Saint François de Sales, *Vie dévote*, 2e part., c. 13.

89. — *Quæritur* 5° quænam sint motiva, ex quibus elici potest actus bonus bonitate *supernaturali?*

Resp. Quinque sunt hujusmodi motiva pro quinque virtutibus quæ nos ad Deum ordinant scilicet, motivum *charitatis, religionis. gratitudinis, pœnitentiæ, spei* seu timoris. Hæc evolvuntur in Tract. *de Pœnit.*, n. 138, 144, 145, 148; *de Decalog.*, n. 40, 49, 60, 64, 73.

§ IV
De Actu indifferenti.

90. — *Quæritur* 1° quid sit actus indifferens, de quo agitur?

Resp. Actus indifferens est ille, quem lex et ratio nec approbant, nec improbant; qui nec laude, nec vituperio dignus est in creatura rationali; qui voluntatem nec meliorem, nec magis improbam reddit; qui demum non est præceptus aut approbatus positive, nec prohibitus, nec juxta, nec contra, sed *præter* legem.

91. — *Quæritur* 2° an actus vere humanus seu rationalis possit esse indifferens?

Resp. Juxta omnes, 1. quoad ordinem supernaturalem, nullus actus ex voluntate deliberata procedens esse potest indifferens. Adest enim saltem consilium omnes actus perficiendi ex motivo supernaturali, ad finem supernaturalem consequendum; et ideo omnis actus vere rationalis, qui ex motivo supernaturali non elicitur, est saltem *imperfectio* plus minusve voluntaria, seu *violatio consilii* in ordine supernaturali.

2. Juxta omnes etiam dantur actus indifferentes in *specie* seu ex parte objecti, abstrahendo a fine et cæteris circumstantiis, ita ut sint actus quorum objectum nihil boni, nihil mali ex se exhibet : sic, v. g., ambulare, ire ad campum, levare festucam, per se non est juxta nec contra aliquam legem.

3. An vero, ratione moralitatis in ordine naturali, sint actus indifferentes *in individuo*, id est, si sumantur com-

parate ad objectum, finem et omnes circumstantias, controvertitur.

Negant S. Thomas et Thomistæ, Bellarminus, Suarez, Valentia, Collet, etc., juxta quos finis ultimus cujuscunque actus vere rationalis est Deus vel creatura, ac proinde bonus vel malus.

Affirmant Scotus et Scotistæ, Alex. Alensis, S. Bonaventura, Gabriel, Vasquez, etc., juxta quos possunt esse actus quibus rei creatæ inhæreamus per modum finis negative ultimi, id est, non intendendo Deum, sed nec etiam eum excludendo aut creaturæ postponendo, scilicet, aliquando appetendo delectationem aut commodum temporale absque ulteriori intentione. Quæ sic statuuntur :

92. — I. Opinio Thomistarum. *Nullus est, nec esse potest actus moraliter indifferens in individuo.*

Prob. 1° *Script.* « Dico autem vobis, quoniam *omne verbum otiosum*, quod locuti fuerint homines, *reddent rationem de eo in die judicii;* » Matth., 12, v. 36.

Ex illo textu verbum otiosum absolute loquendo, malum est et pœnæ dignum. Nam Christus illo singulari exemplo ostendere voluit, quam sint graviter puniendi homines pro verbis gravioribus : porro, si homines non sunt puniendi pro verbo etiam otioso, et ideo si hoc verbum non est malum, jam illa comminatio Christi nullum fere pondus aut energiam habet nec ullum metum inferret; ergo, absolute loquendo, malum est et dignum pœnæ verbum otiosum.

Revera « talis sensus communis est totius Ecclesiæ et Sanctorum, adeo ut nullus timoratus dubitet se accusare de verbis otiosis, omnesque existiment esse sufficientem et indubitatam materiam confessionis; » ait Suarez, *de Act. Hum.*, Tract. 3, disp. 9, sect. 3.

Porro verbum otiosum est illud, quod caret utilitate, rationabili causa, ut aiunt SS. Hieronym., Basilius, Gregorius, Bernardus, apud Suarez, *ibid.*, seu quod fine honesto destituitur; ergo omnis actus humanus ob finem honestum non elicitus, malus est, ac proinde non datur actus indifferens in individuo.

2° *Auctoritate.* « Mirum, si voluntas potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit. Aut enim justitiam diligimus, et bona est, aut si omnino non diligimus, mala est. » S. August., *de Peccat. meritis,* lib. 2, c. 18. Ita etiam S. Prosper, S. Fulgentius.

3° *Ratione.* 1. Omnis actus humanus ad aliquem finem in intentione agentis vere ultimum tendit : porro hujusmodi finis est vel Deus, vel creatura; non datur enim medium : si sit Deus, bonus est finis et actus, saltem ratione finis : si sit creatura, malus est finis et actus; ergo nullus est actus in individuo indifferens.

2. Delectatio, quæcunque sit, per *se sola actum determinans,* non potest esse motivum moraliter indifferens. Etenim delectatio est grata modificatio illius, qui eam experitur; et ideo, si determinet actum, hujus actus finis ultimus erit ipsa creatura sic grate modificata : porro rationi repugnat quod creatura unquam sit finis ultimus actus cujuslibet deliberati; ergo nulla delectatio, per se sola actum determinans, potest esse motivum moraliter indifferens.

Revera, delectatio actibus sive elicitis. sive imperatis naturaliter annexa est, non sane ut ea ducamur, fruamur atque in ea sistamus brutorum instar, sed duntaxat ut ea excitati facilius et melius actus deliberatos efficeremus. Unde sic : delectatio est propter operationem : atqui illum ordinem perturbat, qui agit ut delectetur, non delectatur ut agat; ergo in hoc non est actus moraliter indifferens, sed vere malus. S. Th., 1, 2, q. 4, a. 10 ad 2. « Cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res quæ canitur, moveat, me peccasse confiteor; » ait S. August., *Confess.*, lib. 10, c. 33.

93. — II. Opinio Sotistarum. *Datur actus indifferens in individuo.*

Etenim 1° reddenda est ratio de verbo otioso, non quia sit malum in se, pœnamque subeundam trahat; sed solummodo quia est saltem imperfectio in ordine supernaturali, sicque nos privat aliquo gradu meriti et gloriæ; vel quia

eo instanti, quo profertur, urget obligatio gravibus et utilibus verbis incumbendi : « Sic otiosum dicimus, non qui nihil actu facit, sed qui negligit quod facere tenetur, » ait S. Bonavent.

Aliunde, interpretatio a Thomistis allegata, non est adeo communis et constans, ut sit decretoria; revera S. Chrysost. et plures alii Græci inter verba otiosa numerant mendacia, calumnias, etc.

2° Peccat sane qui re creata qualibet fruitur, in ea reponendo finem positive ultimum; non peccat autem qui creaturæ inhæret per modum finis negative ultimi, id est, qui non intendit Deum, sed nec etiam eum excludit aut creaturæ postponit. Sic, v. g., qui delectatur florum odore, visu naturæ campestris, amicitiæ suavitate, nec de ulteriori relatione illius delectationis cogitat, non peccat, quia, ex una parte, percipit oblectamentum ab ipso Deo talibus actibus annexum uti fini intermedio; et, ex alia, nec Deum quatenus finem ultimum excludit, nec instar brutorum delectatur, cum tunc etiam obsequitur rationi et conscientiæ, quatenus has actiones permittit et concedit. Hoc modo interdum aliquam delectationem sensibilem sectamur, prout postulat natura animæ corpori unitæ, aut aliquod levamen quærimus præsertim in iis rebus, in quibus delectatio sensibilis videtur finis a natura intentus.

Revera unusquisque agere potest ad suam beatitudinem consequendam, ex dictis n. 80; porro beatitudo nihil aliud est quam delectatio plena et consummata; ergo qui delectationem intendit, non eo ipso peccat.

Respondent Thomistæ : 1. qui delectatur florum odore, visu naturæ campestris, suavitate amicitiæ, ita ut in hujusmodi dilectatione sistat, eo ipso delectationem intendit non uti fidem intermedium, sed ultimum.

2. Nunquam ratio et conscientia permittit ut in delectatione qualibet conquiescamus, aut saltem de hoc disputatur, et ideo in probationem non afferendum est.

3. Natura animæ unitæ corpori postulat quidem ut delectationem sensibilem experiamur, nunquam autem ut ea fruamur.

4. Nulla est res in qua delectatio sensibilis sit finis a natura intentus. Delectatio enim per se est solummodo excitans ad actum; et in statu naturæ lapsæ est tentatio ex se alliciens amorem sui, et ideo ad peccatum inclinans.

5. Tandem beatitudo quæ consistit in possessione Dei, intendi potest, quia per eam in ipso Deo tanquam in fine ultimo sistimus et quiescimus : delectatio autem percepta pro seipsa, et vi cujus in nobismetipsis sistimus, removet a possessione Dei et a fine ultimo, et ideo mala est.

94. — *Conclusio.* Inter utramque opinionem quisque eligere potest, vel in suspenso hærere, si magis arridet. Attamen « opinio S. Thomæ, per se ac simpliciter loquendo, probabilior est, dictisque Sanctorum et sacræ Scripturæ conformior, » ait Suarez, *de Act. hum.*, Tract. 3, disp. 9, sect. 3.

In opinione etiam Thomistarum, actus in se bonus aut malus, fieri potest indifferens *per accidens* in duplici casu. Videlicet, si homo, dum operatur, non consideret de fine honesto, nec de obligatione referendi actum ad talem finem; tunc actus in se reipsa caret bonitate et malitia, et ea ratione dici poterit indifferens : tamen ut sic, vere non est actus humano modo factus, cum, ratione moralitatis, sit omnino involuntarius.

Similiter, si quis opinionem Scotistarum veriorem judicet, et juxta eam efformet suam conscientiam, actus, quem elicit, eo quod eum reputat indifferentem, etsi sit in se malus, carebit tamen malitia ob ignorantiam seu bonam fidem, in qua versatur agens; atque ideo talis actus non est indifferens, nisi quia sub respectu moralitatis ab ignorantia seu modo non humano procedit.

CAPUT III

DE CONSCIENTIA, SEU APPLICATIONE LEGIS UNICUIQUE ACTUI HUMANO

95. — Moralitas, ex dictis, n. 32, constat actu libero, lege, et legis applicatione illi actui per conscientiam; unde lex est actus humani regula remota, conscientia autem

regula proxima. Hic agendum est de regula proxima; deinde in Tractibus subsequentibus, de remota, nimirum de Legibus.

Triplex erit articulus, 1° de notione, 2° de speciebus, 3° de regulis conscientiæ.

ARTICULUS PRIMUS

De notione Conscientiæ.

96. — *Quæritur* 1° quid sit conscientia quoad nomen, et quoad rem?

Resp. Conscientia, juxta vim nominis, idem est ac *scientia cordis*, id est, scientia earum rerum, quæ in animo nostro sitæ sunt, juxta S. Bernard.; vel sic dicitur a *conclusione* et *scientia*, quasi idem sit ac *concludens scientia*, juxta S. Antoninum; vel demum idem est ac *cum alio scientia*, seu ordo scientiæ ad aliquod factum particulare, ex S. Th. 1 p., q. 79, a. 13; q. 17 *de Verit.* a. 2.

Quoad rem, definitur : *judicium rationis practicum, dictans quid hic et nunc, spectatis omnibus circumstantiis, faciendum sit ut bonum, vel omittendum ut malum.*

Dicitur 1 : *judicium* seu actus, non vero potentia, habitus, quia conscientia qualis hic sumitur, est actus, cujus proprietates sunt *testificari, accusare, remordere, dirigere,* etc.

Dicitur 2 : *rationis;* et hac voce indicatur facultatem, qua perficitur ille actus, non esse voluntatem, sed intellectum, cujus præcipuum munus est voluntatis operationem dirigere, comprobare aut improbare.

Dicitur 3 : *dictans quid hic et nunc, spectatis omnibus circumstanstiis, faciendum sit ut bonum, vel omittendum ut malum :* quibus duo significantur, scilicet, illius judicii objectum esse bonitatem aut malitiam actus humani non quidem in genere et speculative sumpti, sed cum omnibus suis circumstantiis et suo fine; sed etiam illud judicium non versari circa actum jam positum seu præteritum, sed hic et nunc a nobis ponendum, ita ut nos moraliter dirigat, liget vel instiget, respondendo huic quæstioni : *Licetne mihi hic et nunc hoc vel illud agere, aut omittere?*

Equidem ratio sæpe pronuntiat de actibus præteritis

cum circumstantiis et fine sumptis, an sint boni vel mali, et tale judicium vocatur etiam *conscientia*, quæ tunc comprobat seu excusat, vel accusat seu remordet, juxta illud : « Gloria nostra hæc est, *testimonium nostræ conscientiæ;* » II Cor. 1, v. 12. — « *Vermis* eorum (conscientia remordens) non moritur; » Isa. 66, v. 24. Attamen in hocce Tractatu de conscientia agitur prout est *agendorum* regula, et ideo prout judicium est de bonitate aut malitia actus hic et nunc eliciendi aut omittendi; propterea illud judicium dicitur *practicum*.

Exinde conscientia differt tum a scientia, tum a synderesi.

A *scientia* quidem, qua apprehenduntur veritates *mere speculativæ*, quæ, scilicet, ad factorum moralitatem non attinent, sed spectant rerum aut factorum existentiam ipsam, substantiam, valorem, qualitatem, relationes, v. g. : Deus est, Deus est trinus, tale sacramentum sic collatum est validum, homo est liber, etc.

A *synderesi* etiam seu *scientia morali*, quæ versatur circa generalia morum principia, absque applicatione alicui actui hic et nunc a nobis perficiendo vel omittendo, v. g. : bonum est faciendum, malum est vitandum, bonus est amor Dei, malum autem Dei odium. Hujusmodi principiorum speculativo-practicorum cognitio vocatur *synderesis*, a verbo græco *conservare*.

Conscientia autem est actus quo illa morum principia applicantur unicuique actui humano hic et nunc a nobis perficiendo, vel jam patrato. S. Th. 1 p., q. 79, a. 12, 13. Unde

97. — *Quæritur* 2° an conscientia sit conclusio syllogismi cujus major est regula morum in genere : minor autem est actus humanus cum omnibus suis circumstantiis et fine sumptus, seu, ut aiunt Theologi, *casus conscientiæ?*

Resp. Affirmative. Sit, v. g., syllogismus :

Illicitum est res suas vendere supra summum pretium;
Atqui intendo equum meum vendere pretio mille nummorum, quod certo excedit summum pretium;
Ergo venditio, quam intendo, est illicita.

Major, ponitur per actum synderesis seu cognitionis spe-

culativo-practicæ : minor autem est casus conscientiæ; demum ex illis præmissis conclusio eruitur per actum conscientiæ.

98. — *Quæritur* 3° an solutio cujuslibet casus conscientiæ, seu judicium *conscientiæ* nomine designatum, essentialiter præsupponat applicationem alicujus principii morum seu Theologiæ moralis, ex quo, mediante ipso casu, deducatur illud judicium practicum?

Resp. Affirmative, alioquin adesset conclusio sine majore, id est, judicium de hic et nunc agendis vel non agendis, absque ratione, qua niteretur.

Conclusio autem seu solutio casus conscientiæ non est legitima, nisi inferatur ex præmissis non solum in se veris, sed etiam legitime positis : atqui major non est legitime posita, nisi contineat omnia morum principia quibus regulatur minor; nec minor legitima est, nisi exprimat factum seu casum conscientiæ, *qualis revera se habet*, seu cum omnibus suis circumstantiis, quæ ejus moralitatem afficiunt; ergo utrumque accurate, complete perpensandum et ponendum est, ut conclusio seu conscientia sit vera.

Proinde, qui asserunt principia Theologiæ moralis esse in praxi impossibilia, nec Confessarium ea semper sequi posse, hanc absurditatem ingenue prædicant, videlicet, esse conclusionem practicam sine principio practico, et modum agendi rationabilem absque ratione rationabili.

Hoc porro adeo stupendum præjudicium provenit, eo quod viri in Theologiæ moralis scientia et applicatione insufficienter versati, conantur conclusionem seu casus solutionem inferre ex majore seu principio illegitimo, quod revera conclusionem non continet, et quod proinde ab illis imperitis in praxi impossibile fidenter declaratur.

Vel enim casus non exponitur aut non apprehenditur cum omnibus circumstantiis, quæ ejus moralitatem revera afficiunt; et tunc ponitur major, quæ non respondet illis omnibus circumstantiis; ac proinde ex ea eruitur conclusio arctior, aut laxior, seu in praxi revera impossibilis.

Vel etiam, casu cum omnibus suis moralibus circumstantiis apprehenso, non statuitur major, quæ tali casui correspondeat; atque ideo conclusio iterum arctior aut laxior seu impossibilis evadit.

Eadem ratione sæpe sæpius tot sunt solutiones ejusdem casus, quot casuistæ. Alii siquidem quasdam circumstantias morales in casu perspiciunt, quæ alios prætereunt, et exinde modificantur major et conclusio; alii majorem componunt principiorum collectione, quam identicam alii non statuunt, etiamsi easdem agnoscant in casu morales circumstantias; ac proinde diversa est conclusio seu casus solutio.

Itaque prudens casuista et bene apprehendit casum sub omni respectu, quo moralis est, et scientia principiorum moralium pollet, et facultate seu aptitudine applicandi hæc principia casui integre intellecto gaudet. Vide Tract. *de Locis Theol.*, n. 102-105.

99. — *Quæritur* 4° quomodo conscientia sit regula actuum humanorum proxima?

Resp. Conscientia est actuum humanorum regula proxima, quatenus ipsa lex per conscientiam actibus humanis in instanti quo producuntur, applicatur. Posita enim conscientia, lex de facto regulat singulos actus humanos; semota autem conscientia, lex remanet mere speculativa, et ipsis actibus reapse productis extranea; ergo conscientia non est per se regula, sed actus quo regula applicatur suæ materiæ seu actibus humanis reipsa exercitis.

Sic, v. g., præceptum regis ad cives non pervenit, nisi mediante præfecto : præfectus autem non præcipit nisi recitando præceptum; et ideo præceptum præfecti non est regula civium ratione sui, sed ratione præcepti regii, quod a præfecto applicatur et intimatur.

Unde S. Bonaventura ait : « Conscientia est sicut præco Dei et nuntius; et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo, sicut præco cum divulgat edictum legis : et hinc est quod conscientia habet virtutem ligandi : » in 4. *dist.* 39, a. 1, q. 3. — « Hoc tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eo quod divinum est, et a Deo cervicibus nostris impositum. » S. Chrysost., *Homil. ad pop. Antioch.*

100. — *Quæritur* 5° quomodo, si conscientia sit *actuale* judicium, fieri possit, ut contra eam sæpe sæpius agamus?

Resp. Contra eam agimus, eam expellendo per contrarium judicium, ad quod devenimus per mutationem ali-

cujus ex præmissis, ex quibus deducta est prior conscientia seu judicium. Unde cum iterum menti objiciuntur illæ præmissæ veræ, hæc prior conscientia reviviscit, atque obmurmurat et reprehendit conscientiam malam. Sic, v. g., Petrus, iræ impetu commotus, dicit : licita est ultio ob gravem injuriam : atqui Paulus mihi gravem injuriam intulit; ergo mihi licet hic et nunc in Paulum ultionem exercere; et revera statim in actum prorumpit Petrus. At postea, ira sedata, dicit Petrus : ultio ex se mala est : atqui ultionis causa percussi Paulum; ergo peccavi.

ARTICULUS II

De Conscientiæ speciebus.

Conscientia considerari potest ratione subjecti, vel objecti. Unde

101. — *Quæritur* 1° quotuplex sit conscientia ratione *subjecti?*

Resp. 1. ~~Duplex~~ est, nempe, *certa* vel *non certa*, prout agens de licitate aut illicitate actionis hic et nunc ponendæ judicat firmiter et absque errandi formidine, vel cum errandi formidine.

Quare in materia morali in primis attendendum est ad certitudinem, non quidem in se sumptam, sed juxta regulas prudentiæ ab unoquoque et pro unoquoque casu acquisita, ut confirmatur ex subsequentibus.

Cæterum, in rebus moralibus quæ scilicet pendent a libera voluntate, certitudo ordinarie non est stricta, seu non excludit omnem omnino errandi formidinem; sed tamen fundatur motivis adeo gravibus, ut omnem anxietatem a prudentibus amoveat, et in magni momenti quæstionibus ad *mores* attinentibus quasi sufficiens habeatur; sicque vim certitudinis strictæ communiter obtinet; propterea dicitur certitudo *moralis*. S. Th. 2. 2, q. 70, a. 2.

Certa conscientia duplex est, scilicet, prudens seu recta, temeraria seu non recta.

Prudens seu *recta* conscientia ea est, quæ prænuntiat sine hæsitatione juxta prudentiæ regulas, id est, postquam

agens reipsa adhibuit media quæ potuit et debuit adhibere ad tale judicium sine hæsitatione pronuntiandum.

Temeraria seu *non recta* conscientia ea est, quæ pronuntiat contra prudentiæ regulas, id est, etsi agens reipsa non adhibuerit media quæ potuit et debuit adhibere ad pronuntiandum sine hæsitatione; et ideo conscientia certa non est eo ipso recta, ut dicunt plures, cum possit esse temeraria. Aliunde temeritas est prudentiæ defectus, potius quam certitudinis; et ideo potest enuntiare judicium firmiter, absque errandi formidine, ac simul imprudenter seu temerarie, ut quotidiana experientia constat.

2. *Incerta* conscientia, duplex est, nimirum stricte *dubia*, vel *plus minusve probabilis*, prout æquales utrinque rationes habet, vel ex una parte majoris ponderis illi videntur, ut infra, n. 123.

102. — *Quæritur* 2° quotuplex sit conscientiæ ratione *objecti* seu conformitatis conscientiæ cum lege?

Resp. 1° Duplex est, nempe vera vel erronea seu falsa. *Vera* conscientia ea est, quæ dictat aliquid in particulari esse licitum vel illicitum, quod est revera tale; et ideo est judicium seu conclusio de bonitate aut malitia actus hic et nunc eliciendi aut omittendi, vere defluens ex duabus præmissis legitime positis, n. 98.

Erronea conscientia ea est, quæ dictat aliquid esse licitum vel illicitum, quod non est revera tale, et ideo quæ non defluit ex præmissis legitime positis, n. 98.

2° Erronea conscientia est vincibiliter aut invincibiliter erronea, sicut ipsa ignorantia, n. 17.

Vincibiliter erronea adest, quando agens, adhibita diligentia ordinaria, potuit et debuit præcavere vel tollere suæ conscientiæ falsitatem, id est, quando hæc conscientia fuit temere efformata. Unde conscientia vincibiliter erronea semper est temeraria seu non recta.

At conscientia potest esse temeraria simul et vera, ut, v. g., si quis, non adhibita diligentia ordinaria, verum judicium de moralitate actionis pronuntiat : tale judicium est simul verum et imprudens seu temerarium.

Invincibiliter erronea est conscientia, quando agens, adhibita diligentia ordinaria, non potuit falsitatem conscientiæ præcavere, nec tollere, id est, quando fuit prudenter efformata; et ideo conscientia invincibiliter erronea est prudens seu recta.

Proinde, conscientia *recta* non est semper *laxa*, ut falso putant quidam auctores. Revera, veritas judici consistit in convenientia inter subjectum et attributum conclusionis practicæ; prudentia autem spectat modum in proferendo hujusmodi judicio : atqui fieri potest ut quis prudenter se gerat circa judicii prolationem, et nihilominus erret, alioquin prudentia importaret infallibilitatem; ergo conscientia prudens seu recta non est eo ipso vera, sed potest esse falsa. Ordinarie tamen, ob præviam adhibitam diligentiam, conscientia prudens est vera.

3° Vincibiliter erronea conscientia est *laxa*, vel *scrupulosa*, vel *perplexa*.

1. *Laxa* conscientia ea est, quæ, ex levibus admodum et contemnendis momentis, judicat non esse malum, quod revera malum est, aut leve malum, quod est grave, cum utrumque possit facile deprehendi. Laxa igitur conscientia nimis favet libertati contra legem.

Triplex distingui potest, scilicet : conscientia *laxa simpliciter*, quæ tendit ad libertatem plus æquo extendendam.

Pharisaica, quæ magna parvi, et vicissim parva magni facit : sic dicta a conscientia Pharisæorum culicem excolentium, et camelum deglutientium; Matth. 23, v. 24.

Cauteriata, a verbo græco, καίω, *uro*, quæ, ex diuturno peccandi habitu, peccata gravia, quin etiam gravissima, nihili pendit.

2. *Scrupulosa* conscientia vel est stricte scrupulosa seu *informata* scrupulis, et tunc est *judicium practicum dictans ex inanibus rationibus aliquid esse hic et nunc dubie aut certe illicitum.*

Latiori autem sensu scrupulosa conscientia ea est, quæ non informatur quidem, sed *agitatur* tantum scrupulis, atque ideo non est proprie judicium, sed tantum *timor*

anxius ex inanibus rationibus conceptus, ne quid sit hic et nunc illicitum.

3. *Perplexa* ea est, quæ ex inanibus momentis judicat esse peccatum, sive actio hic et nunc fiat, sive omittatur.

ARTICULUS III

De Conscientiæ regulis.

103. — Ex jam dictis, n. 101, 102, variæ conscientiæ species reducuntur ad conscientiam rectam, non rectam, et incertam; siquidem conscientia recta seu prudens est *certa*, *vera* aut *invincibiliter erronea*; conscientia autem non recta seu temeraria, est certa, vera aut vincibiliter erronea, sive laxa, sive scrupulosa, sive perplexa; et ideo hic dicendum habemus tantum de regulis conscientiæ rectæ, non rectæ, et incertæ.

§ I

De regulis Conscientiæ rectæ.

PROPOSITIO PRIMA

104. — *Semper sectari debemus rectam conscientiam præcipientem, aut prohibentem, sive sit vera, sive invincibiliter erronea, nisi hæc per media extraordinaria deponatur.* Certum est.

Constat 1° *Script.* Dicitur enim : *Omne quod non est ex fide, peccatum est,* Rom. 14, v. 23 : porro voces, *ex fide,* significant dictamen conscientiæ rectæ, ut patet ex contextu, ex interpretatione Patrum, et ex Conc. Later. IV, utente illis verbis ad stabiliendam necessitatem bonæ fidei, ut valeat præscriptio; ergo peccat, qui actum elicit aut omittit contra conscientiam rectam.

2° *Ratione.* 1. Qui agit contra rectæ conscientiæ dictamen, eo ipso vult quod prudenter putat illicitum, ac proinde vult scienter malum seu peccat; sic, v. g., qui recte putat se esse in statu peccati mortalis, peccat, si nihilominus recipiat Eucharistiam, quia vult committere sacrilegium, quod in hoc adesse non ignorat; ergo nun-

quam licet autem ponere aut omittere contra conscientiam rectam.

2. Qui imprudenter agit, peccat graviter aut leviter, prout ejus imprudentia est graviter aut leviter culpabilis : porro, qui non sequitur conscientiam prudenter formatam de aliquo præcepto aut prohibitione, ille contra prudentiæ regulas violat illud præceptum vel hanc prohibitionem, et ideo peccat pro gravitate aut levitate suæ imprudentiæ; ergo semper sectari debemus rectam conscientiam præcipientem aut prohibentem.

3. Non licet sequi conscientiam temerariam seu non rectam ex dicendis, n. 110 : atqui temeraria esset conscientia, quæ dictaret hominem non teneri ad agendum juxta prudentiæ regulas, id est, juxta conscientiam prudenter efformatam; ergo hanc præcipientem aut prohibentem semper sectari debemus.

Difficultas moveri potest de conscientia invincibiliter erronea. At, cum hujusmodi conscientia formetur nihilominus juxta prudentiæ regulas, defectus veritatis in illa conscientia est involuntarius, et ideo ad culpam imputari nequit. Sic, v. g., non peccat, qui mentitur ad liberandum proximum e periculo vitæ, ex bona fide, id est, ex errore invincibili putans se ex charitate ad id teneri.

Dixi : *nisi conscientia invincibiliter erronea deponatur*. Talis enim conscientia deponi potest per media extraordinaria, quæ sunt penes homines, etiamsi eis non imponantur ut obligatoria, n. 17, 102; et ideo, si deponatur, jam non obligat seu potius existere desinit.

105. — *Quæritur* autem 1° an, qui agit cum conscientia invincibiliter erronea, non solum non peccet, sed etiam perficiat actum bonum et meritorium?

Resp. Controvertitur. Alii negant, quia nullum bonum et meritum oriri potest ex actione in se seu materialiter mala.

Alii probabilius et communissime affirmant, inter quos S. Th., S. Ligor., lib. 1, tract. 1, n. 6. Nam ad actum bonum et meritorium sufficit ut objectum sit formaliter

bonum, seu ut in conscientia tanquam bonum apprehendatur, n. 32 ad 4. Sic, v. g., subditus superiori obediens ex recta intentione, meritorie agit, quamvis materialiter erret contra legem. « Et quidem laude dignam dixerim vel solam intentionem piam, nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas. » S. Bernard., *de Præcep. et Disc.*, c. 12 et 17.

Alii demum distinguunt; scilicet, qui illa ignorantia laborat, duos elicit actus; unum quo vult bonum, v. g., salvare vitam proximi; alterum, quo medium ponit ad hoc bonum obtinendum, v. g., salvare vitam proximi per mendacium. Jam vero primus actus in se bonus est et meritorius; non vero secundus. Sed hæc distinctio non probatur. Electio enim medii et intentio finis ad unum et eumdem actum perficiendum concurrunt, ex dictis n. 32.

106. — *Quæritur* 2° an grave aut leve sit peccatum, prout conscientia recta pronuntiat graviter aut leviter esse illicitam actionem aut omissionem actionis, quam prohibet aut præcipit?

Resp. Affirmative. Patet ex jam dictis. Recta enim conscientia eamdem vim habet ad extensionem ac ad existentiam obligationis manifestandam.

Unde 1. peccat *graviter*, qui agit contra conscientiam rectam, quæ simul *pronuntiat graviter* esse illicitam actionem aut omissionem per conscientiæ dictamen prohibitam. Patet ex jam dictis.

Idem dicendum est, si conscientia *non qualificet* gravitatem nec levitatem malitiæ, posito quod malitia actionis aut omissionis sit *in se* gravis.

2. Peccat autem *leviter*, qui agit contra conscientiam rectam, quæ simul *pronuntiat levem* esse malitiam actus.

Idem dicendum est, si conscientia *non qualificet* gravitatem, nec levitatem malitiæ, modo malitia sit in se levis.

3. Judicanda est gravitas peccati commissi non tam ex librorum et Doctorum documentis, quam ex dictamine conscientiæ momento actionis aut omissionis illicitæ, vel ex gravitate negligentiæ peccaminosæ. *Actus judicantur*

secundum voluntatem agentium, ait S. Th., *in Epist. ad Rom.* c. 14. *Tantum malum est, quantum crediderit*, inquit S. Bernardus. Prudenter tamen facit, qui interrogat, ut veritatem cognoscat, quidnam scilicet in futurum in simili casu agere possit.

107. — *Quæritur* 3° quomodo Confessarius cognoscere possit errorem in pœnitente esse vincibilem aut invincibilem?

Resp. Hoc cognoscere potest interrogando pœnitentem 1. an aliquam indecentiam in hoc actu adverterit; 2. an ipsi sua conscientia dictaverit esse saltem interrogandum Confessarium, vel alium prudentem virum: 3. an occasionem interrogandi ex verecundia aut metu neglexerit? Si respondeat affirmative pœnitens ad unum vel alterum ex his, censendus est in culpabili errore versari; secus, si ad omnia neget.

Cæterum, gradus prudentiæ ad conscientiam rectam requisitus, non est absolutus seu idem pro omnibus personis, actibus et circumstantiis, sed ad hæc omnia *relativus*. Motivum, v. g., quod sufficit viro rudi, sæpe non sufficit viro docto; quæ diligentia sufficit in re levi, non semper sufficit in re gravi; et quod sufficit urgente necessitate, posset pariter non sufficere, si tempus quæstionem maturius expendere permitteret.

108. — *Quæritur* 4° an confessarius *teneatur* monere suum pœnitentem, qui versatur in errore invincibili?

Resp. Distinguendum est, scilicet, vel est spes emendationis, nec periculum gravioris inconvenientis ex monitione; vel non est spes emendationis, aut est periculum gravioris inconvenientis, quam sit peccatum materiale pœnitentis.

Si prius, confessarius tenetur eum monere, tum quia, uti doctor, debet instruere pœnitentem et in eo præcavere peccata etiam materialia; tum quia cognitio legis per se utilior est ac ejusdem ignorantia.

Si posterius, *regulariter* confessarius nec tenetur, nec

petest monere, quia iste pœnitens, semel monitus, peccabit formaliter, ex hypothesi, aut aliud exurget inconveniens ipso peccato materiali gravius; et ideo nec debet, nec potest moneri, juxta regulam : *e duobus malis, minus est eligendum*, n. 71.

Dixi : *regulariter*. Excipiuntur enim quidam casus. Scilicet, 1. moneri debet pœnitens de iis, quæ sunt scitu necessaria necessitate medii, ex dictis in Tract. *de Decalogo*, n. 10 et seq., tum quia sine illa cognitione pœnitens non est capax absolutionis; tum quia post monitionem pœnitens ponitur in eo statu, in quo possit salvari, si velit, et a quo verisimile est, quod non excludatur spes emendationis pro toto decursu vitæ.

2. Moneri etiam debet pœnitens, si ejus ignorantia vergat in scandalum multorum aut damnum boni communis; v. g., si sacerdos ministrans sacramenta sit invalide ordinatus, si nullitas alicujus Matrimonii sit notoria. Bonum enim plurimum, maxime bonum commune, prævalet bono alicujus particularis.

3. Communiter docent auctores quod moneri etiam debet pœnitens, si ejus ignorantia sit juris naturalis secundarii, v. g., pollutionis, delectationis venereæ; tum quia in hujusmodi peccatis, ignorantia invincibilis diu durare nequit; tum quia, si pœnitens moneatur, spes est quod cum majori remorsu peccabit, pravam consuetudinem confessariis aperiet, ab iis salutaria remedia recipiet, et tandem resipiscet.

PROPOSITIO II

109. — *Semper sectari possumus rectam conscientiam permittentem, sive sit vera, sive invincibiliter erronea.* Certum est.

Etenim 1. non peccat ille, qui prudenter agit : porro qui sequitur rectam conscientiam permittentem, prudenter agit, cum sequatur dictamen conscientiæ juxta prudentiæ regulas efformatum; ergo semper sectari possumus rectam conscientiam permittentem.

2. Ex consensu omnium Theologorum, status conscientiæ *prudenter* existimatus sufficit, ut quis fidenter accedere possit ad sacram communionem : atqui sine dubio perfec-

tior conscientia non est magis necessaria in actibus ordinariis, quam in perceptione tanti Sacramenti; ergo, etc.

3. Si non liceret sequi rectam conscientiam permittentem, teneremur sequi temerariam conscientiam e contra præcipientem aut prohibentem : atqui falsum est, ex dicendis, n. 110; ergo semper licet sequi rectam conscientiam permittentem.

§ II

De regulis Conscientiæ temerariæ, sive laxæ, sive scrupulosæ, sive perplexæ, sive veræ, sive vincibiliter erroneæ.

PROPOSITIO PRIMA

110. — *Nunquam licet sequi conscientiam temerariam.* Certum est.

Etenim peccat, qui imprudenter seu absque ratione sufficienti se exponit periculo faciendi uti permissum aut præceptum, quod est prohibitum, vel omittendi uti non præceptum, quod reipsa præceptum est : atqui tali periculo imprudenter se exponit, qui sequitur conscientiam temerariam, quæ nempe imprudenter pronuntiat de bonitate aut malitia actionis hic et nunc peragendæ, aut omittendæ, n. 102; ergo nunquam licet sequi temerariam conscientiam, sive laxam, sive scrupulosam, sive perplexam, sive veram, sive vincibiliter erroneam. Quædam tamen attenuatio apponenda est pro conscientia scrupulosa, ut infra, n. 114.

112. — *Quæritur* 1° quænam sit gravitas peccati illius, qui sequitur conscientiam temerariam?

Resp. Hoc pendet tum ex gradu temeritatis, tum ex gravitate præcepti, quod violari creditur. Unde, graviter peccaret, qui legem etsi in se levem infringens, discrimini tamen graviter peccandi imprudenter se objiceret.

Ordinarie gravius peccat, qui agit *contra* illam conscientiam, quam qui *juxta* eam operatur. In priori enim casu, magis explicitus demonstratur ad peccatum affectus; dum, in posteriori, operatur agens ex aliquali ignorantia, quæ minuit libertatem et ideo peccatum, n. 18, 19.

Dixi : *ordinarie*, quia aliquando gravius peccat, qui secundum conscientiam temerariam agit; v. g., qui ex conscientia vincibiliter erronea, furatur ad eleemosynam elargiendam, per se gravius peccatum committit, quam si, non obstante illa conscientia, non erogaret eleemosynam ope furti; siquidem per se gravius est peccatum contra justitiam, quam contra charitatem.

113. — *Quæritur* 2° an confessarius teneatur monere pœnitentem errantem *vincibiliter?*

Resp. Regulariter confessarius monere debet pœnitentem vincibiliter errantem, ut diximus in Tract. *de Pœnit.*, n. 359; tum quia, uti medicus, debet præcavere pœnitentis peccata formalia, a quibus non excusat error vincibilis; tum quia talis pœnitens est in malo statu et incapax absolutionis.

Idem verum est erga eos qui interrogat an hoc sit peccatum, necne. Hoc ipso enim quod interrogant, videntur dubitare, nec ideo habent ignorantiam invincibilem.

Nec refert quod vix ac ne vix quidem appareat spes emendationis, cum eædem maneant rationes; et aliunde ex monitione nullum sequitur inconveniens; dum posita monitione, spes est quod pœnitens majori cum remorsu peccabit, pravam consuetudinem sæpius confessariis aperiet, ab eis iterum atque iterum salutaria remedia recipiet, et tandem resipiscet.

Dixi : *regulariter*. Pro quibusdam enim casibus concipi potest aliqua attemperatio. Scilicet, si prævideatur quod, ex una parte, monitio nihil prorsus proficiet, dum, ex altera, error ex vincibili invincibilis, et ideo peccatum ex formali materiale tantum fieri poterit, non improbaremus silentium confessarii in hujusmodi circumstantiis, cum tunc melior sit effectus silentii ex se nullomodo mali, quam monitionis, n. 71.

Idem, et a fortiori, dicendum est de casu interrogantis, qui de illicitate actionis dubitat tantum, nec ullam spem emendationis suppeditat. Nam iste, cum non habeat conscientiam certam, sed tantum plus minusve hærentem, fa-

cilius ex errore vincibili ad invincibilem transibit, et ita materialiter tantum peccabit. Unde confessarius respondere potest quod quisque suæ saluti providere debet juxta propriæ conscientiæ dictamen, aut alio modo quæstionem a pœnitente positam caute removere.

PROPOSITIO II

114. — *Conscientia temeraria vincibiliter erronea, sive laxa, sive scrupulosa, sive perplexa, est corrigenda.* Certum est.

Etenim, ex una parte, peccat qui agit contra illam conscientiam, cum sit firma, ex dictis n. 104; ex altera vero, peccat etiam qui hujusmodi conscientiam sequitur, cum sit temeraria, ex dictis n. 110; ergo agens vitare nequit peccatum, nisi talem corrigat conscientiam.

Et vero, conscientia vincibiliter erronea est laxa, scrupulosa aut perplexa : porro unaquæque ex his conscientiis corrigenda est.

Etenim 1. *laxa* conscientia ea est, quæ ex levibus admodum et contemnendis momentis, judicat non esse malum, quod revera malum est, aut leve malum, quod est grave, cum utrumque possit facile deprehendi : porro, qui hujusmodi sequitur conscientiam, sine ratione sufficienti et voluntarie se exponit periculo plus minusve evidenti malum committendi, et ideo ejus voluntas mala est seu peccat; aliunde peccaret, agendo contra illam conscientiam utpote firmam; ergo conscientia laxa corrigenda est.

2. *Scrupulosa* conscientia, quæ, scilicet, non solum agitatur, sed et vere formatur scrupulis, ea est, quæ ex inanibus rationibus pronuntiat aliquid esse hic et nunc prohibitum aut præceptum. Porro, non peccat quidem qui facit uti de præcepto, quod est permissum, vel omittit ut prohibitum, quod non est prohibitum, et ideo, sub hoc respectu, scrupulosa conscientia non videtur reformanda sub pœna peccati.

At hæc obligatio aliunde urget. Nam 1. quisque tenetur quærere pro sua potestate veritatem moralem, quæ ad ipsum respicit; 2. per scrupulosam conscientiam, consi-

lium apparet ut præceptum, seu mutatur periculum violandi consilium in periculum violandi præceptum, sicque illa conscientia temere exponit plus minusve periculo peccandi; præterquam quod amplius est meritum in observatione consilii, quatenus consilium est; 3. demum scrupulosa conscientia generatim maxima incommoda et damna spiritualia, et sæpe corporalia, secum trahit, n. 116 : porro ex his omnibus sine dubio exurgit obligatio hujusmodi conscientiam reformandi.

3. *Perplexa* conscientia ea est, qua ex inanibus momentis judicat esse peccatum, sive actio hic et nunc fiat, sive omittatur; ergo agens vitare nequit peccatum, nisi reformetur talis conscientia.

113. — *Quæritur* 1° quænam sint *laxæ* conscientiæ *causæ, effectus* et *remedia?*

Resp. 1. *Causas* laxæ conscientiæ sequentes indicant versus :

Mollities, missæque preces, nimis anxia mundi
Cura frequens lapsus, sociique, cupidinis æstus.

Scilicet : 1. vita mollis, quæ enervat; — 2. neglectus orationis, qui nos omnino dejicit; — 3. nimia temporalium sollicitudo, quæ nos terrenos facit; — 4. peccandi consuetudo, quæ tollit peccati horrorem; — 5. familiaritas cum hominibus vitio deditis, quibus assuescimus; — 6. demum luxuria, quæ impedit quomimus Christianus ad spiritualia inclinetur et tendat.

2. *Effectus* laxitatis hic versus enumerat :

Cæcutiens, durum, pia spernens, atque dolens cor.

Nempe : 1. cæca animi tranquillitas post peccatum; — 2. insensibilitas ad pia monita; — 3. irrisio piarum exercitationum; — 4. *impœnitens cor thesaurizans sibi iram in die iræ;* Rom. 2, v. 5. Hæc siquidem omnia videre est in laxitatis amatore.

3. *Remedia* laxæ conscientiæ hisce versiculis includuntur :

Secessus, prex, examen, pia lectio, crebra.
Sit confessio, sit fuga, sint hæc pharmaca laxo.

Videlicet : 1. dierum aliquot secessus, quo animus Deo et sibi vacet, dicente Scriptura : *Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor ejus;* Osee, 2, v. 14; — 2. frequens et humilis oratio cum novissimorum meditatione juxta illud : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis,* Eccli., 7, v. 40; — 3. quotidiana conscientiæ discussio, quoad omnia quæ per diem acta sunt, secundum illud : *Redite prævaricatores ad cor,* Isa. 46, v. 8; — 4 frequens optimorum librorum lectio, humilis ac fidelis : in lectione nos alloquitur Deus, sicut nos in oratione alloquimur Deum; — 5. promptum confugium, post peccatum, ad Pœnitentiæ Sacramentum, ne animæ vulnus incrudescat; — 6. malorum fuga et conversatio cum bonis; nam *qui cum sapientibus graditur, sapiens erit : amicus stultorum, similis efficitur,* Prov. 13, v. 20.

116. — *Quæritur* 2° quænam sint *scrupulosæ* conscientiæ *signa, causæ, effectus, remedia ?*

Resp. 1° *Signa* præcipua scrupulorum sunt 1. *pertinacia judicii,* qua quis renuit parere consiliis Confessarii, vel sapientium, et varios consulit, sed nullius judicio acquiescit, imo quanto plures audit, eo magis perplexus est.

2. *Frequens mutatio judicii* ex levibus motivis; unde oritur inconstantia in agendo, mentisque continua perturbatio.

3. *Timor peccandi in omnibus,* conjunctus cum mentis repugnantia contra judicium Confessarii, prudentium, vel etiam contra proprium judicium; unde sequitur frequens interrogatio circa jam datam Confessarii assertionem, et repetita inquisitio an in agendo juxta consilium datum conscientia immunis a culpa esse possit.

4. *Reflexiones impertinentes* circa varias circumstantias, quæ in actione adfuerunt, vel adesse potuerunt, et inquisitio certitudinis in omnibus.

5. *Obstinatio ad repetendum semper idem peccatum,* et ad habendum ut peccatum, quod tale non esse jam pluries a Confessario declaratum est.

6. *Anxietas continua circa confessiones præteritas,* non

obstante judicio Confessarii, vel confessionum repetitione. S. Ligor. n. 11.

2° *Causæ* scrupulorum præcipuæ sunt : 1. *permissio divina.* Deus enim causare potest scrupulos, subtrahendo luminis vigorem, ut, in anxietate lapsi, justi magis proficiant, tepidi ferventius christianæ pietatis officia obeant, pœnitentes præteritorum peccatorum pœnam luant.

Quando autem a Deo oriuntur, nimia excitantur apprehensione Deo displicendi : comitem habent peccati vividiorem detestationem, majorem peccati occasionem fugam, et perfectiorem totius vitæ institutionem. Ordinarie sunt transitorii, et si sint molesti, sunt etiam utiles.

2. *Dæmonis operatio.* Nam, Deo permittente, dæmon scrupulos fabricare potest, movendo sanguinem, alterando humores, varia simulacra phantasiæ objiciendo, species diversas componendo, ut tetricam et falsam imaginem peccati efformet. Scrupuli a dæmone oriri existimantur, si scrupulosus ad teporem adduci, a virtute, præsertim a sacra synaxi retrahi, et præcipue ad desperationem inclinari se sentiat.

3. *Consortium cum scrupulosis,* directio a Confessario scrupuloso accepta, lectio casuum conscientiæ et asceticorum severiorum facta ab aliquo incauto et minus intelligente; item, fuga morosa omnis humanæ conversationis.

4. *Natura,* nempe complexio melancolica et phlegmatica, imbecillitas capitis, vel defectus judicii naturalis in personis ad timorem propensis; pusillanimitas et dejectio animi, ob quam quis nescit timores contemnere.

Demum nimia sollicitudo vitandi omne id, quod habet speciem mali.

3° *Effectus* seu *damna* scrupulorum præcipua sunt sequentia :

1. Ipsam animi pacem exstinguunt, orationis studium et amorem debilitant, aut de medio penitus tollunt, quia vim mentis enervant, ad nugas perducendo distrahunt, anxietatibus animum implent, eumdemque ineptum ad conjunctionem cum Deo faciunt; fortitudinem infringunt, spem valde imminuunt, aut etiam perimunt; nocent obedien-

tiæ; reddunt scrupulosum ineptum ad fructuose agendum erga proximum, cum plerique scrupulosi sint tetrici, et erga domesticos simul et extraneos morosi.

2. In graves corporis morbos, in debilitatem capitis, in amentiam inducunt.

Scrupulosus igitur, nisi fortiter contra scrupulos pugnet, iis vexatus, miserrimam vitam absque majori merito, et cum magno damnationis periculo, ducet.

4° *Remedia* scrupulorum ex horum objecto desumuntur : porro versantur frequenter scrupuli circa actiones quotidianas, pravas cogitationes, confessiones. Igitur

1. Scrupulosis, qui in omnibus suis actionibus anguntur timore peccandi, injungendum est, ut strenue contra scrupulos agant, ab iisque confitendis abstineant, nisi *certissimi* sint ibi adesse peccatum. Quamvis enim sic agendo interdum materialiter peccent, non peccabunt tamen formaliter ratione obedientiæ, quam Confessario præstare debent. S. Ligor., n. 17.

2. Scrupulosis, qui pavent assensum præbere, vel præbuisse cuilibet pravæ cogitationi contra castitatem, fidem, aut charitatem, imponendum est ut has cogitationes velut mera phantasmata despiciant, et abstineant ab hujusmodi cogitationum confessione, nisi *jurare* possint se eisdem vere consensisse. S. Ligor., n. 15.

3. Scrupulosis, qui semper anxii sunt circa confessiones, præsertim præteritas, prohibendum est, ne amplius cogitent de culpis vitæ anteactæ, nec de iis verbum faciant in confessione, nisi jurare possint peccata mortalia se perpetrasse, et de illis se nunquam confessos esse, præsertim si confessionem generalem jam peregerint. S. Ligor., n. 16.

Tandem scrupuli contemnendi sunt, nec unquam secum de his disputandum est; sed obedientia summa et cæca Confessario præstanda, et cum magna humilitate et fiducia in omnibus procedendum.

Confessarius autem 1, scrutetur an pœnitens sit scrupulosus, in quibusnam, et quænam sit scrupulorum origo.

2. Sit patiens, benignus, fortis; postulanti, absque hæsitatione cum imperio respondeat; responsis non facile

adjiciat rationes; nec jam declarata peccata pluries repeti sinat; cum scrupuloso generalibus, non peculiaribus utatur regulis; has enim applicare nequit talis pœnitens.

3. Commendet scrupuloso magnam in Dei bonitate fiduciam, frequentem orationem, otii fugam, examinis brevitatem, cordis humilitatem, constans amoris exercitium. S. Ligor., n. 12, 14, 19.

117. — *Quæritur* 3° quid agendum sit in casu conscientiæ perplexæ, n. 102?

Resp. 1. Qui tali conscientia laborat, consulat, si possit, Confessarium, vel alios prudentes, quia in eo casu ignorantia vincibilis est, ex dictis n. 102. — 2. Si consulere nequeat, eligat quod sibi minus malum videtur, non tamen ut malum faciat, sed ut magis a malo recedat. Cæterum lex inferioris ordinis debet legi superioris ordinis cedere. 3. Si utrumque præceptum æque ei grave videatur, eligat quodvis, nec peccabit, cum peccandi non detur necessitas. S. Ligor., n. 10.

§ III

De regulis Conscientiæ incertæ, sive dubiæ, sive plus minusve probabilis.

Dicemus 1° de illicitate agendi cum conscientia dubia aut probabili; 2° de necessitate, et 3° de medio subjective excutiendi conscientiam incertam.

NUMERUS PRIMUS

De illicitate agendi cum Conscientia dubia aut probabili.

PROPOSITIO

118. — *Nunquam licet ponere aut omittere actionem, cum conscientia subjective dubia aut probabili, de licitate illius actionis aut omissionis.* Certum est.

Etenim, qui sine conscientia firma de licitate suæ actionis aut omissionis, nihilominus agit aut non agit, ille actionem ponit aut omittit cum hac persuasione, se forsan in agendo aut non agendo ordinem moralem violare malumque committere; ac proinde vult malum producere,

posito quod in sua actione aut omissione vere inveniatur : porro, qui vult malum, quocunque modo velit, eo ipso malam habet voluntatem seu peccat; ergo nunquam licet actionem ponere aut omittere sine conscientia firma de licitate illius actionis aut omissionis.

119. — *Quæritur* quænam sit gravitas peccati illius qui sequitur conscientiam incertam?

Resp. 1. Abstrahendo ab omnibus circumstantiis, quæ in dubiis nonnunquam occurrunt, *graviter* peccat, qui agit aut agere omittit cum conscientia *dubia* de *gravitate* aut *levitate* malitiæ suæ actionis aut omissionis.

Tunc enim voluntatem habet peccandi graviter, posito quod actio aut omissio sit graviter illicita; ideoque ejus voluntas est graviter mala.

2. Eadem ratione *graviter* peccat, qui agit aut agere omittit cum conscientia *dubia* de *licitate* actionis aut omissionis, et simul *certa* de *gravitate* malitiæ, posito quod illa actio aut omissio sit illicita.

3. *Leviter* autem peccat, qui agit aut agere omittit cum conscientia dubia de licitate actionis aut omissionis, et simul *prudenter certa* de levitate malitiæ, posito quod ejus actio aut omissio sit illicita.

At graviter aut leviter peccat, si ejus certitudo de *levitate* malitiæ, sit graviter aut leviter tantum *imprudens*, n. 112.

NUMERUS II

De necessitate subjective excutiendi Conscientiam incertam.

Ex regula præcedenti, nunquam licet ponere aut omittere actionem sine conscientia firma de licitate illius actionis aut omissionis. Nunc autem inquirendum est an, saltem aliquando, necessarium sit servare vel non servare legem incertam, et ideo excutere dubium de licitate actionis aut omissionis. Unde

PROPOSITIO

120. — *Necesse est, saltem aliquando, servare vel non servare leges incertas, et ideo subjective discutere conscien-*

tiam incertam de licitate actionis aut omissionis. Certum est.

Etenim conscientia non firma oriri potest vel ex parte legis seu majoris, vel ex parte casus conscientiæ seu minoris syllogismi, cujus conscientia non firma est conclusio, 97, 98 : porro, ex una parte, tot sunt leges incertæ in sua existentia aut cessatione, quæ si obligatoriæ forent, eo ipso quod de earum non existentia aut cessatione certo non constat, vere obrueretur voluntas humana adeo ex se infirma atque debilis.

Similiter, posita certitudine de legis existentia aut cessatione, tot sunt casus conscientiæ, de quibus dubitatur an cadant sub lege vel non, ut iterum obrueretur voluntas, si perficere teneretur omnes actus, qui dubie cadunt sub præcepto.

Et, ex alia vero parte, grave detrimentum pateretur societas humana, si semper omitterentur actiones, eo ipso quod in se remanent dubie licitæ aut præceptæ.

Ergo necesse est, saltem aliquando, quod serventur vel non serventur leges incertæ, ac proinde quod discutiatur incerta conscientia de licitate actionis aut omissionis.

NUMERUS III

De modo discutiendi Conscientiam incertam.

121. — Incerta conscientia subjective discutitur ope principiorum reflexorum, quæ varia sunt pro diverso gradu probabilitatis, et prout agitur de speciali obligatione alicujus finis determinati obtinendi, vel de solo licito aut illicito. Igitur dicemus 1° de notione principii reflexi, in genere; 2° de diverso gradu probabilitatis; 3° de variis principiis reflexis seu systematibus circa probabilitatem; 4° de principio reflexo sequendo, quando agitur de speciali obligatione; 5° de principio reflexo sequendo, quando agitur de solo licito vel illicito.

PUNCTUM PRIMUM

De notione principii reflexi.

122. — *Quæritur* quid sit principium reflexum?
Resp. Reflexum principium ~~est improprium~~ principium,

V 3.
Princ. est id a quo aliquid fluit; si nihil obstat principio et objecto, habetur directum; si aliquid obstat, habetur indirectum

et rem ipsam extrinsece afficit, ita ut conscientiæ dictamen ex eo illatum spectet tantum subjectivam et formalem actus moralitatem.

Exinde differt a principio directo, quod est proprium principium, et adeo rem ipsam intrinsece afficit, ut dictamen ex eo illatum spectet objectivam et materialem actus moralitatem. Sit, v. g., prosyllogismus :

Illicitum est res suas vendere supra summum pretium (principium directum) :

Atqui dubito an pretium mille nummorum sit summum pro equo meo (casus conscientiæ) ;

Ergo incertus sum an lex de summo pretio existat pro venditione equi mei, pretio mille nummorum (dictamen ex principio directo incertum) ;

Porro, quicunque dubitat de existentia legis, eo ipso quidquid vult, agere potest, quia *lex dubia non obligat* (principium reflexum) ;

Ergo possum licite vendere equum meum pretio mille nummorum (dictamen ex principio reflexo subjective certum).

Itaque 1. principium directum est major simplicis syllogismi, cujus minor est casus conscientiæ, conclusio autem est conscientiæ dictamen incertum.

Reflexum vero principium est secunda minor prosyllogismi, cujus prima conclusio est conscientiæ dictamen *incertum*, et secunda conclusio est subjective *certum* conscientiæ dictamen de eadem actione aut omissione.

2. Dictamen ex principio directo illatum, respicit ipsam objectivam et materialem actus moralitatem, ut patet ex prima prosyllogismi conclusione seu dictamine : « ergo incertus sum an *lex* de summo pretio *existat pro venditione equi mei*, pretio mille nummorum.

Dictamen autem ex principio reflexo illatum nihil dicit de objectiva moralitate actus, sed solam subjectivam et formalem moralitatem spectat, ut patet ex secunda prosyllogismi conclusione seu dictamine : « ergo *possum licite vendere* equum meum mille nummis. » Etsi enim ex principio reflexo a me usurpato, *mihi licita* sit venditio equi mei pretio mille nummorum, simul verum esse potest quod, ex principio directo de summo pretio, talis venditio sit *in se illicita*.

Directum igitur principium ex ipsiusmet rei visceribus educitur, atque ideo rei veritati seu moralitati actus in se sumptæ est *intrinsecum;* dum reflexum principium, non ex visceribus rei, sed aliunde educitur, atque moralitati actus *in se* sumptæ remanet *extrinsecum.*

Propterea dicitur *reflexum;* scilicet, vel eo quod, qui hujusmodi principium sequuntur, quasi per aliquem *circuitum* obtinent dictamen certum de subjectiva moralitate actus; vel quia hujusmodi principium obtinetur ipsamet *reflexione* agentis in suum dubium de moralitate actus, ex principio directo consequens; vel demum quia tale principium in principium directum suam certitudinem *reflectit.*

3. Ad reflexum principium non recurritur, nisi quando ex principio directo non defluit firmum conscientiæ dictamen. Quando enim directum principium sufficit ad certum dictamen, eo ipso causa finita est, reflexumque omnino inutile evadit.

Magni igitur est momenti reflexa principia cognoscere, ob multiplices casus ad quorum solutionem practicam non sufficiunt principia directa.

PUNCTUM II

De diverso gradu Probabilitatis in conscientia incerta.

123. — *Quæritur* quotuplex esse possit in conscientia incerta gradus probabilitatis?

Resp. Diversus est gradus probabilitatis, prout conscientia consideratur respectu motivi solitarie sumpti, vel respectu motivi comparative sumpti, vel respectu legis.

1° Respectu *motivi solitarie sumpti,* conscientia est vel simpliciter dubia, vel probabilissima, vel tenue probabilis, vel solide probabilis.

Dubia conscientia est suspensio mentis inter opposita; v. g., dubito an mihi liceat vel non, vendere equum meum pretio mille nummorum.

Hujusmodi dubium est *negativum,* vel *positivum:* si prius, suspendit assensum, quia hinc et inde rationes deficiunt: si posterius, mens suspendit assensum, ob apparentem æqualitatem rationum, quæ ex utraque parte militant.

Dubium mere negativum pro nihilo habendum est, quia nulla prorsus ratione, aut valde levi fundatur. Positivum autem dubium ad subsequentem subdivisionem circa motivum comparativum pertinet.

Probabilissima conscientia est judicium practicum gravissimo nitens motivo, ita ut tenuis tantum supersit formido de opposito.

Tenuiter probabilis, est judicium practicum, quod solido motivo non nititur, atque adeo superest gravissima formido de opposito.

Probabilis conscientia est judicium practicum nitens motivo vere *gravi,* licet cum formidine de opposito. Sic, v. g., controvertitur an peccatum dubie commissum sit in confessione necessario accusandum : porro, si quis de hoc casu negative pronuntiet ex motivis gravissimis, ejus conscientia erit probabilissima; si vero ex motivis non in se solidis, ejus conscientia erit tenuiter probabilis; si tandem ex motivis in se gravibus, ejus conscientia erit probabilis.

Certo autem probabilis habenda est opinio, quæ, tolerante Ecclesia, communis est Theologorum, vel docetur a S. Thoma ejusque schola, vel a plerisque Theologis ut probabilis asseritur; vel etiam quam absolute tenent ut veram quinque aut sex Theologi, probitate, judicio et scientia præstantes, nisi ratio certa contra istam opinionem appareat.

Sed etiam opinio est viro docto et probo certe probabilis, quam ipse scit se diligenter excussisse, et experitur se absque inordinato affectu, ob rationes graves, ut veram tenere.

Unde unicus auctor, si sit omni exceptione major, afferatque rationem, quam alii non examinaverint, vel non satis solverint, ipse autem aliorum rationes commode solvat, potest opinionem suam certo probabilem efficere, quamvis contra communem doceat.

Tandem homo rudis, audiens a viro, quem ipse existimat probum, prudentem et doctum, opinionem aliquam esse certo probabilem, potest eam ut talem habere : non enim per se rem expendere valet, nec aliud medium ipsi

suppetit probabilitatem extrinsecam seu ex auctoritate virorum gravium ortam cognoscendi.

2° Respectu *motivi comparative* sumpti, conscientia est *probabilior, minus probabilis*, vel *æquiprobabilis* ac opposita, prout nititur motivis solidioribus, vel minus, vel æque solidis.

Probabilior conscientia varios etiam gradus admittit, prout ejus motiva *paulo* vel *notabiliter* majora sunt, si opposito comparentur judicio; unde fit ut aliqua opinio de licitate actionis sit vel paulo probabilior, vel notabiliter probabilior ac opposita. Juxta multos, opinio seu conscientia notabiliter probabilior habenda est uti moraliter certa, ut infra, n. 140.

3° Respectu *legis*, conscientia est *tuta*, vel *tutior*, vel *minus tuta*, prout simpliciter favet legi, vel eidem plus minusve favet. Tuta quidem, si solitarie sumpta, faveat legi contra libertatem; tutior vel minus tuta, si comparative sumpta, faveat legi contra libertatem, aut libertati contra legem. Opinio igitur probabilior non est semper tutior, siquidem probabilitas major pro libertate stare potest. Sic, v. g., controvertitur an peccatum dubie commissum sit in confessione necessario accusandum : si quis in hoc casu pronuntiet illud peccatum esse accusandum, eo ipso partem legi faventem et ideo tutiorem amplectitur ; si quis e contra in hoc casu pronuntiet illud peccatum non esse declarandum, partem libertati pœnitentis faventem et ideo minus tutam amplectitur : quæ tamen opinio minus tuta potest esse magis fundata seu probabilior ac opinio tutior, quæ accusandum esse peccatum pronuntiat.

124. — Cæterum, probabilitas sub diverso præfato respectu, sive gradu, potest esse *intrinseca* vel *extrinseca*, prout in rationibus ex natura rei deductis, vel ex auctoritate Doctorum gravium deducitur.

Porro, de intrinseca juris probabilitate communiter judicare possunt soli doctissimi, et in re morali versatissimi, cum illi soli ita rem perspectam habeant, ut scire possint nihil certi ipsis opponi.

At vir mediocriter edoctus potest judicare de opinionis probabilitate extrinseca, cum ad hoc duo sufficiant, nempe, statum quæstionis rite intelligere, et illam opinionem invenire assertam ab auctoribus inter Theologos omnino probatis. Vide Tract. *de Loc. Theol.*, n. 102, 104.

PUNCTUM III

De variis principiis reflexis, seu systematibus circa Probabilitatem.

125. — *Quæritur* quot et quænam sint principia *reflexa* et systemata circa probabilitatem moralem?

Resp. Tot sunt probabilismi systemata, et reflexa principia, quot probabilitatis gradus, scilicet, rigorismus, laxismus, probabilissismus, probabiliorismus, probabilismus, æquiprobabilismus.

126. — 1° *Rigorismus* seu tutiorismus absolutus hoc principio reflexo contrahitur aut nititur : *Semper tutior pars*, seu favens legi, *sequenda est, nisi pars minus tuta*, seu favens libertati, *sit speculative certa.* Hujusmodi systema a Jansenistis propugnatum fuit, et ab Alexandro VIII, an. 1690. damnatum in ista propositione : *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

127. — 2° *Laxismus* ad hoc reflexum principium reducitur : *Licet sequi opinionem minus tutam*, seu faventem libertati, *licet sit tenuissime tantum probabilis.* Tale systema damnatum est ab Inn. XI in ista propositione : « Generatim, *dum probabilitate* sive intrinseca, sive extrinseca *quantum tenui*, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, *semper prudenter agimus.* » Proinde controversia inter illa extrema agitatur.

128. — 3° *Probabilissismus* seu tutiorismus mitigatus, sic enuntiatur : *Non licet sequi opinionem minus tutam, nisi sit probabilissima.* Ita senserunt antiqui Lovanienses; n. 137.

129. — 4° *Probabiliorismus* sic se habet : *Non licet sequi*

opinionem minus tutam, seu libertati faventem, *nisi sit vere probabilior*. Sic, juxta Probabilioristas, peccatum dubie commissum est accusandum, seu pars tutior sequenda, nisi ex gravioribus motivis inferatur illud non fuisse commissum. Hoc systema fuit seculo proxime elapso sat communiter usurpatum in Gallia, etsi tamen perplures probabilismum in iisdem regionibus profiterentur; n. 138.

130. — 5° *Probabilismus* in hoc principio consistit : *Licet sequi opinionem minus tutam, modo sit solide probabilis, etsi minus probabilis;* id est, *lex vere dubia non obligat*. Sic, in eodem exemplo allato, juxta Probabilistas, peccatum non est accusandum, sed pars minus tuta sequenda, modo ex motivis in se gravibus inferatur illud non fuisse commissum, etsi graviora motiva simul militent pro illius peccati existentia. Hoc systema strenue a plurimis propugnatur, hodie in praxi sat vulgare est, n. 139, 143.

131. — 6° *Æquiprobabilismus* mediam viam tenet inter probabiliorismum et probabilismum, videlicet, duplici principio contrahitur : *Pars tutior*, seu legi favens, *sequenda est, quoties est certe seu notabiliter probabilior*. Ita cum Probabilioristis.

Si vero adsit æquiprobabilitas, tunc *melior est conditio possidentis*, id est, *non licet sequi opinionem minus tutam*, si dubium versetur circa legis *cessationem*, quia lex jam possidet; ita etiam cum Probabilioristis : *licet* autem, si dubium versetur circa legis *existentiam*, quia tunc libertas jam possidet; ita cum Probabilistis, etsi ex alio principio ratiocinantibus, n. 140-443.

Itaque a probabilismo differt æquiprobabilismus, qui a S. Ligorio præsertim propugnatus est, et in Italia atque in aliis regionibus sat communiter in praxi usurpatur. Vide S. Ligor., de *Consc.*, post n. 53[1].

1. Nonnulli in his ultimis temporibus, inter quos P. Ballerini, P. Montrouzier, S. J., S. Ligorium inter simpliciter probabilistas computarunt. Res autem valde aliter se habet, ut constat tum ex lectione S. Ligorii operum, tum ex opere in lucem edito, anno 1870, cui titulus : *Vindiciæ Alphonsianæ seu responsa ad*

Jam vero, ex omnium consensu, illorum systematum applicatio est omnino diversa, prout agitur de *speciali* obligatione alicujus finis determinati obtinendi, vel de *solo licito aut illicito;* et ideo pro utroque casu præfatorum systematum seu principiorum reflexorum valor et applicatio sigillatim expendenda est. Unde

PUNCTUM IV

De principio reflexo sequendo in casu dubii, quoties agitur de speciali obligatione finis determinati obtinendi.

PROPOSITIO

132. — *Tutior pars sequenda est, quando adest specialis obligatio finis determinati obtinendi.* Ita omnes.

Etenim, qui finem obtinere ex speciali obligatione adigitur, eodem modo etiam tenetur ad efficaciora adhibenda media : porro efficaciora media sunt illa, qnæ præ cæteris aptiora sunt seu tutiora ad obligationem adimplendam finemque obtinendum ; ergo tutior pars sequenda est, quando agitur de speciali obligatione finis alicujus determinati adimplendi.

Revera quocunque modo agens sibi efformet conscientiam, si adhibeat medium probabiliter tantum aptum, relicto tutiore, de facto in discrimen adducitur finis : atqui, ex hypothesi, finis est speciali officio obtinendus; ergo in hujusmodi adjunctis, agens sibi efformare nequit conscientiam, nisi ope principii reflexi de parte tutiore eligenda.

In hoc proinde casu semper majus adest incommodum in periculo violandi legem, si existat et ideo nunquam erit ratio sufficiens sese tali periculo exponendi. Quæ sic evolvuntur.

133. — 1° In his, quæ ad salutem necessaria sunt *necessitate medii*, semper tutior pars sequenda est.

Talis enim necessitas est absoluta, ita ut efformatio con-

difficultates contra doctrinam moralem S. Ligorii a P. Ballerino objectas; nec, uti nobis videtur, vim probationum in præfato opere expositarum infringere potuerunt plures auctores, qui nuperrime hanc quæstionem iterum agitaverunt, et inter eos anonymus qui *Vindicias Ballerianas* publicavit.

scientiæ eam nullo modo tollat; ideoque media absolute tuta et certa sunt adhibenda. Et vero ab Innoc. XI, 1667, damnata est sequens propositio : « Ab *infidelitate excusabitur* infidelis non credens, ductus opinione *minus probabili.* » Sic, v. g., incertum est an fides *explicita* mysterii SS. Trinitatis sit ad salutem necessaria necessitate medii; ac proinde tutior pars sequenda est, id est, omni conatu acquirenda est illa fides, quasi de absoluta ejus necessitate plane constaret.

134. — 2° Ubi agitur de *valore Sacramentorum,* tutior pars sequenda est, relicta minus tuta probabili, vel etiam probabiliori : tum propter reverentiam debitam Sacramento, quod, in quantum potest, nullitatis periculo non exponi necesse est; tum ne proximus exponatur periculo damni spiritualis. Conditiones enim Sacramenti a Deo determinatæ sunt, et minime pendent a dictamine conscientiæ. Revera damnata est ab Innoc. XI sequens propositio : « *Non est illicitum,* in *Sacramentis conferendis,* sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, *relicta tutiore,* nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravi damni incurrendi. Hinc sententia probabili utendum non est in collatione Baptismi, ordinis sacerdotalis aut Episcopalis. »

Unde, si adsit materia certa, adhibenda est potius quam probabilis : si vero non adsit materia certa, probabilior usurpetur in casu necessitatis; in eodem casu, si præsto sit tantum materia probabilis, imo et tenuiter probabilis, ea, saltem sub conditione, uti oportet, cum, in hoc casu, sit tutior respectu ipsius Sacramenti, et præsertim respectu salutis subjecti, quam si nulla adhiberetur.

Attamen aliquando Ecclesia potest et censetur supplere id. quod desideratur ad valorem Sacramenti, scilicet, in Sacramento Pœnitentiæ, si ex gravi ratione cum jurisdictione dubia conferatur; et in Sacramento Matrimonii, si adsit impedimentum ecclesiasticum dubium, aut etiam si dubia sit delegatio Sacerdotis assistentis.

135. — 3° Tutior pars eligenda est in his, ex quibus

imminet *periculum proximi*, quod sine *gravi incommodo* vitari potest. Sic, v g., venator timens ne, plumbum in feram ejaculando, aliquem hominem forte lædat, explodere non potest, etiamsi probabilius existimaret abesse periculum; nam, si forte illud adsit, ex una parte, probabilitate contraria etiam majori nullomodo removetur, et, ex alia, nulla adest in hoc casu ratio sufficiens se exponendi periculo tale damnum proximo inferendi.

Similiter judex debet judicare juxta opinionem probabiliorem, ut ejus sententia sit, in quantum potest, justitiæ conformis. Ad hoc enim a societate et a Deo præponitur judex. Item medicus et chirurgus tenentur ad medicamenta et media tutiora, quæ hic et nunc haberi possunt, adhibenda; quia tacito contractu ad finem obtinendum, in quantum fieri potest, se obligarunt.

Sed etiam tenetur præceptor saniorem et veriorem doctrinam docere, in quo potest per gradus peccare, juxta materiæ qualitatem, ut ait Suarez, in 1-2, tract. 3, disput. 12, sect. 6, n. 9.

Idem pariter dicendum est de omnibus aliis, qui erga proximum aliquam obligationem contraxerunt. Revera, ab Innoc, XI damnata est hæc propositio : « Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. »

Unde, ut recte solvantur similes casus, sedulo inquirendum est ad quid se obligasse quis censeri debeat, attentis gravitate periculi, illius probabilitate, et simul facilitate aut difficultate tutius eligendi.

136. — 4° Si conscientiæ dictamen contra *mandatum superioris* sit *incertum*, etsi *probabilius*, tutior pars sequenda est, seu standum est mandato.

Namque, *in dubio, præsumptio stat in favorem Superioris*, juxta omnes Theologos et vitæ asceticæ magistros. Revera, cum facilime occurrant hujusmodi dubia et probabilitates, si non admitteretur præfata regula, jam enervaretur in Superioribus auctoritas, minuerctur in subditis obedientia, nascerentur inter hos et illos contentiones, scandala, ad

maximum boni publici detrimentum. Unde in præfato casu inferior cum S. Theresia dicere debet : *Errare possum, peccare non possum.*

Attamen, si iniquitas mandati sit prorsus evidens, statim repellendum est, et obediendum conscientiæ, quæ est vox Dei, suprema lex, cui cedere debent aliæ leges inferiores, juxta illud : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus,* Act. 5, v. 29. Sed casus ille, præsertim ex parte Superioris ecclesiastici, Deo providente, rarissimus est.

Similiter, pars minus tuta seu libertati favens eligi potest quando, omnibus cum magna prudentia pensatis, majus nasceretur incommodum ex obedientia, quam ex inobedientia; vel etiam quando tantam molestiam, tantumve incommodum afferret obedientia, ut rationabiliter præsumeretur Superiorem nolle obligare. Unde inferior eximitur ab obedientia, quoties prudenter invocari potest hoc principium : *Lex non obligat cum tanto incommodo :* quod est reverendissime tractandum, orando apud Deum, atque pios et doctos viros consulendo.

Si vero præcipiens non sit Superior proprie dictus, ita ut ipsius auctoritas possit declinari, inferiori licet statim abnuere mandatum, quod suæ conscientiæ videtur injustum aut imprudens. Unde pœnitens potest non obedire Confessario præcipienti aliquid apparenter injustum, et ipsum deserere, ut ad alium recurrat pietate, scientia, prudentia præstantiorem. Idem dicendum est de doctore et casuista respondentibus quæstionibus positis.

Quæ tamen decisio non est applicanda scrupulosis, qui trepidant timore, ubi non est timor, quique ordinarie præsumere debent contra suam conscientiam.

PUNCTUM V

De principio reflexo sequendo in casu dubii, quoties agitur de solo licito vel illicito.

137. — *Quæritur* quandonam agatur de licito tantum et illicito, et quodnam in tali casu sequendum sit principium reflexum?

Resp. 1° Agitur de simpliciter licito in casibus ordina-

riis, quoties, scilicet, nulla adest specialis obligatio finis determinati obtinendi. ut supra, n. 132, ita ut intellectus et voluntas hæreant circa hanc quæstionem : hoc vel illud estne præceptum, aut prohibitum, aut permissum; v. g., estne illicitum tacere in confessione peccatum dubie commissum, aut certe commissum, sed dubie declaratum; vagus teneturne servare legem jejunii specialis vigentem in loco, per quem transit, et quæ dubie illum attingit?

2° Jam vero, pro illis et hujusmodi innumeris casibus exstant quatuor principia reflexa et systemata, nempe, probabilismi, n. 128, 129, 130, 131.

At probabilissismus communiter rejicitur, ita ut non requiratur quod opinio *minus tuta* seu libertati favens sit *probabilissima*, ut *eam sequi liceat*. Et revera ita sentiunt fere omnes Theologi; SS. Pontifices et Congregationes Romanæ, in responsis ad quæstiones e variis orbis catholici partibus propositas, non raro sequuntur partes minus tutas, quamvis illas ut probabilissimas non habeant; demum, admisso illo systemate, onus et numerus legum in immensum augerentur, atque obrueretur humana voluntas. Proinde controversia movetur inter tria tantum systemata, quorum momenta hic breviter exponemus.

138. — I. *Systema* Probabilioristarum. *Non licet sequi partem minus tutam*, seu libertati faventem *nisi sit vere probabilior*, n. 129.

Etenim nunquam licet agere sine conscientia moraliter certa de licitate actus, n. 118 : porro, nisi adsit saltem vera probabilioritas, obtineri nequit moralis illa certitudo; ergo non licet agere contra legem, nisi pars libertati favens sit probabilior.

Revera, ex una parte, vera seu notabilis probabilioritas æquivalet certitudini morali; ergo, posita illa probabilioritate de licitate actus, adest conscientia moraliter certa, licetque ideo eam sequi; ex altera autem, efficiente illa probabilioritate de licitate actus, nulla superest via ad efformandam conscientiam moraliter certam de licitate actus : siquidem principia reflexa a Probabilistis et Æqui-

probabilistis allata, sunt in se falsa aut saltem incerta, utpote a multis et gravibus auctoribus impugnata; ergo non licet sequi partem minus tutam, nisi sit vere probabilior.

Aliunde nemo citra necessitatem vellet sumere potionem, quam non probabilius judicaret non esse veneno permixtam : porro id in ordine morali faceret, qui sequeretur opinionem minus tutam, nisi esset saltem probabilior; ergo, etc. Vide fusius Billuart., *de Act. hum.*, dissert. 9, a. 1.

139. — II. Systema Probabilistarum. *Licet sequi opinionem minus tutam, modo sit solide probabilis, etsi minus probabilis;* n. 130, 94.

Etenim lex, etsi vere probabilius existens aut perseverans, tamen vere dubia remanet, falsoque asseritur veram probabilioritatem morali certitudini æquivalere; a fortiori dubia est lex æque vel minus probabilis : porro *lex dubia non obligat.*

Prob. 1° *doctrina et praxi SS. Patrum.* « Quando diversæ sunt opiniones, cæteris paribus, *humanior* est *præferenda;* » S. Bernard. Senen. *Serm.*, 3. — « Confessarius, si non potest clare percipere utrum sit mortale, non videtur præcipitanda sententia, ut deneget propter hoc absolutionem et faciat illi conscientiam de mortali. Cum *promptiora* sint *jura* ad *solvendum*, quam ad ligandum, et *melius* sit Domino reddere rationem de *nimia misericordia, quam* de *nimia severitate*, potius videtur absolvendus; » S. Antoninus, *Orat.*, 39. — « Quo argumento id confirmas? aut rem ita se habere proba; aut, si nequis, ne condemnes; quod *si lex dubia est, vincat humanitas et facilitas;* » S. Gregor. Naz., *Orat.* 39, contra quemdam Novatianum, qui secundas nuptias damnabat. — « *Stultissimi* hominis est, *præceptis* eorum *velle parere*, qui utrum *vera* aut *falsa* sint, *dubitant;* » Lactant. *Instut.*, lib. 3, c. 21.

2° *Auctoritate Theologorum et Juristarum.* Juxta omnes Theologos, lex, ut obliget, debet esse manifesta, clara et ideo certa. « Nullus *ligatur* per præceptum aliquod, nisi mediante *scientia* illius præcepti. Eadem virtus est, qua

præceptum ligat, et qua *conscientia;* cum præceptum non liget, nisi per virtutem conscientiæ; » S. Th., *de Verit.*, q. 17, a. 3 : porro S. Thomas, per vocem *scientia*, veram certitudinem intelligit : « Omnis scientia, inquit habetur per aliqua principia *per se nota*, et per consequens *visa;* et ideo oportet quæcumque sunt scita, aliquomodo esse visa... De ratione *scientiæ* est, quod id, quod scitur *existimetur esse impossibile aliter se habere;* » 2, 2, q. 1, a. 5. « Quandiu est judicium *probabile*, quod nulla sit lex prohibens vel præcipiens actionem, *talis lex non est sufficienter proposita* vel promulgata homini; unde, cum obligatio legis sit *ex se onerosa* et quodammodo *odiosa*, non urget, donec *certius* de illa constet. » Suarez, *de Act. hum.*, Tract. 3, disp. 12, sect. 6, n. 8. Benedict. XIV, not. 13, ait : « Non debent imponi ligamina, si non adest *lex clara*, quæ illa imponit. » Idem S. Pontifex, l. 47, ff. *de obl. et act.*, addit : « Ubi de obligando quæritur, *propensiores esse debemus nos ad negandum.* »

Tali doctrinæ omnino consonant axiomata Juris Romani ab omnibus Legistis admissa : « *In dubio, nullus præsumitur obligatus.* — In obscuris, quod *minimum* est, tenendum. — Nisi de mandato *certus* extiteris, exequi *non cogeris*, quod mandatur. — In dubio, favores sunt ampliandi, et *odia restringenda.* » Vide Tract. *de Legib.*, n. 98.

Nec aliter senserunt Theologi plerique, donec cum Jansenismo tristissima Theologiæ moralis exorta est periodus [1].

1. De *Probabilismo* brevis expositio historica consignatur in opusculo cui titulus *Quæstio facti*, in lucem edito a P. de Champs, S. J., an. 1659, et in alio opusculo, cui titulus : *Si les Jésuites ont inventé le Probabilisme*, in lucem edito an. 1880. Ex utroque, gallico idiomate, sequentia contrahimus.

Le probabilisme était pratiqué, admis d'instinct par tous, longtemps avant d'être réduit en formules et enseigné méthodiquement dans les écoles. C'est pendant le seizième siècle qu'il a été précisé, défini et présenté sous une forme scientifique.

Thomas Marcado, en 1568, François Victoria, en 1573, et surtout Barthélemy de Médina, dominicain, célèbre professeur à Salamanque, dans ses Commentaires sur S. Thomas, publiés en 1577 par ordre du général des Frères-Prêcheurs, enseignèrent que, lorsque le pénitent a pour lui une opinion *probable*, le confesseur ne peut lui refuser l'absolution; qu'il est *permis de suivre une opinion réellement probable, en renonçant à une autre plus probable.* D'ailleurs, ces auteurs

3° *Ex consectariis.* Si lex servanda sit, etiam quando contra ejus existentiam militat vera ac solida probabilitas, exinde plura sequuntur gravia ac intolerabilia consectaria. Scilicet, 1. tunc eadem lex erit servanda, nisi pars liberrati favens sit probabilissima, quia tunc solum adest probabilitas, quæ sola certitudini morali vere æquivalet : atqui tamen hoc communiter rejicitur, ex dictis, n. 102; ergo nec servanda est lex, licet pars minus tuta non sit probabilior.

étrangers à la Compagnie de Jésus, s'appuyaient sur des textes de S. Léon, d'Albert le Grand, de S. Thomas, de S. Antonin et d'autres scolastiques.

Or, de 1577 à 1655, époque où parurent *les Provinciales*, on compte environ cent cinquante théologiens moralistes; et tous, à l'exception de deux dont nous parlerons ci-après, enseignent le probabilisme de Médina, comme la doctrine universellement admise. Nous n'en citerons que quelques-uns.

Barthélemy de Lédesma, en 1585, Louis Lopez, en 1587, Bannez, Pierre de Lédesma, Jean de Saint-Thomas, Bernard de Vera, Louis Hacquet, Jean-Baptiste Ildephonse, en 1644, tous Dominicains, soutiennent le probabilisme, en sorte que le P. de Champs pouvait dire en 1659 : « Les thomistes modernes se sont faits avec un si admirable accord les patrons de ces deux propositions (où le probabilisme se résume, et que nous avons cités plus haut), que de tous ceux qui, depuis Médina, ont écrit sur la question, *je n'en ai pas trouvé un seul qui ait enseigné le contraire.* »

Pierre Navarre, docteur espagnol, en 1587, soutient que l'on peut suivre une opinion probable, quand même elle serait moins probable, et il ajoute que tel est le sentiment *le plus commun des théologiens.*

En 1592, Michel Salonius, Augustin espagnol, son frère Pierre d'Aragon, disaient que le probabilisme avait pour lui *beaucoup de docteurs très graves, surtout parmi les disciples de S. Thomas,* et que cette opinion était *beaucoup plus probable.*

Gamache, Duval, Isambert, Louis Bail, tous sorbonistes, parlent comme Pierre Navarre, en invoquant les thomistes et l'enseignement universellement reçu : *Ita,* disent-ils, *quamplures S. Thomæ interpretes; ita multi universaliter docent.*

Vers l'an 1642, Corneio, carme, Abelly, Montez, Pontius, Baggius, scotistes, s'expriment dans le même sens. Diana, de l'ordre des Clercs réguliers, cite quarante-une autorités en faveur du probabilisme. Gracia en cite quarante-cinq.

Deux, seulement, pendant cette période de quatre-vingts ans, de 1577 à 1656, combattent le probabilisme; c'est Comitolus, en 1609, et le P. Bianchi ou Blanc, sous le pseudonyme de Candidus Philaléthès, en 1642, tous deux Jésuites.

Ce dernier fut aussitôt réfuté par Etienne Spinola, de l'ordre des Somasques, et par Ange Bossius, barnabite. Spinola accuse Candidus de rejeter une opinon, qui s'appuie sur le suffrage de tous les théologiens modernes et sur la pratique universelle de tous les peuples : *Opinio hæc recentiorum omnium calculo, et universali populorum usu confirmata est.*

Bossius réfute l'opinion de Candidus comme contraire à l'*opinion commune des théologiens, si commune qu'on peut l'appeler certaine.* Il ajoute que rien *n'est plus*

2. Exinde etiam fideles et confessarii multiplici et indesinenter emergenti difficultate implicantur. Tenentur siquidem, in præfata hypothesi, posita quæstione de legis obligatione dubia, perpendere gradus probabilitatis, ac distinguere inter opinionem vere ac notabiliter probabiliorem, et minus probabilem : quod ipsis doctioribus et in re theologica maxime exercitis sæpius valde difficile est. Dum, e contra, in systemate probabilistarum, una tantum ac semper eadem, et unicuique obvia solvenda est quæstio,

reçu par tous les confesseurs réguliers ou *séculiers, et par tout ce qu'il y a de plus savant et de plus honnête dans le monde chrétien.*

Le premier auteur Jésuite qui ait discuté et soutenu le probabilisme c'est Vasquez, en 1598 ; et il déclare que c'était *depuis longtemps l'opinion commune dans les écoles.* On ne peut donc soutenir que le système de probabilisme doit sa propagation à la Compagnie de Jésus.

L'abbé de Saint-Cyran, en 1632, et Jansénius, en 1648, se plaignaient déjà de ce qu'ils appelaient le laxisme et la corruption introduites dans l'enseignement de la théologie moderne, *Laxismus et perversio Theologiæ recentis* Mais ils ne cherchaient pas encore à distinguer entre les docteurs catholiques et ceux de la Compagnie de Jésus.

C'est Pascal, dans ses *Provinciales*, qui, en 1656, attaqua le probabilisme en faisant les Jésuites seuls responsables de ce système. De l'école, la dispute fut ainsi transportée dans les salons et les boudoirs. La cour, la ville, toute la France devinrent juges du débat. Un grand nombre, craignant la note de morale relâchée, se jetèrent dans le rigorisme. Dès lors, le probabilisme ne fut plus seul enseigné dans les écoles, et deux systèmes furent en présence. Mais le tutiorisme fut condamné par Alexandre VIII, en 1690.

Or, de 1656 à 1690, on ne compte que onze auteurs antiprobabilistes, savoir : Nicole, annotateur des *Provinciales* sous le pseudonyme de Vendrock ; Henri de Saint-Ignace, auteur de l'*Ethique d'amour*, aussi janséniste ; Sinnichius, professeur à Louvain, auteur des propositions condamnées par Alexandre VIII ; Merendo, en 1655, dont l'ouvrage fut mis à l'index ; Mercurr, en 1658 ; Vincent Baron, en 1660, dont tous les ouvrages furent aussi mis à l'index ; Contenson, en 1675 ; Jacques de Saint-Dominique, Elizade, Jésuite ; Fagnan. Tous ces auteurs sont tutoristes et frappés par la sentence d'Alexandre VIII, relatée ci-dessus, n. 126.

Pendant cette période, de 1656 à 1690, un seul auteur antiprobabiliste évita le tutiorisme, ressuscita la doctrine oubliée de Comitolus et du P. Bianchi, ou plutôt la mit le premier en lumière, et mérita le titre de père du *Probabiliorisme ;* c'est Gonet, le seul théologien qui, à cette époque, ait combattu le probabilisme sans tomber dans l'erreur.

Pendant le dix-huitième siècle, S. Liguori, par ses ouvrages de théologie morale, contribua puissamment à ramener les esprits aux règles de la pratique ancienne, redevenues communes en France depuis bien des années, v. le Tract. *de Leg. Theol*, n. 107.

scilicet : constatne mihi hic et nunc de existentia talis vel talis legis; vel : adnestne mihi vera ac solida probabilitas, quod nunquam certo exstiterit talix lex, vel quod cessaverit, vel quod in hoc, non vero in illo sensu obliget?

3. Nec minor erit doctrinæ ac conclusionum practicarum fluctuatio. Gradus enim probabilitatis alicujus opinionis non idem decursu temporum aut in variis locis remanet. Sic quod probabilius reputabatur decimo octavo seculo, nostris temporibus ut probabile tantum habetur communiter; similiter, quod hic et nunc in Gallia plerique docent tanquam probabilius obligans, simul in America communiter prædicatur uti probabilius non obligans. In systemate autem probabilistarum, uniformis ac constans est doctrina et praxis, quandiu de existentia aut de sensu legis disputatur.

4. Tandem lex non obligat nisi sit sufficienter promulgata : atqui lex dubia non est sufficienter promulgata, sed tunc sufficienter promulgatur dubium, opinio, probabilioritas, aut minor aut æqua probabilitas de legis existentia, ut ait S. Ligor., lib. 1, n. 63; ergo lex, etiam probabilior, non obligat.

Revera, ex hypothesi, contra illam probabilioritatem militat vera et solida probabilitas, quæ præbet grave motivum dubitandi, ac secum affert gravem errandi formidinem : atqui talis probabilitas, seu tale motivum dubitandi, talis errandi formido excludit certitudinem moralem etiam ut talem sumptam; ergo lex etiam probabilior, contra quam militat vera et solida probabilitas, non est sufficienter promulgata et ideo non obligat.

Imo paucæ sunt opiniones manifeste et notabiliter probabiliores, et de quarum excessu probabilitatis constet, contra quas militant opiniones vere ac solide probabiles; eo quod vix ullus prudens Theologus opinionem affirmavit manifeste et notabiliter probabiliorem, quandiu agnoscit oppositam vere ac theologice probabilem, ut animadvertit Theol. Virceburg, n. 262; ac proinde raro aut rarissime in praxi evenit exceptio aut obligatio, in cujus favorem propugnant probabilioristæ.

Cæterum, qui ex systemate probabilismi sibi efformaret certam conscientiam, ubi agitur tantum de licito aut illicito, jam formaliter non peccaret; et ideo non comparandus est ei, qui potionem veneno permixtam sumeret.

140. — III. Systema Æquiprobabilistarum duplicem habet partem, ex dictis, n. 131 : scilicet, 1° *tutior pars sequenda est, quoties hæc est certe seu notabiliter probabilior.* S. Ligor., lib. 1. Tract. 1, n. 54.

Etenim 1., ad licite operandum, debemus in rebus dubiis veritatem inquirere, et sequi; ergo, ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam, quæ propius ad veritatem accedit, qualis est opinio probabilior. S. Ligor. *ibid.* Unde Clemens III, *C. Capellanus, de feriis,* eam sententiam, *quæ sublimiori et meliori nititur ratione, anteponit.*

2. Opinio certe probabilior pro lege, quamvis non faciat legem omnino certam, tamen, propter illam majorem probabilitatem, videtur moraliter verior, (et consequenter lex moraliter seu sufficienter promulgatur?) ergo lex tunc dici nequit dubia dubio stricto; nec dubium latum quod superest, permittit ab opinione tutiori discedere. S. Ligor., *ibid.*

3. Quando opinio, quæ stat pro lege, est certe probabilior, tunc mens nostra ex certa quadam vi suæ naturæ sentit se quasi inclinari ad eamdem amplectendam, ac lex dici potest sufficienter promulgata et certa moraliter. « In *actibus humanis*... non potest haberi *certitudo demonstrativa,* eo quod sunt circa *contingentia* et *variabilia;* et ideo sufficit *probabilis certitudo,* quæ ut in *pluribus veritatem attingat,* etsi in *paucioribus* a *veritate deficiat;* » S. Th. 2. 2, q. 70, a. 2. Ita Scavini, *de Consc.*

Hinc eadem ratione, *licet sequi opinionem minus tutam, sed probabiliorem.* Tunc enim adest certitudo probabilis de non existentia legis, et ideo de actus licitate.

2° *Posita æquiprobabilitate* circa licitatem actus, *melior est conditio possidentis,* scilicet, *legis,* si agatur de legis *cessatione; libertatis* autem, si dubium versetur circa legis *existentiam.* S. Ligor. *de Consc.*, n. 26, 27.

Juxta omnes, illud principium valet in materia justitiæ, tum quia, propter hominum specialem vigilantiam in res suas, possessio fere semper indicat existentiam juris seu proprietatis; tum quia sine illo possessionis valore, dominia sæpe manerent incerta, variisque litibus obnoxia, et exinde magnum sequeretur pro societate detrimentum.

At plures Theologi sentiunt illud principium non valere pro aliis moralibus obligationibus, eo quod in his non reperiantur rationes speciales, propter quas admittitur valor possessionis in materia justitiæ.

S. Ligorius tamen aliique non pauci principium possessionis in casu dubii adstruunt, pro qualibet morali obligatione.

Etenim possessio est in omni materia morali aliquid positivi, cujus fundamentum morale seu jus destrui nequit, nisi rationibus ipsi contrariis : atqui in dubio, quod oritur ex conflictu duarum opinionum æquiprobabilium, tot apparent rationes servandi quot tollendi jus seu fundamentum morale possessionis : ergo ratio prædominans qua jus illud tollatur, deficit, et ideo in hoc casu perseverat possessio, seu melior est conditio possidentis.

141. — Hinc lex, si sit dubie *condita*, vel dubie *promulgata*, non obligat; quia possessio stat pro libertate, quæ prius concipitur, quam lex vere applicetur. Idem dicendum est, si dubitatur an in lege promulgata *comprehendatur*, necne, aliquod onus; quia pro illa parte, de qua lex est dubia, lex non possidet.

Contra vero, si lex sit certe condita, et certe promulgata, et inde oriatur dubium an sit abrogata, vel revocata, aut dispensata, est observanda; quia tunc ipsa possidet. Sic etiam in dubio, an lex per se justa fuerit accepta, etiam observari debet, quia præsumendum est eam fuisse receptam, ex hoc principio : *In dubio, præsumitur factum, quod de jure faciendum erat;* S. Ligor., *de Consc.*, n. 27.

Quid autem in favorem illius systematis, inferri possit ex approbatione a S. Sede data operibus Theologiæ moralis S. Ligorii, jam expendimus in Tract. *de locis Theol.*, n. 106, 107, et hoc iterum revocamus infra, n. 143.

142. — *Scholium*. Nostris diebus aliud a pluribus agitatum est systema, quod vocant de *ratione sufficienti* aut de *majori commodo* et *incommodo*, in hoc principio innixum : *Licet sequi partem minus tutam seu libertati faventem, quoties bona per legis incertæ transgressionem obtenta superant aut adæquant mala secutura ex violatione materiali ejusdem legis.*

Scilicet, 1. consideretur gravitas inconvenientium seu malorum, quæ certo sequentur ex violatione *materiali* legis, si de facto existat;

2. Imminuantur ista mala pro rata dubietatis, qua legis existentia afficitur.

3. Cum malis ita imminutis comparentur bona, quæ per transgressionem legis incertæ obtinentur.

Quod si bona superent, aut saltem plene adæquent mala prout dictum est imminuta, agere plene licet. Aliter non licet; et si actio fiat, erit peccatum, vel grave, vel leve, prout excessus mali supra bonum erit vel gravis, vel levis.

Si vero dubitetur utrum bonum causæ excusantis ab observatione legis incertæ plene adæquet malum transgressionis, tunc requiritur et satis est, quod sufficientia causæ excusantis sit æquiprobabilis. Juxta alios, in hoc casu lex servanda est, quia sibi ipsi favere solet libertas judex in sua causa.

Hujusmodi systema probatur ex ipsa natura legis incertæ. Namque cessat obligare lex etiam certa, quoties adest ratio sufficiens ab ejus observatione excusans, id est, quoties commodum ex legis inobservatione consequens compensat incommodum ex eadem inobservatione secuturum.

Porro idem valet ratiocinium pro lege incerta. Siquidem lex incerta non est ex se nulla, sed vim obligandi retinet pro rata parte dubietatis, ita ut, qui eam violat, se exponit periculo incurrendi malum seu incommodum, quod præcavere voluit legislator; sicut et qui eam observat, incurrit incommodum privationis libertatis propriæ; ergo incommodum majus aut æquale quod trahit observatio legis incertæ, ab hac lege excusat, sicut similis ratio excusaret a lege certa. Ita in opusculo recenter in lucem edito, cui titulus : *De theoria probabilitatis dissertatio Theologica a P. Potton, Ord. prædicatorum.*

Jam vero hujusmodi systema nec est novum, nec difficultatem solvit, sed falsum principium præsupponit.

Et quidem 1° *non est novum*. Etenim alia etiam systemata in ratione sufficienti, id est, in majori vel minori commodo aut incommodo nituntur : sic probabilioristæ contendunt anteponendum esse ipsorum systema, alioquin ex frequentiori inobservatione legis incertæ, nimia sequerentur mala seu incommoda pro societate civili, religiosa aut ecclesiastica.

Similiter et e contra probabilistæ asserunt sequendum esse ipsorum systema, ne humana libertas obruatur ex frequentiori observatione legis incertæ, sicque nimis crescant incommoda ex tali lege certo secutura.

Tandem æquiprobabilistæ mediam viam tenent, ut effugiant incommoda duobus extremis inhærentia, et ita felicius et tutius in compensatione commodorum et incommodorum sistere putant. Ergo principium reflexum, quo nititur præfatum systema, non est novum, sed in omni probabilitatis systemate usurpatum.

2° *Nec difficultatem solvit*, ut patet ex præfati principii reflexi usu in omni probabilitatis systemate. Revera, commoda vel incommoda violationis aut observationis legis incertæ, eam faciunt tantum plus minusve probabilem, sicque in varia systemata probabilitatum recidimus.

Idem a fortiori verum est, quando commoda vel incommodo videntur æqualia, vel æquiprobabilia. Aliunde sæpe difficile est pronuntiare circa compensationem illorum commodorum vel incommodorum, eo quod non sint semper ejusdem generis, et ideo iterum redeunt probabilitatum systemata.

3° *Falsum principium præsupponit*. Etenim præfatum systema tanquam regulam inconcussam ponit, quod cujusque legis moraliter incertæ perpensanda sint commoda vel incommoda, ut de ejus observatione vel inobservatione pronuntietur : atqui hujusmodi regula pro unaquaque lege non valet.

Siquidem, juxta omnes Theologos, leges moraliter incertæ in duplicem classem dividuntur, ut jam diximus

n. 131, in fine, scilicet : vel in eis agitur de *speciali* obligatione alicujus finis *determinati* obtinendi, vel de solo licito aut illicito.

Si prius, verum est, et in hoc conveniunt omnes, quod cujusque legis incertæ commoda vel incommoda specialiter perpensanda sint, sicut finis specialis cujusque hujusmodi legum; et hoc actum est n. 132-136.

Si posterius, cum nullus adsit specialis finis obtinendus, nec ideo ulla obligatio specialis obtinendi aliquem finem determinatum, sequitur rationem servandi vel non servandi hujusmodi leges, esse iis omnibus communem et pro omnibus æqualem; ac proinde commoda vel incommoda observationis vel inobservationis illarum legum una vice ac pro omnibus simul hujusmodi legibus esse expendenda, uti fit in variis systematibus de solo licito vel illicito, n. 138-141.

Revera, præfati principii patroni omnia exempla, quæ in probationem afferunt, desumunt ex casibus in quibus agitur de fine speciali obtinendo; nullum vero ex casibus de solo licito vel illicito; ac proinde illud principium verum est tantum de legibus incertis circa specialem obligationem alicujus finis determinati obtinendi.

Unde systema de ratione sufficienti in hoc solum ab aliis systematibus discrepat, quod perpendat pro unaquaque lege incerta omnia ejus commoda vel incommoda, quasi per unamquamque obtinendus esset specialis finis; dum hujusmodi finis specialis non existit nisi pro quibusdam tantum legibus incertis. Quæ essentialis distinctio forsan a pluribus insufficienter notata fuit.

143. — *Conclusio.* Quibus sic, in quantum potuimus, fideliter expositis, sensum nostrum breviter proponemus.

I. Systema probabilismi consonare videtur doctrinæ ac praxi SS. Patrum, Theologiæ scholasticæ, saltem seculi decimi sexti, et etiam, pro majori parte, decimi septimi; principiis ac praxi juristarum; generali legislationis œconomiæ ac scientiæ; sensui ac praxi fidelium et confessariorum communi per diversa tempora ac loca; atque adeo,

quoad praxim, inter cætera systemata præcellere antiquitate, perpetuitate et universalitate. Revera, extra controversiam videtur systemata probabiliorismi et æquiprobabiliorismi nonnisi ultimis temporibus fuisse concinnata et in scholis proposita; imo probabiliorismus in Gallia præsertim fuit assertus; multo minus, ne dicam rarissime, apud extraneos.

II. Hoc probabilismi systema anteponendum est; saltem pro lege *humana*, sive civili, sive ecclesiastica. Namque legislator humanus non videtur urgere legis suæ obligationem, nisi de ea certo moraliter constet, ut infertur ex axiomatibus et regulis juris, n. 139; tam a canonistis, quam a jurisperitis allatis ac recognitis.

Aliunde, si ille legislator legis suæ obligationem urgeat etiam in casu dubii, hoc clare declarare facile potest ac debet : porro nunquam ea de re locutus est; ergo legislator humanus per suam legem, dum remanet dubia, non intendit obligare, vel saltem hoc in cujusque arbitrio relinquit, id est, reipsa observationem legis non urget.

Consequenter, idem dicendum videtur, etiam de lege naturali et divina positiva. Namque Ecclesia a Christo posita est cum auctoritate infallibili tanquam interpres juris divini positivi, et juris naturalis, in quantum hoc jus ad jus divinum positivum refertur : porro hactenus Ecclesia non locuta est de juris sive divini positivi, sive naturalis obligatione in casu dubii; ergo res in cujusque arbitrio remanet, seu lex sive naturalis, sive divina positiva in casu dubii per se non obligat.

Attamen systema S. Ligorii a pluribus, in Italia præsertim, propugnatur saltem pro lege naturali et divina positiva. Itaque

III. Primum principium reflexum a S. Ligorio assertum. nempe, *tutior pars sequenda est, quoties hæc est notabiliter seu certe probabilior,* ab ipsis probabilistis admittitur, si intelligatur eodem sensu, quo a S. Ligorio proponitur. Nam, ut videre est in Tract. *de Conscientia* S. Ligorii, pro hoc S. Doctore, notabilis aut certa probabilioritas est ipsamet certitudo *moralis* in rebus practicis; et idem affirmat

S. Th. in textu allato in favorem prædicti principii, n. 140: porro, tali certitudine posita, lex practice seu moraliter certa est, et ideo obligat, juxta ipsos probabilistas.

Quoad principium de *æquiprobabilitate*, S. Ligorio vere proprium, distinguendum est. Scilicet, 1. si agatur de ipsamet legis existentia, posita æquiprobabilitate, lex non obligat, ut sentiunt ipsi probabilistæ. 2. Si vero agatur de legis cessatione, posita æquiprobabilitate, legis obligatio perseverat; et in hoc solummodo S. Ligorius a probabilistis dissentit. At, posita vera ac solida probabilitate de legis cessatione, ut requirunt probabilistæ, difficile ac raro simul exstat æqualis seu vera ac solida probabilitas de ejusdem legis permanentia in casu individuali, seu sumpto cum omnibus circumstantiis hic et nunc instantibus; ac proinde in praxi, ac pro decisionibus in individuo sumptis, S. Ligorius rarissime a probabilistis dissentit.

Tandem, ex dictis in Tract. *de Locis Theol.*, n. 107, ad opera Theologiæ moralis S. Ligorii pertinet approbatio sive negativa, sive positiva solemnis, sive positiva usualis. Porro negativa approbatio datur operibus illorum omnium, qui titulo *Servorum Dei* condecorantur, atque solummodo significat opus sic approbatum esse, saltem *pro tempore*, quo datur approbatio, *immune ab omni censura theologica*, ex ibidem dictis, n. 106.

Approbatio autem *positiva solemnis* datur operibus illorum omnium, qui Ecclesiæ judicio authentico declarantur *Doctores Ecclesiæ*, ita ut hujusmodi opera sic *generatim laudantur, legi in scholis publicis vel ecclesiis permittuntur, et tanquam utilia fidelibus commendantur*.

Approbatio *usualis* fit longo usu, atque reipsa hanc consecuti sunt opera Theologiæ moralis S. Ligorii, ut dictum est, *ibid.*, n. 17, tum ob eximiam, quo donatus fuit ille S. Doctor, facultatem ad casus particulares recte applicandi principia de moribus; tum ob ejus efficax studium instaurandi pro multis rectam ac perantiquam principiorum moralium applicationem a Jansenianis in pluribus locis adulteratam; tum proinde ob frequentem illarum applicationum usum a Rom. Congregationibus, a Theologis et a Confessariis.

Unde, ex illa triplici approbatione, nulla conclusio exclusiva inferri potest in favorem puncti illius in quo S. Ligorius a probabilistis dissentit. Aliunde, eadem triplex approbatio haud raro data fuit operibus, qui integrum probabilismum ex professo propugnabant.

IV. Qui, omnibus et mature perpensis, judicat sequendum esse probabiliorismum, eo ipso pronuntiat cætera duo systemata esse deserenda, alioquin ille sibi contradiceret, asserendo, ex una parte, quod *non licet* sequi partem *minus tutam*, nisi sit *probabilior;* et ex altera, quod *licet* sequi partem *minus tutam*, modo sit vere *probabilis* aut *æquiprobabilis*.

E contra, qui probabilismum ut rectæ rationi magis consentaneum amplectitur, aliquando, aut etiam sæpe uti debet systemate seu principio reflexo rigidiori ad *majorem pœnitentis utilitatem*. « Ubi agitur *de amovendo pœnitente* a *periculo* peccati *formalis*, Confessarius, generaliter loquendo, et in quantum christiana prudentia suggerit, *benignis opinionibus debet uti;* ubi vero opiniones *benignæ proximum reddunt periculum formalis* peccati, prout sunt nonnullæ auctorem opiniones, v. g., quoad vitandas *occasiones proximas*, et aliæ hujus generis, tunc *semper expedit*, ut Confessarius utatur, imo dico quod ipse ut medicus animarum *teneatur uti* opinionibus *tutioribus*, quæ pœnitentes *ad se servandos in gratia conducunt*. » S. Ligor. *de Consc.*, n. 77.

V. Confessarius non potest imponere pœnitenti *bonæ fidei* suam propriam opinionem in re legitime controversa. Interrogatus autem, enuntiet suam opinionem, et simul dicat, si verum sit, nonnullos aut plures aliter sentire. Ecclesia enim, ut jam vidimus, hanc regulam ex toto corde profitetur : *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas.*

FINIS TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

TRACTATUS

DE LEGIBUS

OBJECTUM, UTILITAS, DIVISIO TRACTATUS

1. — Tria requiruntur ad actus humani moralitatem, scilicet, actus liber in via elicitus, lex, et conscientia, qua lex applicatur unicuique actui libero cum omnibus suis circumstantiis sumpto; Tract. *de Act. hum.*, n. 32.

Jam vero, in præcedenti Tractatu, dictum est de actu libero, et de Conscientia quatenus est lex proxima actuum humanorum. Nunc igitur disserendum est de horum actuum lege remota, seu de voluntate superioris actui humano imposita. Lex hujusmodi spectari potest in genere seu in suis conditionibus generalibus, vel in specie, quatenus unaquæque lex in sua natura, existentia et effectibus expenditur. In præsenti Tractatu agitur de Legibus in genere sumptis.

Nec sane a suo proprio objecto aberrat Theologia, dum ad ipsam legem naturalem, ecclesiasticam, imo et civilem descendit; siquidem triplicem hujusmodi legem sub altiori ratione complectitur. Videlicet, sub divino prorsus lumine inquirit quomodo a Deo originem habeant illæ leges, quatenus potestas ad eas ferendas in Deo primario existit, et ab ipso ad homines aut naturali aut supernaturali via dimanet, et cum illis semper influat et cooperetur. Præterea per altiores regulas seu juxta fidei principia declarat quomodo illæ leges in se sumptæ sint actuum humanorum mensuræ in ordine ad conscientiam, et ideo quantum ad meritum vel demeritum vitæ æternæ conferant.

Exinde infertur hujus tractationis utilitas atque profec-

tus. Quippe creatura rationalis suos actus in via juxta finem ultimum et supernaturalem apte recteque nec elicere, nec disponere potest sine lege, qua et ei via ostenditur, et ne a recto itinere deflectat, admonetur, et deflectens ad rectam vitæ tramitem revocatur, atque adeo legum consideratio in magnam Theologiæ partem cedit; et dum sacra doctrina de Lege tractat, nihil profecto aliud quam Deum ipsum uti legislatorem intuetur.

Quatuor erunt capita, 1° de notione et speciebus legis; 2° de notione, fundamento et speciebus juris in genere; 3° de lege divina; 4° de lege humana[1].

CAPUT PRIMUM

DE NOTIONE ET SPECIEBUS LEGIS IN GENERE

2. — *Quæritur* 1° quid sit *lex* in genere quoad nomen, et quoad rem.

Resp. 1. Lex, quoad nomen, idem sonat ac vinculum, a *ligando*, S. Th. 1. 2, q. 90, a. 1, 4, quia proprium munus legis cujuscunque est subditos quasi ligare atque obstringere ad aliquid faciendum vel omittendum; vel denominatur ab *eligendo*, eo quod unicuique ostendit quid eligendum sit, juxta Ciceronem et S. August.[2].

2° Quoad rem definitur : *Præceptum Superioris directum ad communitatem de se perpetuam, in hujus bonum.*

Dicitur 1 : *præceptum* seu ordinatio, præscriptio, impe-

1. Circa Tract. *de Legibus in genere*, consuli possunt S. Th., qui eximium hujusce materiæ compendium exhibet in 1. 2, q. 90 et seq. — Suarez, qui præ cæteris fuse hac profunde eamdem materiam evolvit in Tract *de Legibus*, qui in Cursu Comp. insertus est — S. Ligor., lib. 1, Tract. 2; Billuart, Tournely, Pothier, Domat, etc.

2. Legis nomen varie sumitur, modo pro inclinatione ad aliquid, juxta illud Rom. 2, v. 23 : *Video aliam legem in membris meis;* modo pro termino alicujus rei, juxta illud Prov. 8, v. 27 : *Quando certa lege vallabat abyssos;* modo pro conditione alicui adjecta, et cum dicitur : *Paciscor tecum ex lege, ut*, etc.; modo pro ipso opere a lege præscripto, juxta illud Joan. 7, v. 19 : *Nemo ex vobis facit legem;* modo pro libro ipsam legem continente; sic dicitur *vetus Testamentum, novum Test.;* sed proprie lex sumitur pro norma actuum humanorum, ut in præsenti Tractatu.

rium aut actus voluntatis; in hoc designatur legis genus, quod convenit tum mandato alicujus privati, tum imperio alicujus legislatoris publici.

Dicitur 2 : *Superioris*, quo significatur legis auctor seu persona publica, quæ vim moralem habet suam voluntatem aliis imponendi; et in hoc lex discrepat a mandato hominis privati, qui agit ut proprietarius, aut ut creditor, aut ut dominus servi alicujus.

Dicitur 3 : *ad communitatem de se perpetuam*, quibus indicatur subjectum legis, et hujus discrimen a præcepto simpliciter dicto. Scilicet, præceptum simplex ad aliquam personam immediate dirigitur, et ideo cum hac persona transit. Lex, e contra, dirigitur ad communitatem de se perpetuam, et ideo de se *constans* est, et vivit etiam auctore suo defuncto; sed etiam lex immediate afficit territorium in quo promulgatur, mediate tantum personas in eo degentes. Attamen nonnunquam nomina *legis* et *præcepti* promiscue usurpantur.

Dicitur 4 : *in hujus bonum;* quibus innuitur finis legis, scilicet, communitatis constitutio, conservatio et directio ad suum proprium finem, et ideo pax publica, delictorum coercitio, litium et controversarium exclusio, et alia similia, quibus bonum commune servatur et promovetur; unde lex debet esse *justa*. Simplicis autem præcepti finis est bonum privatum.

Dicitur 5 : *directum* seu *promulgatum*, ita ut sufficienter a communitate cognoscatur, aut cognosci possit, alioquin frustra constitueretur; unde promulgatio pertinet ad legis naturam, vel saltem est necessaria conditio obligationis a lege derivantis.

3. — *Quæritur* 2° quinam sint *actus* et *effectus* legis?

Resp. 1. *Actus* legis quadruplex est, præcipere, prohibere, permittere atque punire. Nempe, vel actus est ex genere suo bonus, et lex *præcipit*, aut saltem *suadet*, si sit *consilium;* vel est ex genere suo malus, et lex *prohibet;* vel indifferens, et lex *permittit;* quæ tamen permissio est virtualiter præceptiva, quatenus imperat ne actus impediatur

fieri; denique, ut sibi obediatur, lex pœnam sancit non obtemperantibus, seu *punit*.

Alii quintum apponunt, scilicet *præmium tribuere;* sed illud excludit S. Th., 1. 2, q. 92, a. 1., quia præmium retribuere ad quemlibet pertinet; punire autem, nonnisi ad ministerium legis, gravi nempe pœna, quæ a criminibus retrahere efficaciter valeat.

2. *Effectus* legis duplex est, nimirum, *subditorum obligatio*, cum concipi nequeat jus imperandi in superiore sine necessitate obligationis in subdito, juxta axioma : *Decretum facit necessitatem;* et consequenter *subditorum bonitas*, quatenus fieri nequeat quod subditus fideliter sectetur, quæ in lege continentur, quin et ipse conducat ad bonum societatis, atque bonus civis evadat.

4. — *Quæritur* 3° quænam sint legis *species?*

Resp. Lex ex parte auctoris est *divina* vel *humana*. Lex divina est *naturalis*, vel *positiva*. Naturalis lex divina est *æterna*, vel simpliciter *naturalis*. Positiva autem est *antiqua* vel *nova*.

Lex humana est *ecclesiastica* vel *civilis*. De illis diversis legum speciebus in subsequentibus capitibus dicendum habemus.

CAPUT II

DE JURIS NOTIONE, FUNDAMENTO, ET SPECIEBUS.

Lex, ex ipsius notione modo allata, est ipsamet voluntas superioris alicui communitati imposita. Hic igitur statim expendendum est undenam oriatur jus seu potestas suam voluntatem aliis imponendi, disserendo de juris notione, fundamento, ac speciebus in genere. Cujusmodi quæstiones fusius exponimus in Institut. canon., Tract. 1, n. 1-12.

ARTICULUS PRIMUS

De notione Juris in genere.

4[1]. — *Quæritur* 1° quid sit jus in genere, quoad nomen?

Resp. Nomen *juris* derivatur vel a participio verbi *jubeo* seu a *jussum*, quatenus jus idem est ac jussum superioris,

et propterea jura sive leges a priscis dicebantur *jussa;* — vel *a justo*, ut in Corpore juris, c. 2, dist. 1; vel a *justitia*, quia est humanarum actionum cum lege conformitas; et exinde jus sæpe usurpatur pro scientia justitiæ. Juxta quosdam vocabulum *juris* est simplicius justo et justitia, atque uti objectum justitiæ, hac antiquius est; et ideo non jus a jussu, a justo, sed potius justitia et justus a jure derivatur. Vide Schmalzgrueber, dissert. prœm., § 1, n. 2; Suarez, *de Legib.*, lib. 2, c. 2, n. 2, 3.

4 [2]. — *Quæritur* 2° quid sit jus quoad *rem*, *subjective* sumptum?

Resp. Jus quoad rem, subjective sumptum, est *potestas moralis aliquid agendi vel obtinendi.*

Et quidem 1. *potestas moralis*, non vero mere physica, ut in entibus ratione carentibus, aut in homine, qui more brutorum agit : moralis, scilicet, potestas ea est, quæ in aliis entibus rationalibus inducit obligationem moralem seu vinculum sub *reatu culpæ* et *pœnæ non obstandi*, sed *satisfaciendi tali potestati.* In hoc sensu dicitur aliquis *jus suum conservare, uti jure suo, jus suum transferre in alium, lædere jus aliorum*, etc. Unde talis potestas semper est legitima seu legi supremæ ac æternæ conformis, alioquin in aliis non induceret obligationem sub reatu culpæ et pœnæ, sed esset tantum vis physica et injuria.

2. *Aliquid agendi, vel obtinendi;* quibus designatur quidquid esse potest illius potestatis objectum, sive sit aliqua res, v. g., domus, prædium, pecuniæ summa, aut ejus usus tantum, sive aliqua functio aut alicujus functionis negatio, v. g., potestas ad docendum, imperandum, judicandum, vel ad non militandum. Unde illa potestas vocatur *activa, passiva, resistiva*, prout est ad aliquid agendum, vel ad aliquid impediendum.

ARTICULUS II

De Juris fundamento seu origine.

4 [3]. — De primario obligationis moralis et ideo ipsius juris fundamento valde inter se dissentiunt acatholici auc-

tores, qui tamen simul conveniunt in rejiciendo verum juris fundamentum, ut jus ipsum e medio tollant. Hoc quippe vinculum morale desumunt vel ex pacto sociali inter homines inito, vel ex necessitate consulendi utilitati publicæ, vel ex dictamine conscientiæ; dum catholici cujusvis obligationis ac juris fundamentum in Deo quatenus hominis creatore ac fine ultimo reponendum esse credunt atque docent.

Hæc omnia delibantur in ethica rationali seu philosophica. At soli Theologiæ inest lux divina et infallibilis auctoritas ad tuto discernendam veritatem, eamque cum imperio omnibus tradendam. Nec supervacaneum est dignoscere verum juris fundamentum ab exordio discussionis de legibus. Aliunde, in cæteris Theologiæ partibus non adeo opportune occurrit hæc de jure disputatio, quæ nostris diebus tanto animorum æstu agitatur [1]. Unde

PROPOSITIO PRIMA

4[4]. — *Pactum sociale non est fundamentum obligationis moralis, nec proinde ipsius Juris.* Certum est [2].

1. « Les vérités qui sauvent les nations, les erreurs qui les détournent de leurs voies, se sont livré bataille sur le champ ouvert à l'essor de l'esprit humain par ces mots : *le droit, la justice, la liberté, le devoir*... Qui ne sent le désir, le besoin de savoir la vérité sur le Droit? » Lucien Brun, *Introduct. à l'étude du Droit.*

2. Hujusmodi pactum a J.-J. Rousseau, *Contrat social*, liv. 1, c. 6, 7, his verbis contrahitur : « Chacun de nous *met en commun sa personne et toute sa puissance sous la suprême direction de la volonté générale*, et nous recevons chaque membre comme partie indivisible du tout. A l'instant, au lieu de la personne particulière de chaque contractant, cet acte d'association produit un corps moral collectif composé d'autant de membres que l'assemblée a de voix, lequel reçoit de ce même acte son unité, son *moi* commun, sa vie et sa volonté. »

« Cette hypothèse, dit Lucien Brun, *ibid.*, p. 38, 44, n'a plus de champions déclarés; et, cependant, le poison, qu'elle couvre, a profondément pénétré le corps social. L'idée de l'homme *créant lui-même l'autorité*, c'est le fonds des erreurs modernes... Ecoutez ce qui se dit et lisez ce qu'on imprime sur l'autorité, sur la liberté, sur le droit de punir, sur le mariage, sur la propriété, sur les droits du père de famille et les héritages, sur l'étendue des droits de l'Etat vis à vis de la famille ou de l'individu : et vous trouverez plus ou moins nettes, plus ou moins déguisées, les conséquences du principe, dont Rousseau a été le séduisant apôtre. »

Hoc pactum continet, ut aiunt, *jus novum, jus modernum, imperium populare,* vel, rectius *falsa dogmata Revolutionis.* Porro hujusmodi pactum nec unquam fuit initum, nec potest iniri, nec, si unquam iniretur, ex se produceret obligationem moralem.

Et quidem 1° *nunquam fuit initum.* Ubinam enim et quandonam, teste historia, initum est inter homines pactum, quo in societatem convenire inter se consentirent; quo ideo singuli, ex voluntate plane conscia ac libera, suam personam suasque facultates traderent tali collectioni, seu illi qui talium hominum antea solivagorum multitudini præest; et sub hac expressa aut implicita conditione, quod hæc multitudo ad se, pro arbitrio, retraheret potestatem sic ex proposito mandatam? sed talis pacti nequidem tenuissimum vestigium proferunt ejus auctores et patroni; ergo nunquam initum est illud pactum.

2° *Nec unquam iniri potuit.* Nam tale pactum tria necessario præsupponit, scilicet, 1. genus hominum ante illud pactum fuisse solivagum; 2. hominem esse solivagum ex natura sua; 3. ante illud pactum nullam eminere voluntatem superiorem, cui homo obtemperare teneatur sub reatu culpæ et pœnæ, seu vi obligationis moralis. Atqui hæc tria falsa sunt. Namque 1. de facto genus hominum nunquam fuit solivagum, ex modo dictis. 2. Omnes hominis facultates sive intellectuales, sive morales, cum non possint excoli ac evolvi nisi in statu sociali, aperte demonstrant hominem ex natura sua non esse solivagum, sed socialem. 3. Demum, si, ante illud pactum, nulla emineat voluntas homine superior, eo ipso Deus pro homine non existit uti primum principium et ultimus finis; sed homini, uti finis ultimus, sola superest, more brutorum, quarumcunque inclinationum et appetituum satietas; nec homo, post illud pactum, aliud est quam mere machina pro Statu, qui fit *Deus-Status,* cui quidquid vult, licet; nec Status ad alium finem protendere potest, quam ut unicuique civium, juxta cujusque facultatem, præsentis vitæ felicitatem suppeditet, ac efficaciter præbeat : in quo adest *Communismus, Socialismus, Nihilismus,* id est, atheismi professio, materialismi

praxis, finis vere rationalis in homine negatio, cujuslibet obligationis moralis et juris eversio, ferrea Status tyrannis, et omnimoda hominis oppressio ac contritio. Ergo pactum illud sociale nunquam iniri potuit[1].

3° *Etiamsi iniretur, per se non produceret obligationem moralem, nec jus ipsum.* Etenim 1. antequam ineatur illud pactum, vel jam existit obligatio illud servandi, vel hæc obligatio ex illo pacto procedit : si prius, tunc obligatio moralis hoc pacto anterior est, ac proinde oritur ab aliquo alio principio; si posterius, adest effectus sine causa, et circulus vitiosus; siquidem pactum sociale absque ullo prævio jure quidquam constituendi, nihilominus constitueret obligationem moralem et jus ipsum.

2. Non est culpa, in sensu morali, absque inobedientia erga voluntatem alicujus superioris : atqui homines sunt natura pares; atque eorum pluralitas auget quidem quantitatem, sed intra eumdem valorem seu æqualitatem; ergo homines, quocunque modo inter se consocientur, non possunt constituere voluntatem quolibet hominum superiorem, nec ideo fundare obligationem moralem ac jus ipsum; ac demum pro illius pacti sanctione sola remanet, haud secus ac inter animalia, vis physica, ut ipse fatetur J.-J. Rousseau : « Le contrat social renferme tacitement cet engagement, *qui seul peut donner de la force aux autres,* que quiconque refusera d'obéir à la volonté générale, *sera contraint par tout le corps :* ce qui ne signifie autre chose, si non, *qu'on le forcera d'être libre;* car telle est la condition qui, donnant chaque citoyen à la patrie, *le garantit de toute dépendance personnelle.* » *Ibid.* Et ad hoc reipsa reducitur socialis libertas tantis encomiis prænuntiata a Revolutionis coryphæis, et in primis ab infanda Massonum secta.

Equidem multitudo hominum, ex pacto sociali seu ma-

1. « Le point de départ de la Révolution, c'est un *contrat social* chimérique, conclu d'avance entre des individus *fictifs*, dont on fait de simples *zéros* pour les transformer en unités *légales*. Son objet et son œuvre sont le socialisme égalitaire ou démocratique et antichrétien, c'est-à-dire, l'omnipotence de l'Etat, le sacrifice entier de l'individu et de la famille, l'ingérence de l'autorité publique dans tous les détails de la vie privée. » Taine, *Les origines de la France contemporaine.*

joris numeri consensu deligit principem, qui rei publicæ est præfecturus. At hoc delectu « non conferuntur jura principatus, neque mandatur imperium, sed statuitur *a quo sit gerendum.* » Leo XIII, Encycl. *Diuturnum,* 29 jun. 1881, *Immortale,* 1 nov. 1885.

PROPOSITIO II

45. — *Utilitas publica non est moralis obligationis nec ipsius Juris fundamentum.* Certum est.

Huc veniunt omnia argumenta in thesi præcedenti allata. Scilicet, 1° obligatio moralis privatam utilitatem postponendi utilitati publicæ vel præexistit huic utilitati, vel ex ea consequitur : si prius, ergo illa obligatio utilitate publica anterior est, et ab alio principio oritur; si posterius, adest effectus sine causa et circulus vitiosus, siquidem utilitas publica, absque ullo prævio jure quidquam efficiendi, nihilominus produceret obligationem moralem et jus ipsum. Aliunde, multa non nocent utilitati publicæ, quæ tamen scelera sunt apud omnes.

2° Non est obligatio cum reatu culpæ et pœnæ absque inobedientia erga voluntatem alicujus superioris : atqui utilitas publica seu plurium voluntas non constituit voluntatem quolibet hominum superiorem, ex dictis n. 44; ergo nec obligationem moralem.

3° Tandem utilitas publica a Statu repræsentatur; et ideo, in illa hypothesi, Status ipse jus constitueret, et eo ipso adesset Deus-Status, atheismus, cujuslibet obligationis moralis ac juris eversio, homo mechanica, etc., ut dictum est, n. 44.

PROPOSITIO III

46. — *Dictamen conscientiæ non est obligationis moralis nec ideo Juris primarium fundamentum.* Certum est.

Namque, ex dictis in Tract. *de Act. hum.*, n. 96, dictamen conscientiæ est judicium rationis practicæ dictans quid hic et nunc, spectatis omnibus circumstantiis, sit juri conforme, necne, seu quid faciendum vel omittendum sub obligatione morali; ergo tale judicium non jus, nec obliga-

tionem moralem constituit, sed utrumque præsupponit, et utriusque applicationem singulis actibus hic et nunc eliciendis solummodo prosequitur. Aliunde, conscientia hominis cujusque *per se* non constituit voluntatem homine superiorem; alioquin quisque homo esset simul seipso inferior et superior.

PROPOSITIO IV

47. — *Deus quatenus hominis creator et finis ultimus, est Juris sive divini, sive humani, fundamentum.* Certum est.

Constat 1° *Script.* Dicitur enim : « *Per me reges regnant,* et *potentes decernunt justitiam*... Data est *a Deo potestas vobis,* et *virtus ab Altissimo*..... In unamquamque gentem *Deus præposuit rectorem;* » Prov. 8, v. 15, 16; Sap. 6, v, 3, 4; Eccl. 17, v. 14. — « *Non haberes potestatem* adversum me *ullam,* nisi *tibi datum esset desuper;* » Joan. 19, v. 11. — « *Unus* est *legislator* et *judex,* qui potest perdere et liberare; » Jacob. 4, v. 12. — « *Non est potestas nisi a Deo :* quæ autem sunt, a Deo *ordinatæ* sunt; ideo *necessitate* subditi estote, non solum propter iram, sed *etiam propter conscientiam.* » Rom. 13, v. 1-5; I Petr. 2, v. 13, 15.

Unde sic : ex illis textibus, non est inter homines potestas moralis, quæ a Deo non oriatur, nec obligatio moralis seu ex conscientia nisi ratione illius potestatis a Deo promanantis : atqui Deus non habet in homines supremum dominium nisi quatenus est eorum creator et finis ultimus, siquidem, si homo a Deo totum suum ens non accepisset, ab eo non dependeret absolute; ergo Deus est primarium juris et obligationis moralis fundamentum, et quidem quatenus hominis creator et finis ultimus.

2° *Traditione.* « Non tribuamus dandi *regni* et *imperii* potestatem nisi *vero Deo;* » S. August., *de Civit.*, lib. 5, c. 21. — « Quod *principatus* sint, et quod *alii imperent,* et *alii subjecti* sint, neque omnia casu et temere ferantur... *divinæ esse sapientiæ dico;* » S. Chrysost. Epist. 61. — Leo XIII, in Encycl. *Diuturnum,* 29 jun. 1881, præfatam thesim sic complectitur : « Nemo hominum habet *in se* aut *ex se,* unde

possit alios ita cogere *ad parendum*, ut his plane *peccatum sit non parere*. Unice rerum omnium *procreatori* et legislatori *Deo* ea potestas est : quam qui exercent, tanquam *a Deo secum communicatam* necesse est. »

3° *Ratione*. 1. Quoad jus *divinum*. Deus quatenus hominis creator, eo ipso fit hominis supremus Dominus, et homo, uti creatus, est in perpetuum et in omnibus Deo subditus sub reatu inobedientiæ proprie dictæ seu culpæ et pœnæ a Deo imponendæ : atqui Deus in primis homini præcipit tendere ad seipsum tanquam finem ultimum per congrua media, quia Deus, creando, nonnisi propter semetipsum operari potest, cum extra seipsum sit merum nihilum; ergo primaria obligatio moralis pro homine est tendere ad Deum tanquam finem ultimum; ac proinde Deus, quatenus hominis creator et finis ultimus, est primarium juris *divini* fundamentum. Sed etiam

2. Juris *humani*. Nam moralis obligatio pro unoquoque hominum tendendi ad Deum tanquam finem ultimum per congrua media, per se ac necessario implicat in cæteris hominibus necessitatem seu obligationem sub reatu culpæ erga Deum, illis mediis non obstandi, sed et cooperandi in quantum necesse est : Deus enim, dum vult finem, eodem actu vult et media; ergo jus humanum seu cujusque hominis erga cæteros homines oritur a jure divino, id est, ex obligatione pro unoquoque hominum assequendi Deum uti finem ultimum, sicut hæc obligatio procedit a Deo quatenus hominis creatore.

Revera, voluntas vere homine superior concipitur ac necessario constituitur cum Deo creatore; sine autem Deo creatore, talis voluntas, nec proinde obligatio sub reatu culpæ, nec esse, nec concipi potest. Ergo, qui hominem societatemve a Deo, a religione, a sacerdotio seu Ecclesia præscindunt ac separant, eo ipso omnem obligationis moralis ac juris rationem prorsus tollunt; et eodem ictu humanæ societatis fundamenta diluere connituntur, ut inter homines jam non supersit, haud secus ac inter bestias, nisi præpollens vis physica. « Et sane ubi vereri Deum homo desiit, *maximum justitiæ tollitur fundamentum*... et

qui imperant, facile in dominatum injustum, et qui parent, levi momento in seditionem et turbas delabentur. » Leo XIII, Encycl. *Nobilissima,* 8 febr. 1884.

ARTICULUS III

De Juris speciebus.

48. — *Quæritur* quænam sint variæ juris species?

Resp. Jus considerari potest ex parte subjecti, vel objecti. Porro, ex parte *subjecti*, jus seu potestas moralis, de qua dictum est in præcedenti articulo, duplex est, nempe jurisdictionis, vel proprietatis.

Jurisdictio est *potestas moralis alicui superiori competens regendi subditos primario et principaliter in subditorum bonum*. De tali potestate jam partim actum est in Tract. *de Ecclesia*, et directe ac proprie, quoad ejus generales conditiones, agitur in præsenti Tractatu. Subdividitur jurisdictio, sicut ipsa lex, in divinam et humanam : divina est naturalis vel positiva; humana est ecclesiastica vel civilis, n. 4.

Jus *proprietatis* est potestas moralis *aliquid agendi vel obtinendi in proprium commodum,* et propterea dicitur jus *proprietatis*. Subdividitur in *perfectum* vel *imperfectum*, prout ejus limites rigorose determinari possunt, necne, ut evolvitur in Tract. *de Justitia*, n. 7, 8. De jure perfecto proprietatis agitur in Tractatibus *de Justitia* et *Contractibus*, et de jure proprietatis imperfecto seu charitatis, in Tract. præsertim *de Decalogo*.

Ex parte *objecti,* jus vulgo sumitur pro ipsa lege vel pro summa legum; et exinde, tot sunt jura seu legum collectiones, objective sumpta, quot potestates specie distinctæ, ex quibus variæ leges defluunt, atque ideo iterum distinguitur jus divinum et humanum, jus divinum naturale, vel positivum; jus humanum ecclesiasticum vel civile, etc.; vide Institut. Canon., Tract. 1, n. 9, 10.

CAPUT III

DE LEGE DIVINA

In triplici articulo dicemus 1° de lege æterna, 2° de lege naturali, 3° de lege divina positiva,

ARTICULUS PRIMUS

De Lege æterna.

Inquirendum habemus de legis æternæ notione et existentia, ac simul indicabimus ejusdem objectum et subjectum. Unde.

5. — *Quæritur* 1° quid sit lex æterna?

Resp. Lex æterna est *actus divinæ mentis, dictans quid sequi aut fugere debeat creatura, cum voluntate eam obligandi.*

Dicitur 1° *actus divinæ mentis;* quibus indicatur legem de qua agitur, considerari in ipso Deo quatenus legislatore seu ab æterno ordinante quidquid de creaturis rationabilibus in tempore divina gubernatione disponitur et ad finem ducitur : in hoc lex æterna discrepat a cæteris legibus, quarum actus constitutivus in tempore et non ab æterno producitur, et quæ ideo *temporales* nuncupantur.

Dicitur 2° : *dictans quidquid sequi aut fugere debeat;* quibus significatur objectum legis æternæ, quod nimirum complectitur *formaliter* omnia intrinsece et per se necessaria ad creaturæ rationalis finem ultimum consequendum ; *virtualiter* autem continet alias leges.

Et sub hoc duplici respectu lex æterna ratione objecti discrepat a cæteris legibus. Videlicet, 1. lex æterna quædam tantum substantialia fundamenta et per se necessaria statuit; lex vero naturalis est ipsa legis æternæ applicatio quoad officia ex natura hominis defluentia et evidenti illatione ex primariis principiis consequentia ; demum lex positiva, sive ecclesiastica sive civilis, particularia non adeo substantialia, nec per se evidentia, nec immutabilia determinat.

2. Insuper lex humana sive ecclesiastica sive civilis non est justa, nisi in quantum juxta incommutabile legis æternæ præscriptum ordinat atque judicat; ita ut lex æterna sit fons, regula et mensura æquitatis sive ipsius potestatis legislativæ, a qua fertur lex positiva, sive ipsius legis positivæ, juxta illud : *Per me reges regnant*, id est, a me suam habent auctoritatem suasque leges condendi potentiam, cum sine me nemo jus habeat sese immiscendi rerum gubernationi a me ex suprema auctoritate ab æterno statutæ; et *legum conditores justa decernunt*, Prov. 8, v. 15: id est, tantum justa præcipiunt, in quantum legi meæ sese conformant. Unde S. August. ait : « Simul etiam te videre arbitror in illa temporali lege nihil esse justum atque legitimum, quod ex hac æterna sibi homines non derivaverint. » *de Lib. arb.*, lib. 1, c. 6.

Revera lex æterna ea est, quæ finem ultimum ponit, mediaque per se intrinsece ad hunc finem consequendum necessaria determinat; omnis igitur lex positiva justa est, quæ hujusmodi fini et mediis consonat; injusta vero quæ iisdem fini et mediis dissentit; ac proinde lex æterna virtualiter omnes alias leges continet, cum sit earum fons primarius, ac suprema regula.

Dicitur 3° : *creatura rationalis*, quæ sola capax est obligationis et obedientiæ, ac proinde legis propriæ dictæ. Attamen res ratione carentes sub lege æterna analogice comprehunduntur, quatenus, scilicet, Deus metaphorice dicitur res hujusmodi per leges gubernare, atque res istæ late et metaphorice dicuntur ad Deum subordinari eique obedire. Suarez, *de Leg.*, lib. 2, c. 2, n. 13.

Dicitur 4° : *cum voluntate eam obligandi;* et in hoc lex æterna ab ideis divinis distinguitur, atque convenit cum cæteris legibus quibuslibet; lex enim per se implicat obligationem in subdito; et ideo ad legem constituendam non sufficit actus mentis concipientis quid sit agendum vel non agendum; sed insuper requiritur superioris voluntas imponens obligationem hoc vel illud agendi aut vitandi.

Tandem hujusmodi actus mentis et voluntatis divinæ, licet sit æternus, tamen vocatur lex quæ ex se respectum

habet temporalem, eo quod ordinatur ad gubernationem rerum temporalium a Deo præcognitarum, ut ait S. Th. 4 d. q. 91, a. 1, ad 1.

6. — *Quæritur* 2° an existat lex æterna?

Resp. Affirmative, et certum est. Etenim 1. ex dictis, lex æterna est ipsa rerum gubernatarum ordinatio ab æterno : porro non minus necessaria est hujusmodi ordinatio, quam ipsius totius creaturæ providentia, cujus ratio est lex æterna; ergo omnino necessaria est lex æterna.

2. Sublata lege æterna, nulla præsto esset regula indefectibilis, ex qua constare posset de bonitate legum humanarum ex se et natura sua defectibilium; siquidem ut de legis ex se defectibilis bonitate constet, debet hæc cum regula et mensura quæ indefectibilis sit, comparari; imo nulla foret lex naturalis, quia eadem lex quæ in Deo est æterna, naturalis dicitur cum hominum cordibus inscribitur, ex statim dicendis. Ergo existit et necessaria est lex æterna.

ARTICULUS II

De Lege naturali.

Quatuor erunt paragraphi; 1° de notione et existentia legis naturalis; 2° de ejusdem objecto, 3° subjecto, 4° qualitatibus.

§ I

De notione et existentia Legis naturalis.

7. — *Quæritur* quid sit lex naturalis?

Resp. Lex naturalis definitur : *Regula morum defluens ex ipsa hominis natura;* seu *voluntas divina per naturæ humanæ constitutionem applicata*, et *per naturale rationis lumen manifestata.*

Dicitur 1 : *voluntas divina per naturæ humanæ constitutionem applicata;* quibus indicatur origo et subjectum legis de qua agitur. Scilicet, Deus nihil perficit in tempore, de quo æternum conceptum et æternam voluntatem non habeat : porro ratio divina ab æterno concipiens naturam

humanam et finem ex hac natura defluentem, atque voluntas divina statuens hunc finem assequendum per illam naturam, vocatur *lex æterna* respectu hominis. Quæ vero lex æterna in tempore applicata per realem constitutionem naturæ humanæ, et hujus naturæ destinationem ad finem ipsi proportionatum, *lex naturalis* nuncupatur. Quare lex naturalis definitur a S. Thoma, 4. d. q. 91, a. 2, *participatio legis æternæ in rationali creatura;* et in 4, dist. 35. a. 1, addit idem S. Doctor : « Quia homo inter cætera animantia *rationem finis cognoscit, et proportionem operis ad finem*, ideo *naturalis conceptio ei indita*, qua dirigetur ad *operandum convenienter*, *lex naturalis* seu *jus naturale* dicitur; in cæteris autem *naturalis æstimatio* vocatur. »

Dicitur 2 : *per naturale lumen manifestata;* quo indicatur legem, de qua agitur, esse naturalem seu naturæ humanæ proportionatam non solum ratione subjecti et finis, ut jam dictum est, sed etiam ratione modi, quo promulgatur et cognoscitur.

Hinc 1. lex naturalis differt a divina lege positiva sub triplici respectu, scilicet : prior defluit ex ipsa naturæ humanæ constitutione, ad finem naturalem tendit, et per naturale rationis lumen promulgatur ; posterior vero defluit non ex humanæ naturæ constitutione, sed ex positiva Dei voluntate, quæ supponit humanam naturam jam constitutam ; nec tendit ad finem naturalem seu naturæ humanæ proportionatum, nisi sit nova promulgatio aut evolutio quædam ipsius legis naturalis ; nec intimatur per lumen rationis, sed per supernaturalem revelationem.

Hinc 2. lex naturalis per lumen rationis non promulgatur, nisi quia lex hujusmodi ex ipsa naturæ humanæ constitutione defluit, et ad finem huic naturæ proportionatum tendit. Siquidem, cognita naturæ humanæ constitutione, eo ipso deprehenditur finis tali constitutioni proportionatus, ac proinde lex obtinendi illum finem per naturæ humanæ exercitium ; unde, ut de existentia legis naturalis constet, probare sufficit aliqualem legem moralem per rationis lumen nobis intimari. Itaque sit

PROPOSITIO

8. — *Præcepta quædam moralia per rationis lumen, absque revelatione, nobis manifestantur.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* « Gentes sunt inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, *non sicut Deum glorificaverunt*... Gentes quæ legem (scriptam) non habent, *naturaliter ea quæ legis* (scriptæ) *sunt, faciunt*, ejusmodi legem non habentes, *ipsi sibi sunt lex*, qui ostendunt opus legis scriptum *in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* » Rom. 1, v. 20, 21; 2, v. 14, 15; ergo inspectio creaturarum et conscientiæ testimonium sufficit, ut homo possit plura saltem officia hic et nunc servanda cognoscere; ac proinde existit lex moralis ex ipsa natura humana defluens, et per rationis lumen promulgata.

2° *Traditione.* « Duæ generatim sunt leges, *naturæ* una, cujus Deus auctor est, altera scripto data; » Orig. *contra Cels.* lib. 5, n. 37. — « Ea igitur lex non scribitur, sed *innascitur;* nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam *naturæ fonte* in *singulis* exprimitur, et humanis ingeniis hauritur; » S. Ambros. *Epist.* 73. — « Ista lex, quæ *in corde* scribitur, omnes continet nationes, et nullus hominum est, qui hanc legem nesciat. Unde omnis mundus sub peccato, et universi homines prævaricatores legis sunt; S. Hieron. *Epist. ad Algasiam.* — Ipse Cicero, natura duce, sic loquitur : « Est igitur hæc non scripta, sed *nata lex*, quam non didicimus, accipimus, legimus, verum *ex natura* ipsa arripuimus, hausimus, expressimus. »

3° *Ratione.* Eo ipso quod homo rationalis est, fieri non potest, quin ejus ratio non percipiat naturæ humanæ constitutionem, ac proinde quin exinde dignoscat finem tali naturæ proportionatum, et demum legem hujusmodi finem assequendi per naturæ humanæ exercitium : porro lex illa nihil aliud est quam lex naturalis; ergo lex naturalis existit.

Revera, posito quod ratio per se nullam legem moralem dignosceret, eo ipso homo non haberet conscientiæ dictamen, nec discerneret inter honestum et turpe, nec ideo

esset morum capax seu ens vere rationale : porro hæc omnia sensui communi, cujusque conscientiæ, universali constantique experientiæ repugnant. « Ut, perfectione suscepta, optimum omnium animalium est homo, ita si *alienus fiat a lege* et *a judiciis, pessimum est omnium animalium.* » Arist., *Polit.* lib. 1, c. 2. Ergo existit lex moralis per naturale rationis lumen manifestata, et ideo vere naturalis. Vide Tract. *de Gratia*, n. 250, ubi hæc thesis contra Fideistas et alios adversarios jam statuta est.

§ II

De objecto Legis naturalis.

9. — *Quæritur* quodnam sit legis naturalis objectum?

Resp. Ex ipsa definitione legis naturalis colligitur illud omne esse hujus legis objectum, quod ratio percipit essentiali ordini seu naturæ et relationibus entium necessariis consentaneum vel dissentaneum.

Duplex est autem hujusmodi objectum, *directum*, et *indirectum*.

Objectum *directum* sunt 1. omnia *præcepta Decalogi*, excepto præcepto de sabbati sanctificatione; et ideo, per Decalogum, Deus hominibus tradidit ac contraxit integram ac perfectissimam legis naturalis formulam ac summarium. 2. *Omnes conclusiones, quæ ex istis legitime deducuntur* per discursum quemlibet, quatumvis longum et difficilem; nam conclusiones illæ formaliter aut virtualiter includuntur in principiis, et eadem lege, qua ipsa principia, præcipiuntur aut prohibentur. Ideo 3. *omnes actus virtutum, quos dictat ratio omitti non posse sine peccato*, sunt objectum *directum* legis naturalis.

Indirecte autem sub lege naturali cadunt 1. *omnia præcepta positiva*, sive divinæ, sive humanæ potestatis. Nam lex naturalis præscribit, ut obtemperetur auctoritati legitimæ leges justas condenti. 2. *Intentiones* ex quibus fiunt quædam actiones, vel præscriptæ vel non. Istæ enim actiones si fiant, debent recto, aut saltem non pravo fine fieri. Sic, qui implet præceptum eleemosynæ, si eleemosynam sponte largitur ex motivo vanitatis, dici potest præcepto

eleemosynæ satisfecisse, sed minime satisfecit sub omni respectu præcepto legis naturalis; lex enim naturalis simul ac præcipit eleemosynam, vetat ne fiat ex motivo vanitatis. Unde 3. lex naturalis indirecte attingit omnes actus, in quantum præcipit omnes ita elici, *ut rationi non sint contrarii;* imo, qui cum Thomistis dicunt nullum esse actum indifferentem in individuo, consequenter dicere debent legem naturalem præcipere semper fieri actus positive bonos et honestos saltem ex parte finis.

§ III

De subjecto Legis naturalis.

10. — Unica quæstio agitanda de subjecto legis naturalis spectat infantes et amentes. Omnes equidem fatentur infantes et amentes a legis naturalis observatione excusari; sed Theologi non ita concordant, quando determinandum est, an, cum agunt contra legem naturalem, committant peccata materialia, quæ sint imputabilia his, qui illos ad ea committenda incitarunt. Quæ sentiamus sequens aperiet

PROPOSITIO

11. — *Infantes et perpetuo amentes legi naturali subjiciuntur in actu primo, licet ab ejus observatione excusentur; et peccant, qui illos ad actus contrarios impellunt.* Ita communiter.

Fatentur enim omnes infantium et amentium actiones, quando lege naturali prohibentur, esse in se inhonestas, et materialiter malas : atqui non essent materialiter malæ, nisi subjicerentur legi.

Et vero, omnis creatura rationis capax in potentia, in *actu primo* subjicitur legi naturali. Insuper rationis usus non est ratio et fundamentum legis naturalis, sed solum conditio obligationis ejusdem legis observandæ : ideo, deficiente usu actuali rationis, remanet tota legis ratio seu intrinseca deordinatio, quod est malum materiale. Ergo infantes et amentes aliquo modo legi naturali subjiciuntur.

Hinc 1. qui incitant infantes aut amentes ad actus in se inhonestos, peccant, quia in hoc casu actus imputantur

principali agenti, qui infante aut amente tanquam instrumento utitur ad rem inhonestam. Quis non videt quanta ex contraria assertione orirentur incommoda?

Hinc 2. si quis adultus ignoret invincibiliter talem actum a lege naturali prohiberi, peccat qui illi suadet hunc actum ponere.

§ IV

De qualitatibus Legis naturalis.

Per qualitates legis naturalis intelliguntur ejusdem legis unitas, indelebilitas, immutabilitas.

NUMERUS PRIMUS

De unitate Legis naturalis.

12. — *Quæritur* an et quomodo una sit lex naturalis?

Resp. Lex naturalis una est, et quidem sub multiplici respectu, scilicet, 1° ratione *finis,* quia universa ejus præcepta in id unum tendunt, ut ordo debitus servetur, et unaquæque creatura rationalis destinatum sibi finem attingat; 2° ratione *principii,* quia ab uno auctore, Deo scilicet, dimanat; 3° ratione *cognitionis* una etiam et eadem est apud omnes omnium temporum et locorum homines, si spectetur quoad prima et generaliora principia; conclusiones enim remotæ, quatenus apprehenduntur a mente humana, quæ multis erroribus est obnoxia, diversæ dici possunt in diversis hominibus.

NUMERUS II

De indelebilitate Legis naturalis.

13. — *Quæritur* an lex naturalis sit indelebilis quoad potentiam et quoad exercitium?

Resp. 1° Certum est in nullo homine rationis usum servante, posse deleri *potentiam* discernendi inter bonum et malum morale, quantumvis vitiorum cœno sit immersus; sicuti vim intelligendi speculativas veritates, quantumvis ignorantiæ tenebris quis obvolutus, semper retinet.

2° Non idem dicendum est de *actuali* discretione inter bonum et malum. Mens enim hominis ita potest per vitia,

præjudicia et cupiditates obcæcari et obnubilari, ut ex errore culpabili non discernat inter bonum et malum morale, etiam quando agitur de conclusionibus proximis.

NUMERUS III

De immutabilitate Legis naturalis.

14. — *Quæritur* 1° an lex naturalis sit immutabilis?

Resp. Legem naturalem immutabilem esse docet et ipsa ratio, Patrumque constans traditio confirmat.

« Huic legi, ait Cicero apud Lactantium, lib. 6, *de vero Cultu*, c. 8, nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per Senatum, aut per populum solvi hac lege possumus. » Idem ait, post S. Augustinum, S. Bernardus, lib. de *Præcepto et Dispensatione*, c. 3.

15. — *Quæritur* 2° an lex naturalis mutari non possit per additionem vel per substractionem?

Resp. Legi alicui duobus modis mutatio potest accidere : 1. per *additionem*, cum ei nova lex superadditur; 2. per *substractionem*, cum aliquid quod erat de lege, de lege esse desinit. Hæc autem substractio multipliciter contingit : vel per *derogationem*, cum pars legis tollitur, altera vim suam retinente; vel per *abrogationem*, cum lex omnino tollitur; vel per *dispensationem*, cum obligatio legis relaxatur respectu personæ particularis, quæ alias lege teneretur.

Jam vero certum est legem naturalem mutari posse per *additionem*, quia ipsi de facto additæ sunt variæ leges positivæ tum divinæ, tum humanæ, quibus multa prohibentur aut imperantur, quæ lege naturali nec vetita erant, nec præcepta, sed simpliciter permissa : suppositis autem iis legibus positivis, jam ipsa lex naturalis prohibet aut præcipit, quæ ab illis prohibentur aut imperantur, quia generatim dictat legitimis superiorum legibus esse obsequendum.

Tota ergo difficultas sistit in determinando an et quonam sensu lex naturali possit per *substractionem* mutari. Quæ ut facilius solvi queat, duæ præmittendæ sunt distinctiones. Unde

16. — *Quæritur* 3° quid sit jus primarium et secundarium, et quotuplici modo utrumque illud jus mutari possit per substractionem?

Resp. 1° Jus naturale duplex distinguitur, aliud *primarium* seu absolutum, aliud *secundarium* seu conditionatum : prius *immediate* fundatur in *essentiis* rerum absque ulla conditione; sic, posito quod constituatur ens rationale, vel animal rationale, fieri non potest. quin ens hujusmodi non teneatur ad Deum colendum per æstimationem et amorem super omnia : siquidem hoc officium defluit ex ipsa essentia entis contingentis ratione prædíti.

Posterius non fundatur immediate in rerum essentiis, nec obligat, nisi posita conditione, quæ pendet vel a Deo, vel ab homine; sic multiplicatio generis humani per generationem, non est ex essentia naturæ humanæ, quæ absque generatione et esse et concipi potest; attamen de facto Deus voluit hoc modo homines multiplicari, et in natura humana posuit quidquid ad hujusmodi multiplicationem necessarium est; ergo talis propagatio ad naturale jus *secundarium* pertinet.

2° Mutatio legis per substractionem potest contingere duplici modo, scilicet vel ab *intrinseco*, vel ab *extrinseco*.

Fit mutatio legis proprie dicta ab *intrinseco*, quando lex ad tempus lata, eo tempore lapso, desinit; et quando lex de justa et utili fit noxia et inutilis communitati. Huic mutationi affinis est, quia eosdem producit pro praxi effectus, mutatio quæ nuncupatur *improprie dicta ab intrinseco*. Contingit quando circumstantiæ mutantur, et propter circumstantia rum mutationem, desinit in hoc casu legis applicatio. Sic, si quis apud me deposuisset ensem, et illum repeteret ad occidendum filium, lex de reddendo deposito, etsi in suo robore permaneat, desineret me obligare.

Fit mutatio legis proprie dicta ab *extrinseco*, quando materia eadem remanente, legislator, per suam auctoritatem, legem irritat vel abrogat, aut ab ea dispensat.

Huic mutationi affinis est, quia eodem modo in praxi excusat a lege servanda, mutatio quæ nuncupatur *improprie dicta ab extrinseco*. Locum habet quando dominus materiæ

circa quam versatur lex, in illam auctoritatem exercet non legislatoris, sed domini. Sic, si quis debeat mihi centum nummos, efficere possum ut non peccet contra legem naturalem, illos non solvendo, si nempe debitum remittam.

PROPOSITIO PRIMA

17. — *Jus naturale primarium nullam mutationem subire potest, nec ab intrinseco, nec ab extrinseco, nec proprie dictam, nec improprie dictam.*

Jus enim primarium fundatur immediate, et independenter a qualibet hypothesi, in essentiis rerum : atqui essentiæ rerum sunt omnino immutabiles; ergo, etc.

PROPOSITIO II

18. — *Jus naturale secundarium nullam ab intrinseco subire potest mutationem proprie dictam, bene vero improprie dictam.*

Prob. 1ª *pars.* Mutatio proprie dicta ab intrinseco locum habet, quando lex, ad tempus lata, elapso tempore desinit obligare; aut quando lex utilis et justa fit inutilis aut noxia communitati : atqui evidens est jus naturale secundarium hujusmodi mutationem non posse subire. Nam, nedum sit ad tempus latum, fundatur in ratione æterna, in essentiis rerum, *positis circumstantiis quales adsunt*, et nedum fieri possit inutile aut noxium, est semper societati necessarium.

Prob. 2ª *pars.* Mutatio ab intrinseco improprie dicta locum habet, quando circumstantiæ ita mutantur, ut lex totum suum robur retinens, desinat habere suam applicationem ad talem casum : atqui jus naturale secundarium sæpe mutatur hoc sensu improprie dicto. Sic lex dicit ut depositum reddatur; at si furiosus ensem depositum repetat, non obligat ad illum reddendum. Item, quamvis lex dicat, *Non occides*, possum occidere injustum invasorem, si nulla mihi occurrat alia vitæ conservandæ via.

Mutatio autem, quæ his in circumstantiis adest, merito dicitur et est mutatio *improprie dicta*. Nam lex naturalis a Deo condita est cum exceptione pro his circumstantiis; et

ideo non videtur adesse mutationem, nisi quia homines legem cum exceptionibus conditam terminis generalioribus exprimunt, qui videntur supponere nullam posse admitti exceptionem.

PROPOSITIO III

19. — *Jus naturale secundarium nullam mutationem proprie dictam ab extrinseco subire potest, bene vero improprie dictam.*

Prob. 1ª *pars.* Mutatio proprie dicta ab extrinseco, locum habet quando legislator, materia legis eadem remanente, legis obligationem sive per abrogationem, sive per dispensationem, relaxat; atqui jus naturale secundarium, posita hypothesi pro qua conditum fuit, non minus fundatur in essentiis rerum, quam jus primarium; ergo, quandiu materia legis remanet, non magis potest subire mutationem quam jus primarium.

Prob. 2ª *pars.* Mutatio ab extrinseco, seu *dispensatio improprie dicta*, locum habet quando quis, dominus materiæ legis, illi materiæ quamdam mutationem inducit, vi cujus jam non comprehenditur sub lege : atqui Deus efficere potest ut materia, circa quam versatur jus naturale, subeat hujusmodi mutationem. Nam 1. lex naturalis quandoque prohibet actiones, propter incommoda quæ sequerentur, si illæ licitæ forent : porro Deus potest per suam Providentiam hæc removere incommoda, et sic materia mutata, improprie dispensare in legi naturali.

20. — Hinc intelligitur quomodo licitum fuerit filiis Adæ cum sororibus conjugium; Patriarchis et populo Judæo polygamia et divortium; quomodo Deus, absque dispensatione a jure naturali, potuerit Abrahamo præcipere ut filium suum occideret; quomodo, ex eadem summa auctoritate, bona Ægyptiorum ad Hebræos potuit transferre et revera transtulit Deus; nam, hac translatione facta, acceptio non fuit boni alieni, sed boni quod per donationem Dei factum erat proprium accipienti, etc. In iis vero præceptis, quorum materia non pendet a dominio

Dei, ne improprie quidem illum dispensasse legitur, v. g., in odio Dei, in blasphemia, idololatria, perjurio, etc., quia illi actus ita sunt intrinsece mali, ut nulla prorsus circumstantia possint cohonestari.

ARTICULUS III

De Lege positiva divina.

21. — *Quæritur* quid sit lex divina positiva, et quotuplex?

Resp. Lex *positiva* ea dicitur, quæ naturaliter mentibus nostris non insita est, sed ab aliquo Legislatore extrinsecus posita et constituta. Lex divina *positiva* definiri potest : *Regula* seu *Ordinatio a Deo hominibus per supernaturalem revelationem data, ad finem aliquo modo supernaturalem assequendum.*

Dividitur autem, 1° in legem divinam *pure positivam*, et in legem juris naturalis *declaratoriam* : prior præcipit aut vetat res quæ, attento solo jure naturali, in se sunt indifferentes; posterior ea præcipit aut vetat, quæ jam sunt jure naturali præcepta aut vetita, scilicet, legis naturalis præcepta a pluribus ignorata, negata, vel contempta docet, tuetur et vim novam eis confert. Porro quam utiles et necessariæ sint hujusmodi leges, constat ex dictis in Tract. *de Revelat.*, n. 58, 61, 144, 146.

Dividitur 2° in legem *veterem* et in legem *novam*. De utraque aliquid dicemus in duplici paragrapho.

§ I

De Lege veteri.

22. — *Quæritur* 1° quid sit Lex vetus?

Resp. Lex *vetus*, sic dicta quia ante legem evangelicam data est, dividitur in legem *primævam* et in legem *mosaicam*.

Lex *primæva* est complexio legum, quæ a Deo supernaturaliter protoparenti datæ sunt, ut Adam ejusque posteri cognoscerent et consequi possent finem supernaturalem generi humano assignatum.

Inter hujusmodi leges a Deo supernaturaliter revelatas,

plures ad jus naturale pertinent, et per rationis lumen cognoscuntur.

Jam vero legis primævæ Revelatio demonstrata est, et ejusdem legis compendium exposuimus; finemque, quoad partem liturgicam, indicavimus in Tract. *de Revelat.*, n. 144, 146, 147, 148, 167, 169; ideoque de illa nihil hic dicendum superest.

23. — *Quæritur* 2° quid sit lex mosaica, vetus Testamentum.

Resp. Lex *mosaica* sic dicta eo quod Moyses fuit præcipuum instrumentum ejus promulgationis, duplici nitebatur elemento, scilicet, veteri Testamento, et variis legibus ad hoc Testamentum a gente Hebraica fideliter servandum, supernaturaliter impositis.

Vetus Testamentum est specialis *contractus* seu *fœdus* inter Deum et Abraham hujusque posteros sic initum, videlicet : ex una parte, Deus Abrahæ promisit Messiam ex ejus semine nasciturum, ejus posteros supra modum numero multiplicandos esse, et tanquam suam possessuros terram Chanaan, ibique etiam temporalibus bonis a Deo cumulandos.

Ex altera parte, Abraham ejusque posteri *specialiter* obstricti manebant ad servanda omnia dogmata et præcepta moralia Revelationis primævæ, et imprimis fidem atque spem in venturum Messiam; sed etiam omnes alias leges, quas eis imponere Deo placeret; et inter alias, legem circumcisionis, tanquam specialem *conditionem* simul et *sigillum* illius pacti inter Deum et Abraham ejusque posteritatem initi.

Hoc pactum dicitur *vetus fœdus, vetus Testamentum*, atque bona temporalia immediata respiciebat, sicque per se erat *temporale, transitorium* seu *veterascendum*.

Codex autem legum, ad illud pactum servandum Hebræis a Deo datus, in duplicem partem quoad materiam dividi potest, nempe : prior continebat omnia primævæ Revelationis dogmata et moralia præcepta, in illo codice iterum et clarius promulgata; posterior vero quæ proprie dicitur

mosaica, complectebatur omnes leges *rituales* seu *cæremoniales*, et *civiles* seu *judiciales* ad specialem gentis hebraicæ constitutionem attinentes, et quibus fides et observantia dogmatum atque præceptorum moralium Revelationis primævæ omni modo apud illam gentem promovebantur. De his legibus fusius dictum est in Tract. *de Revelat.*, n. 148 et seq., atque ibi etiam, n. 167, 169, demonstratum est leges proprie mosaicas seu *rituales* et *judiciales* fuisse abrogandas et revera essse abrogatas per legis novæ promulgationem.

§ II

De Lege nova.

24. — *Quæritur* quid si Lex *nova, novum Testamentum? Resp.* Lex nova seu evangelica ea est, quæ *a Christo facta aut data est, et ab Apostolicis promulgata.*

Lex illa duplici quasi elemento constat, nempe novo Testamento, et mediis conditionibusque ad illud Testamentum perficiendum.

1° *Novum Testamentum* est fœdus seu pactum omnino supernaturale inter Deum et genus hominum, seu potius unumquemque hominum, initum aut ineundum mediante Christo; scilicet, ex una parte, Deus dabit omnibus hominibus *gratiam* Spiritus Sancti, seu *participationem vitæ, qua ipse ad intra vivit;* sicque ejus lex erit scripta, non in tabulis lapideis, sicut lex mosaica, sed *in ipsis cordibus* per præsentiam Spiritus Sancti. Gratia enim nihil aliud est quam lex *interna*, seu *motio* et *vita divina*, Jerem. 31, v. 31, 32, 33; Joan. 1. v. 14, 16, 17; Hebr. 8, v. 8, 10, 13. Tract. *de Gratia.*, n. 187.

Ex altera parte, homines sponte vitam illam gratiæ accipient; nihil hujusmodi vitæ divinæ repugnans cogitabunt, elicient, operabuntur; sed omnia ad ejus receptionem, conservationem et perfectionem necessaria præstabunt.

Qui has conditiones his in terris adimplebunt, post mortem, divina illa vita cum plena conscientia et beatitudine fruentur in æternum : qui vero ab illis conditionibus ita deficient, ut sine vita gratiæ moriantur, in æternum divina

vita et beatitudine carebunt, æternisque supplicis cruciabuntur.

Ad hoc pactum in mundi primordiis de facto ineundum, Deo placuit constituere primum hominem tanquam omnium ejus posterorum *procuratorem;* ita ut concessio gratiæ filiis Adæ ab istius obedientia circa speciale aliquod præceptum penderet : porro hæc conditio non fuit a protoparente impleta; et consequenter Adam ejusque posteri vita divina destituti manebant, sicque diabolo venditi, in æternum erant damnandi.

Ut autem homines a peccato redimerentur, atque redintegrarentur in statu vitæ divinæ, Christus seu Dei Filius factus est homo, atque, per ejus satisfactionem et meritum, omnes homines possunt a peccatis mundari, et iterum vivificari per divinam gratiam.

Tale est Testamentum, cujus Christus se mediatorem præbuit, et quod dicitur *spirituale, æternum* atque *novum* respectu Testamenti cum Abraham ejusque posteris initi, n. 23, quod erat *temporale, transitorium,* Testamenti spiritualis *figurativum,* et ideo *veterascendum* per adventum Mediatoris illius spiritualis Testamenti. Hebr. 8, v. 8, 10, 12.

2° Ad illam vitam accipiendam, conservandam et perficiendam, Christus quædam media conditionesque posuit. Scilicet,

Introducuntur homines ad vitam divinam gratiæ per Sacramenta; *disponuntur,* quoad intellectum, per *dogmata,* quorum præcipua in Symbolo contrahuntur; et quoad voluntatem, per decem Decalogi *præcepta,* et per tria *consilia* obedientiæ, castitatis et paupertatis; denique *excitantur* per Sacrificium Missæ, per exempla Christi et Sanctorum, per spem vitæ æternæ, aut inferni timorem, per universale, perpetuum et infallibile Ecclesiæ ministerium, etc. Vide Tract. *de Revelat.,* n. 224.

25. — Hinc 1. novum Testamentum seu divina gratia diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, est pars *primaria* et *principalis* novæ legis, seu lex interna et vivens,

quæ immediate mentes et corda apprehendit; et propterea lex nova dicitur lex *gratiæ*.

26. — Hinc 2. novum Testamentum seu pars primaria novæ legis exstitit ab origine mundi, pro omnibus hominibus, et usque ad finem mundi, imo et in æternum in cœlo duraturum est; ita ut omnes homines illa gratia donati, ad legem novam vere pertinuerint, fuerintque vere *Christiani*. Propterea lex gratiæ dicitur Testamentum *æternum*.

Unde lex *gratiæ* vocatur *nova*, quia ejus mediator et auctor Christus non venit nisi in plenitudine temporum, sicque gratia *pleno jure* hominibus non data fuit, seu fœdus spirituale inter Deum et homines iterum pleno jure non fuit initum nisi per adventum Christi; et ideo per abrogationem Testamenti *figurativi*, quod *vetus* dicitur respectu Testamenti spiritualis, quod proinde *novum* nuncupatur. Vide Tract. *de Incarn.*, n. 225.

27. — Hinc 3. ad partem *secundariam* novæ legis pertinent dogmata fidei et decem Decalogi præcepta, quatenus exterius revelantur; necnon et Sacrificium Missæ et Sacramenta, quatenus vim habent producendi gratiam ex opere operato; et tandem ipsius Ecclesiæ Catholicæ ministerium; atque hæc omnia omnes homines spectant, et sunt usque ad finem mundi permansura, ex dictis in Tract. *de Eccl.* n. 39, 57, 58[1].

Præcipua autem fidei dogmata et decem Decalogi præcepta fuerunt pars principalior legis primævæ et mosaicæ, ex dictis, n. 23, et in Tract. *de Fide*, n. 74, 75, 76.

1. « *Principaliter* lex *nova* est ipsa *gratia* Spiritus Sancti, quam sequuntur homines per Filium Dei hominem factum, cujus humanitatem Deus replevit gratia, et exinde est ad nos derivata. Unde dixit S. Augustinus : « Sicut *lex factorum* scripta fuit in *tabulis lapideis*, ita *lex fidei* scripta est *in cordibus* fidelium. Quæ sunt *leges* Dei ab ipso Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus Sancti? »

« Habet tamen lex nova quædam sicut *inducentia* et *dispositiva* ad gratiam, quæ sunt quasi *secundaria* in lege nova; de quibus oportuit instrui fideles et verbis et scriptis, tam circa credenda, quam circa agenda. » S. Th. 1. 2, q. 106, a. 1, q. 108, a. 1.

Ex his omnibus patet discrimen inter legem novam et veterem, atque summa excellentia legis novæ, de qua agitur in toto decursu harum Institutionum Theologicarum.

CAPUT III

DE LEGE HUMANA

Septem erunt articuli : 1° de notione legis humanæ; 2° de auctoritate legislativa Ecclesiæ et Principis; 3° de legis humanæ extensione obligatoria; 4° de objecto; 5° subjecto; 6° interpretatione; 7° cessatione; 8° de consuetudine.

ARTICULUS PRIMUS

De notione Legis humanæ.

Lex humana est ecclesiastica, vel civilis. De utriusque notione breviter dicemus in duplici pragrapho.

§ I

De notione Legis Ecclesiasticæ.

29. — *Quæritur* 1° quid sit lex *ecclesiastica?*

Resp. Lex illa est *præceptum auctoritate ecclesiastica firmatum, circa ordinem externum societatis ecclesiasticæ, in bonum spirituale fidelium.*

Et quidem 1. *præceptum* : in quo convenit cum aliis legum generibus.

2. *Auctoritate ecclesiastica*, sive suprema in S. Pontifice, sive S. Pontifici subordinata in Episcopis et aliis superioribus auctoritate quasi episcopali pollentibus; in his indicatur auctor legis, de qua agimus; et quæ exinde discrepat a lege naturali, cujus auctor est Deus ipse, quatenus naturam humanam constituens cum fine et mediis connaturalibus; a lege divina seu positiva, cujus auctor est Deus, quatenus eam hominibus supernaturaliter revelat; a lege civili, cujus auctor est princeps secularis.

Proinde auctor seu principium legis ecclesiasticæ, non est mere divinum, nec mere humanum, sed divino-humanum. Non *mere divinum*, quia Deus ipse non constituit

illam legem, sicut ipse constituit legem naturalem et leges supernaturaliter revelatas. Nec *mere humanum;* lex enim ecclesiastica non procedit ab homine quatenus pollente auctoritate mere naturali, sicut leges civiles a principe seculari constituuntur.

Sed *divino-humanum*, eo quod auctoritas, qua firmatur illa lex, ex una parte, est *divina*, in quantum fuit ab ipso Christo in perpetuum veræ Ecclesiæ supernaturaliter collata, atque exercetur a S. Pontifice aut sub ejus directione suprema cum auxilio semper efficaci et divinitus promisso nihil statuendi societati ecclesiasticæ per se nocivum; *humana* autem, ex alia parte, quatenus exercetur modo humano seu absque revelatione aut divina inspiratione, ita ut illæ leges non sint in seipsis revelatæ, nec proprie divinæ, sed, ut aiunt, *ecclesiasticæ;* vide Tract. *de Eccl.* n. 46, 47, 182, 184, 185.

3. *Firmatum*, id est, vel *propositum*, vel *constitutum*, vel *probatum* auctoritate ecclesiastica; in his significantur varii modi, quibus intervenit auctoritas ecclesiastica in condendo leges societatis sibi subordinatæ. Scilicet, vel speciali promulgatione declarat, ac pœnis ab ipsa appositis urget quasdam leges juris naturalis, aut juris divini positivi, et sic easdem *proponit*, interpretando ac sua sanctione muniendo.

Vel leges vere *constituit*, quibus determinat quid in societate ecclesiastica sit agendum vel præcavendum, pro ratione temporum et locorum. Vel denique tacito consensu *approbat*, et inter societatis ecclesiasticæ regulas adnumerari intendit leges jam præscriptas a legislatore civili, vel populorum moribus inductas, et quæ, ratione illius approbationis, dicuntur *canonizatæ*.

4. *Circa ordinem externum* societatis ecclesiasticæ, Tale est objectum seu materia legis, de qua agimus. In hoc discrepat tum a lege naturali, quæ est regula mere naturalis agendorum pro conscientia individuorum; tum a lege divina positiva, quæ est regula supernaturalis agendorum pro individuorum etiam conscientia; tum a lege civili, quæ, rectam conversationem civium, qua talium, determinando fit regula agendorum respectu fori externi, publici, socialis

et civilis. Lex vero ecclesiastica versatur circa personas et res ecclesiasticas, qua tales, rectamque conversationem fidelium determinat ac dirigit, et hoc modo fit regula agendorum respectu fori externi, publici, socialis et ecclesiastici.

5. *Societatis ecclesiasticæ;* in his designatur subjectum legis quam definimus, nempe, omnes homines baptizati in terra degentes pro lege Pontificia, omnes homines baptizati alicujus diœcesis pro lege episcopali, vel omnes homines baptizati alicujus communitatis pro lege illorum, qui pollent auctoritate quasi-episcopali.

Per Baptismum enim aliquis fit membrum societatis, cui præest auctoritas ecclesiastica. Unde lex ecclesiastica per se non spectat infideles, bene vero hæreticos, apostatas excommunicatos, qui per Baptismum facti sunt in perpetuum subditi seu de foro veræ Ecclesiæ.

6. *In bonum spirituale fidelium;* in quo indicatur finis illius legis. Videlicet, ad hoc proxime tendit lex ecclesiastica, ut in omnibus fidelibus seu baptizatis foveatur fidei integritas et intensitas, morum honestas omniumque virtutum supernaturalium praxis, cultus divini sanctitas, majestas, et in omnibus efficacia; ac consequenter et ultimo, ut facilius, tutius et plenius ab omnibus fidelibus obtineatur salus æterna. Exinde discrepat illa lex a lege naturali, quæ immediate dirigit hominem ad finem tantum naturalem; a lege divina positiva, cujus proximus finis est ipsamet fides et obedientia veritatibus, præceptis et consiliis revelatis; a lege civili, quæ immediate tendit ad bonum temporale societatis civilis.

30. — *Quæritur* 2° quotuplex sit lex ecclesiastica?

Resp. Ratione subjecti, lex ecclesiastica est *communis* vel *localis :* prior respicit universam Ecclesiam et ab ipso S. Pontifice extra vel intra Concilium generale firmatur; ac subdividitur in *generalem* vel *particularem*, prout omnes omnino fideles spectat, v. g. lex de jejunio, abstinentia confessione, etc.; vel certas duntaxat personarum classes, uti religiosos, academicos, universitates, etc.

Posterior seu localis lex ecclesiastica, in certa tantum Ecclesiæ universalis parte, et in solas personas ibi commorantes vim obtinet, v. g., pro tali regno, provincia, diœcesi, aut communitate; atque lex hujusmodi firmatur vel a S. Pontifice, aut a concilio nationali, aut ab Episcopo, aut ab illo, qui habet potestatem quasi-episcopalem in aliquod territorium aut in certam communitatem.

Aliæ subdivisiones legis ecclesiasticæ indicantur ac evolvuntur in Institutionibus Canonicis, Tract. 1, n. 13.

31. — *Quæritur* 3° quid sit Jus canonicum?

Resp. Quoad nomen, Jus *canonicum*, a voce græca κανών, regula, idem sonat ac morum seu lex cui actiones liberæ conformari debent; et ideo rigorose loquendo, hoc nomen omnes leges, etiam civiles, comprehendit. Attamen ob quamdam eminentiam legis ecclesiasticæ respectu legis civilis, titulo *canonici* tanquam proprio illa insignitur [1].

Quoad rem, in sensu latiori, jus canonicum est complexio legum ecclesiasticarum sive communium, sive localium. In strictiori, jus canonicum simpliciter et sine addito, *est complexio legum ecclesiasticarum communium, sive sint generales, sive particulares*. Propterea dicitur *Pontificium*, quatenus illæ leges firmantur auctoritate S. Pontificis, et etiam quatenus hujusmodi collectio, qua talis, fuit a S. Pontifice approbata.

Juris canonici varias subdivisiones, ejus fontes et collectiones indicamus in Institutionibus Canonicis, Tract. 1, n. 13, 22, 25, etc.

1. Leges in Conciliis sancitæ solent reipsa *canones* dici relate ad dogmata seu decreta fidei. Concilium vero Trid. ab usu loquendo hactenus usurpato nonnihil recessit. Disciplinaria quippe statuta a se condita *decreta* appellavit; illas autem breves sententias, quibus hæreticorum doctrinam perstrinxit, et quæ olim *anathematismi* nuncupatæ fuerant, *canonum* nomine superscripsit. Eadem canonis denominatione usum est Conc. Vaticanum pro fidei definitionibus. Nihilominus leges ecclesiasticæ etiam nunc vulgo canones vocantur, atque in hoc sensu dicitur : *Servandi sunt canones; omnia secundum canones exigantur*.

§ II

De notione Legis civilis.

32. — *Quæritur* 1° quid sit lex *civilis?*

Resp. Lex civilis est *præceptum circa opus externum, a Principe seu auctoritate reipublicæ directum ad communitatem temporalem, in hujus bonum.*

Dicitur 1 : *præceptum circa opus externum;* et in hoc convenit lex civilis cum lege ecclesiastica; disconvenit tamen, in eo quod objectum legis civilis, etsi externum, directe non spectat ad fidem, mores Christianorum et cultum divinum, sed ad personas, bona et delicta, quæ attinent ad societatem temporalem.

Dicitur 2 : *a Principe seu auctoritate reipublicæ;* unde auctoritas, qua conditur lex mere civilis, non est a Deo supernaturaliter collata, sed in jure naturali tantum nititur, n. 47.

Dicitur 3 : *directum ad communitatem temporalem,* quæ scilicet congregatur *immediate* ad pacem, prosperitatem et felicitatem temporalem efficacius servandam et promovendam; *mediate* autem ad finem supernaturalem felicius consequendum.

Dicitur 4 : *in hujus bonum,* scilicet, immediate temporale, et mediate supernaturale. Unde lex civilis ut illegitima et injusta reputanda est, quoties, adversatur legi naturali, divinæ positivæ aut ecclesiasticæ, seu bono spirituali animarum; cum e contra Princeps teneatur, quantum in se est, per leges civiles Ecclesiam, in exercitio ejus auctoritatis adjuvare, bonoque spirituali suorum subditorum favere, ex dictis in Tract. *de Eccl.*, n. 227 et seq.

33. — *Quæritur* 2° quid sit *Jus civile?*

Resp. Jus civile est *complexio legum civilium* seu a potestate civili conditarum. Duplex hic distinguendum est, Jus Romanum et Jus Gallicum.

Corpus Juris Romani, quod sæpe in nonnullis Tract. allegatur, quatuor in partes distribuitur, scilicet : 1. in quatuor *Institutionum* libros, qui imperatoris Justiniani jussu editi

sunt, et totius Juris elementa continent; 2. in quinque *Digestorum* et *Pandectarum* libros, ita nuncupatos, quod veteris Juris doctrinam, per immensa sparsa volumina, meliori ordine digestam complectantur; 3. in duodecim libros *Codicis*, quem Justinianus ex Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, et Theodosiano conflari jussit; 4. in centum et sexaginta octo *Constitutiones* ejusdem Justiniani, quæ *Novellæ* dicuntur, quasi novæ et post Codicem promulgatæ : appellantur etiam *Authenticæ*, quia ex Græco et originali idiomate in latinum sermonem translatis Novellis, et collatione facta versionis latinæ cum primigenio textu, eamdem auctoritatem habere cœpit interpretatio latina, ac ipsum exemplar græcum.

(Jus civile *Gallicum* idem hodie est pro tota gente; in Codice civili, Legibus ac Decretis totum continetur.

Tres sunt, juxta Codicem civilem, Legum species; scilicet, leges *politiæ et securitatis*, leges *circa immobilia*, et leges quæ *statum et capacitatem civium* definiunt. Porro leges politiæ eos omnes spectant, qui intra regni fines versantur; leges circa immobilia iis etiam immobilibus applicari debent, quæ possidentur ab alienigenis; leges demum postremæ speciei ad omnes Gallos extenduntur, etsi actualiter extra patriam sedem suam habeant. Art. 3 Cod. civ.)

ARTICULUS II

De potestate legislativa Ecclesiæ et Principis.

Utramque negant Schismatici aut cujusvis auctoritatis impugnatores, præsertim quoad vim in conscientia obligatoriam, vel labefactant, conditiones ad legem necessarias tollendo, aliasque impossibiles addendo. Unde

PROPOSITIO PRIMA

34. — *Ecclesia jus habet condendi leges, quæ Christianos obligent in conscientia.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* Christus dixit duodecim Apostolis : « *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et*

in cœlo. — Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. » Matth. 18, v. 17, 18.

Soli Petro etiam dixit : « *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis.* » Matth. 16, v. 19.

Porro *ligare* aut *solvere*, apud omnes gentes, et præcipue apud Hebræos, metaphorice et in sensu morali, potestatem in domum et in civitatem designant; ergo, in præfatis verbis, Christus promisit et ideo concessit corpori Apostolorum, et specialiter Petro, potestatem regendi Ecclesiam, condendo leges ita obligatorias, ut qui eas non servaverit, sit apud Deum sicut ethnicus et publicanus. Hæc evoluta sunt in Tract. *de Eccles.*, n. 35, 36, 39, 185.

2° *Traditione.* Omni ævo SS. Pontifices, Concilia, Episcopi statuerunt decreta ad fidem, mores et cultum attinentia, eisque se subjecit Ecclesia : porro Ecclesia errare nequit circa objectum et extensionem potestatis a Christo sibi collatæ, ex dictis in Tract. *de Eccl.*, n. 166; ergo Ecclesia potestatem habet condendi leges, quæ Christianos obligent in conscientia.

3° *Ratione Theol.* Christus, ex una parte, omnes fideles in perpetuum congregari voluit in societatem specialem et proprie dictam seu Ecclesiam, ex dictis in Tract. *de Eccl.*, n. 30, 31, 32 : ex altera vero, ad spirituale illius Ecclesiæ regimen Christus per se posuit tantum quædam substantialia fundamenta, pro omnibus et ubique necessaria aut utilia; atque cætera convenientia in particulari determinanda et statuenda per Ecclesiæ pastores reliquit, tum ut suaviter et modo hominibus accommodato omnia ordinarentur, tum quia, cum agatur de societate perpetua et universali, non poterant omnia ita determinari, ut essent immutabilia; ergo omnino necesse est ut illa determinatio, successu et pro opportunitate temporum atque locorum, fiat per leges speciales a potestate ipsi Ecclesiæ per Christum tradita.

Ecclesia autem Catholica *infallibilis* est in condendo leges, quæ omnes Christianos obligant, ut probatum est in Tract. *de Eccl.*, n. 184, 185 et seq., ubi etiam determinavimus

in quonam sensu intelligenda sit illa infallibilitas, quando agitur de legibus mere disciplinaribus.

36. — *Quæritur* quænam sit auctoritas decisionum a SS. Congregationibus Romanis prolatarum?

Resp. Tria circa hoc punctum certa sunt et ab omnibus admissa. Scilicet, 1. decisiones ab illis Congregationibus prolatæ obligant saltem personas pro quibus eduntur, et ad quas diriguntur.

2. Decisiones *extensivæ*, quæ, nimirum, ampliant vel restringunt sensum alicujus legis jam existentis, non obtinent vim legis universalis, nisi sint auctoritate S. Pontificis sufficienter promulgatæ. Cum enim sint legum immutationes, non mere declarationes, ad earum vim obligatoriam requiruntur omnes eædem conditiones ac pro cæteris legibus S. Pontificis.

3. Declarationes *comprehensivæ* quæ, nempe, determinant duntaxat sensum legis sine ulla additione vel restrictione, vim legis universalis habent, saltem quando auctoritate S. Pontificis sunt promulgatæ.

Controvertitur autem an hujusmodi decisiones comprehensivæ, non quidem auctoritate S. Pontificis promulgatæ, sed aliunde certo cognitæ, obligent pro *similibus casibus*, et tanquam leges universales ab omnibus servari debeant.

a Alii negant, inter quos Sanchez, Bonacina, Diana, Layman, Gonzales, Salmant., Vasquez; et hanc sententiam dicit probabilem S. Ligor., lib. 1, n. 106.

b Alii vero multo plures affirmant, inter quos Reiffenstuel, Card. de Luca, Barbosa, Zamboni, Schmalzgrueber, Benedict. XIV, Bouix.

c Alii distingunt. Scilicet, quando responsiones SS. Congreg. attingunt principium, ita ut sint explicationes vel declarationes ipsius legis Ecclesiasticæ, obligant pro similibus casibus. Si vero illæ responsiones sint tantum applicationes, per modum judicii, ad aliquod factum particulare cum suis circumstantiis, tunc non applicantur ad similes casus, quatenus isti intelligantur jam decisi; sed faciunt gravissimam auctoritatem, si circumstantiæ et adjuncta

eadem sint, ac præjudicatum jam et judicium. Ita Fagnanus, cap. *Quoniam*, de Constit., n. 65; de Angelis, lib. 1, tit. 31, n. 12. Hæc sententia principiis juris conformior nobis videtur, atque anteponenda.

℗ Juxta plures secundæ sententiæ patronos, ut declarationes SS. Congreg. obligent, requiritur quod producantur in forma *authentica*, id est, a Præfecto et secretario suscriptæ, et S. Congr. sigillo obsignatæ, ex jussu Urban. VIII. an. 1631. Plerique tamen doctores putant ad hoc sufficere, quod illæ declarationes a probatis auctoribus referantur. Hæc et alia hujusmodi declarationes spectantia fuse absolvimus in Institutionibus canonicis, Tract. 3, n. 78-81, 85 ad 5.

℗ 4. Decisiones illæ, licet juri communi sint conformes, non tamen labefactant Synodorum aut Episcopi extra Synodum statuta, nec usus locorum legitima consuetudine præscriptos, uti expresse asserunt Zamboni et Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 12, c. 7, n. 7. Ipsæ enim Pontificiæ Constitutiones dictis statutis et consuetudinibus non derogant, nisi quando hunc effectum explicite exprimunt : idem porro a fortiori dicendum est de decisionibus, quibus SS. Congreg. jus commune interpretantur. Institut. canon., *ibid.*, n. 81.

PROPOSITIO II

37. — *Principes civiles, sive boni, sive mali, valent leges condere, quæ conscientiam etiam Christianorum obligent.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* — *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo;* Matth. 22, v. 21. — *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non enim est potestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram* (sive pœnam), *sed etiam propter conscientiam.* Rom. 13, v. 1, 2. *Subjecti estote, sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis.* I Petr. 2, v. 13, 14. Porro principes illi erant ethnici; ergo, etc.

2° *Ex doctrina et praxi constanti Ecclesiæ,* manifestatis per SS. PP. documenta, Tertulliani præsertim, S. Justini, aliorumque Christianæ Religionis apologetarum, necnon Conciliorum ac SS. Pontificum, quæ cuilibet nota et obvia sunt : citare sufficiat hæc Pii IX, Encycl. *Qui pluribus,* ubi Christianum populum edocet : « Præceptum potestati ipsi obediendi a nemine unquam *citra piaculum* posse violari, nisi forte aliquid imperetur, quod Dei et Ecclesiæ legibus adversetur. » Vide Bossuet, *Politique tirée de l'Ecrit.*, lib. 1, art. 4; liv. 6, art. 2.

3° *Ratione.* Ex una parte, status socialis est de jure naturali, eo sensu quod homo suam perfectionem obtinere non possit, nisi cum aliis hominibus convivendo; ex altera vero, status socialis impossibilis est sine auctoritate, quæ, per leges, jura cujusque determinet et protegat : porro hujusmodi leges sæpe sæpius vanæ et in praxi insufficientes manerent, nisi obligarent in conscientia; ergo Princeps jus habet condendi leges, quæ subditos in conscientia obligent.

Revera, lex naturalis et lex divina positiva generales sunt, et quædam tantum fundamentalia principia complectuntur : porro multa alia pro opportunitate temporum atque locorum sunt necessaria ad gubernationem, imo et conservationem societatis humanæ; ergo necesse est ut per civilem legislatorem aliqua in particulari determinentur circa ea, quæ sola cujusque ratione definiri non possunt. Unde ait Plato, *de Legib.*, lib. 9 : « Necesse est leges hominibus ponere, ut secundum leges vivant; nam si absque his vixerint, nihil a feris atrocissimis discreparint; » n. 51.

58. — *Quæritur* quomodo exerceatur civilis potestas in condendo leges?

Resp. Modus ille diversus est in diversis guberniis. In iis quæ *Constitutionalia* dicuntur, auctoritas legislativa non tota, nec sufficiens residet in eo, qui principatum tenet. Hinc iste, sive præsidis, sive regis, sive imperatoris nomine donetur, non potest *per se solum* leges *proprie dictas* condere, et concursu indiget eorum omnium, qui cum eo auctoritatem legislativam dividunt.

Dixi : *leges proprie dictas;* quia in ipsis constitutionalibus guberniis, plura potest Princeps condere decreta, quæ licet leges non vocentur, eorum tamen vim habent circa ea quæ ordinant, et differunt a præceptis, quia non sunt transitoria, nec ad privatos spectant, sed usque ad revocationem perseverant, et ad bonum commune referuntur. Infra expendemus utrum et in quo sensu acceptatio populi ad constitutionem Principis accedere debeat.

39. — *Obj.* 1° Si leges civiles conscientiam obstringant, eadem erit legis humanæ ac divinæ auctoritas : porro falsum est consequens; ergo et antecedens.

Nego maj. Quia lex humana civilis sicut et ipsi Legislatores suam a Deo habent auctoritatem : *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt*, Prov. 8, v. 15; *qui* igitur *resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, Rom. 13, v. 2. Lex igitur humana licet conscientiam obstringat, semper inferior remanet Lege divina, ex qua vim suam et auctoritatem mutuatur; n. 4[7], 5, 7, 37.

40. — *Obj.* 2° Ille solus ligare valet, qui potest et solvere : atqui suprema civilis potestas non potest subditorum conscientiam solvere; ergo nec ligare.

Resp. Nego maj. Nonne enim potest homo voto vel contractu sese obligare, licet ab ejusmodi nexibus se ipsum expedire nequeat? Ideo autem peccatum legis transgressione commissum, ab auctoritate seculari solvi non potest, quia peccatum illud non hominem tantum impetit, sed ipsum Deum, qui nonnisi Pœnitentiæ Ministris, suis exclusive legatis, peccata remittendi potestatem contulit, ut dictum est in Tract. *de Pœnitentia.*

PROPOSITIO III

41. — *Ut lex subditos obliget, requiritur sufficiens illius promulgatio.* Certum est.

Etenim promulgatio legis est hujus *notificatio, publica auctoritate facta communitati,* et talis ut *authentice constare possit de voluntate legislatoris :* atqui patet communitatem non teneri ad servandam legem, de cujus existentia sibi sufficienter non constat; ergo, ut lex subditos obliget, requiritur sufficiens illius promulgatio.

Revera Christus docet Judæos lege nova non fuisse obli-

gatos, si eam ipsis non prædicasset : « Si non venissem, et *locutus fuissem, peccatum non haberent.* » Joan., 15, v. 22.

Idem constat ex utroque Jure sive civili, sive ecclesiastico. Unde axioma : *Leges instituuntur, cum solemniter promulgantur.*

42. — *Quæritur* 1° quid requiratur ad *sufficientem* promulgationem legis?

Resp. Non requiritur ut omnibus et singulis personis denuntietur, sed sufficit ut *Communitati* manifestetur; sic enim a præsentibus ad absentes legis notitia defertur. Insuper nulla certa solemnitas, nullusque modus determinatus promulgationis ex rei natura est requisitus; sed sufficit sic proponi legem, ut possit facile pervenire ad notitiam subditorum, sive id fiat per vocem ipsius legislatoris, sive per vocem præconis, sive per affixionem legis scriptæ in loco publico, sive per insertionem illius in corpus Juris. Hoc pendet ex diversa imperiorum consuetudine.

43. — *Quæritur* 2° quid requiratur ad sufficientem legis *Ecclesiasticæ* promulgationem?

Resp. 1. Leges *disciplinares* Conciliorum *provincialium* debent, ex Juris Canonici statutis, a quolibet provinciæ Episcopo in Synodo diœcesana promulgari.

2. *Decreta Conciliorum generalium* a Sancta Sede confirmanda et publicanda sunt. Unde idem asserendum est quoad jus et quoad factum circa illa decreta, quod dicetur de Constitutionibus SS. Pontificum.

3. *Constitutiones Pontificiæ dogmaticæ* nullam requirunt specialem promulgationis formam, et omnes Christi fideles obligant, eo ipso quod certum est eas prodiisse a S. Sede.

Quoad *disciplinares* Constitutiones *Pontificias* hodie et jam a pluribus seculis inolevit praxis, ut leges Pontificiæ in consuetis locis Romæ exponantur seu promulgentur, et deinde nihil aliud requiritur, nisi notitia in aliis regionibus, non vero alia formalis seu solemnis promulgatio, excepto casu, quo S. Pontifex, extra vel intra Concilium generale, aliam specialiorem legis promulgationem expresse caverit.

Scilicet, decreta, sive immediate a S. Pontifice, sive a Congregationibus Cardinalium in modum legis concepta, consuevere per cursorem Apostolicum affigi et publicari ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ecclesiæ Lateranensis, et in acie Campi Floræ, aliisque locis solitis, uti ad calcem decretorum et Bullarum, quarum facta est publicatio, passim exprimitur.

Si decreta duntaxat concernant certum tribunal, tunc publicatio fieri consuevit in illo ipso tribunali, ut per eam ad notitiam deveniant eorum, ad quos spectant illa decreta; n. 36.

Si decreta spectent particulare aliquod corpus, aut institutum, vel religiosorum ordinem, consueverunt ea dirigi ad superiores vel directores illius corporis, instituti, vel ordinis, ut hi ea notificent omnibus, quorum illa scire interest. Vide *Institut. Canon.*, Tract. 3, n. 15, 17.

Nota. 1 Generatim aliquod tempus effluere debet, antequam lex in lucem edita obliget : quod tempus, si non ab ipso legislatore determinatum fuerit, ex communi prudentum judicio et usu æstimandum est, ait Scavini post S. Lig.

2. Promulgationi solemni æquivalet, imo aliquatenus prævalet ipsa legis executio, per quam moribus introducitur. Plura sunt decreta pontificia, haud secus ac canones disciplinares Conciliorum, quæ Catholici obligatoria habuerunt, tametsi nunquam fuerint per provincias promulgata.

44. — *Quæritur* 3° quid requiratur ad sufficientem promulgationem legis *civilis* in *Gallia?*

Resp. In Gallia, legis civilis promulgatio fit per insertionem illius in Tabulas legum, quas vernacule nuncupamus *Bulletin des Lois;* hæc autem promulgatio publica censenda est, nempe :

In præfectura in qua Princeps sedet, uno tantum die postquam ex regia typographia delatæ sunt Tabulæ legum ad Ministrum pro Justitia (*le Ministre de la Justice*), qui diem receptionis scripto consignari curat.

In cæteris vero præfecturis, promulgatio est publica post

idem temporis spatium, cui addideris totidem dies quot sunt dena myriametra, seu 20 leucæ circiter, inter præfecturæ cujusque urbem principem, et locum ubi promulgatio legis primum facta fuerit. Vid. art. 1 Cod. civ., et art. 1, 2, 3 Decreti regii 27 septembris 1816.

Attamen si Principi, in certis rerum circumstantiis, vel in certis locis, promulgationem legis accelerandam esse visum fuerit, tum Præfecti, statim post receptam legem, vel edictum regium, illud typis mandari decreto statuunt, et locis publicis affigi : qua quidem publicatione lex exsecutionem suam sortitur; art. 1 et 2 Decreti regii 18 januarii 1817.

PROPOSITIO IV

45. — *Lex humana justa et utilis non indiget subditorum populorum acceptatione.* Certum est.

Res patet pro lege ecclesiastica. Ecclesia enim potestatem legislativam immediate accepit ab ipso Christo, et nullo modo a populo, qui in hac re nihil potest nisi obedire, ut fusius dictum est in Tract. *de Eccl.* n. 75, 76.

Idem etiam constat pro lege civili. Si enim lex indigeret acceptari, jam potestas legislativa plus esset penes subditos, quam penes Principem; is enim tribueret quidem materiam legis; at subditi approbatione sua tribuerent legvim obligandi, in qua consistit ejus essentia : atqui falsum et absurdum est consequens; ideo proscripta est ab Alexandro VII propositio ista : *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

46. — Hinc peccant illi, qui sine legitima causa legi promulgatæ resistunt, quia resistunt legitimæ potestati. Non peccarent tamen, 1. si legis executionem differrent, quia Principi repræsentassent gravia incommoda ex lege secutura; 2. si legislator inobservatæ legis conscius, transgressiones *quas facile coercere posset,* dissimularet, quia *qui tacet, consentire videtur;* 3. si, inscio etiam Principe, lex a majori et saniori parte communitatis non servaretur *post legitimam præscriptionem;* 4. si, quia non servaretur a majori

parte, nec a minori parte sine gravi incommodo servari potest. Harum exceptionum ratio, satis per se evidens, ex dicendis infra, ubi de cessatione legum, clarius patebit.

47. — *Obj.* 1° Si lex non pendet ab acceptatione, poterit esse vera lex, cui tota communitas repugnet : atqui falsum consequens. Lex enim cui repugnaret tota communitas, non esset ad bonum commune, sed potius ad detrimentum multitudinis, quod legis essentiæ repugnat ; ergo.

Resp. ad 1. *neg. min.*, ad 2. *nego maj.* Fieri enim potest ut populus magna ex parte repugnet legi, quæ ad bonum commune ordinetur : sic Israelitæ plerumque contra Dei leges, ut quæ sibi duriores viderentur, obmurmurabant ; ergo lex quæ contraditionem magnam experietur, non desinet esse vera lex. Supponimus enim eam ferri de rebus, quæ ad bonum rei publicæ conducunt ; ideoque poterit Princeps ejus transgressores pœnis coercere, intuitu utilitatis, quæ ex eadem lege sequetur, victa tandem iniqua populi rebellione.

Si tamen prævideret Princeps legem suam, habita ingeniorum ratione, plus allaturam mali quam boni, satius, imo aliquando necessarium foret exsecutionem ejus non urgere, et Deum ipsum imitari, qui quædam Judæis permisit primævæ institutionis minus consentanea ; tunc autem lex invalida fieret non defectu acceptationis a populo, sed voluntate Principis qui, pacis amore, eidem legi derogaret.

48. — *Obj.* 2° Consuetudo potest legem abrogare : atqui consuetudo æquivalet non acceptationi.

Resp. Dist. maj. Consuetudo legitime præscripta potest legem abrogare, *conc.* ; consuetudo quævis *nego.* Ideo autem consuetudo legitime præscripta legem abolet, quia Princeps tunc consentit, ut lex sua in desuetudinem habeat : nihil autem mirum, si lex non obliget, cum Princeps eam tacite revocat.

ARTICULUS III

De extensione obligationis Legum.

49. — Quæstio est de pœna temporali a legislatore humano imponenda.

Quæ pœna legi addita concipitur duplici modo, 1. vel tanquam unicus legis effectus, si nempe legislator statuat alicujus legis infractores coram Deo reos non fore, sed subjiciendos pœnæ temporali ab ipso determinatæ. Tunc lex diceretur *mere pœnalis,* 2. Tanquam conjuncta obligationi

conscientiæ, ita ut legis infractores et divinæ justitiæ peccatorum vindici, et mulctæ ab humano judice infligendæ, simul subjaceant; et tunc lex dicitur *mixta*.

Itaque dicemus 1° de lege mere pœnali; 2° de lege humana obligante sub peccato mortali; 3° sub gravi damno aut vitæ periculo; 4° sub pœna ipso facto incurrenda; 5° de lege humana irritante in foro conscientiæ; 6° de lege humana circa tributa ex conscientia solvenda.

§ I

De Lege mere pœnali.

50. — *Quæritur* 1° an possit esse et de facto detur lex mere pœnalis in jure canonico aut civili?

Resp. 1° Potest esse lex mere pœnalis, cum talis lex non repugnet rationi legis, nec æquitati. 1. Non *rationi legis*. Nam verum est legem semper *per se* producere obligationem; sed lex hujusmodi, licet non obliget ad id, quod immediate præcipit, obligat in conscientia ad pœnam subeundam cum fuerit imposita. 2° Nec *æquitati*. Nomine enim pœnæ intelligitur quodlibet incommodum, per modum coactionis, a legislatore impositum, ut factum aliquod vel impediat, vel obtineat: atqui non repugnat æquitati pœnam hujusmodi imponi, quamvis nulla præcesserit culpa contra Deum: hoc enim modo poterit aliquando legislator finem quemdam societati utilem convenienter obtinere, quin frequentiori peccandi periculo subditi sint obnoxii.

2° Satis certum est nullam dari legem mere pœnalem in Jure canonico.

In Jure autem civili Gallico quasdam dari leges, si non ex se, saltem ex consuetudine mere pœnales, sat communiter admittitur; sed ambigi potest quænam sint illæ leges: porro tales essent, juxta plures, leges de venatione, vel de armis sine licentia non ferendis, de charta signata in exarandis quibusdam instrumentis adhibenda, de quibusdam tributis indirectis.

51. — *Quæritur* 2° quibusnam signis dignosci possit legem esse mere pœnalem?

Resp. Ex multiplici signo. Scilicet, 1. *ex forma legis;* nam si nihil præcipiat aut prohibeat, sed tamen aliquid præscribat, v. g., *Qui extulerit de Regno triticum, solvat decem libras,* illa lex erit mere pœnalis, quia non importat præceptum aut prohibitionem. Vide tamen dicenda in Tract. *de Justit.*, n. 339.

2. *Ex materia legis;* si enim pertineat ad bonos mores, et necessaria ac utilis sit ad prohibenda vitia, tunc magna est præsumptio eam ferri cum intentione obligandi in conscientia, etiamsi modus præcipiendi non sit omnino expressus et formalis, nec pœna nimium gravis. Credendum est enim legislatorem his in casibus velle obligare modo magis conveniente et necessario reipublicæ : in tali autem materia maxime expedit, ut obligatio conscientiam attingat. Tales autem censentur omnes leges ecclesiasticæ.

3. *Ex pœna apposita;* nam etsi nihil a lege expresse dicatur de peccato, tamen ob naturam vel gravitatem pœnæ, mortis, v. g., excommunicationis, suspensionis, etc., lex censetur obligare sub peccato; quia spiritualis aut gravis pœna, etiam solum corporalis, supponit culpam.

4. Denique ex generali aliqua *declaratione Legislatoris;* si enim significet se nolle obligare sub peccato, ut faciunt Superiores aliquorum Ordinum religiosorum, lex erit mere pœnalis[1].

§ II

De Lege humana obligante sub peccato mortali.

PROPOSITIO

52. — *Lex humana non obligat sub peccato mortali, nisi adsit materiæ gravitas, et Legislatoris voluntas.* Certum est.

Ratio est quia cum lex humana obliget in conscientia, *ex se* non inducit obligationem nisi materiæ proportionatam; prorsus enim iniquum foret, ac contra bonum commune,

1. In Gallia, decurrente præsentiarum rerum civilium infelici statu, legislatores, quoad majorem numerum, atheismum aperte profitentur; et ideo pro hujusmodi legislativa potestate obligatio in conscientia seu coram Deo est quid omni sensu prorsus vacuum; et ita de facto in Gallia, ex illius potestatis intentione, omnes leges civiles sunt mere pœnales, n. 54.

obligare graviter in materia ex omni parte levi. Sed obligatio convenienter est sub mortali culpa, si materia sit gravis, nisi Legislator velit tantum obligare sub veniali.

53. — Dixi 1 : *nisi adsit materiæ gravitas :* tunc autem materia est gravis, quando res vel *secundum se* spectata, vel eum *suis omnibus circumstantiis*, præsertim cum *fine* a Legislatore intento, censetur magni momenti. Sæpe enim evenit ut materia legis, quamvis in seipsa levis sit, tamen prohibeatur vel præcipiatur sub gravi culpa, ad vitandum grave damnum aut scandalum : exemplum est in legibus militaribus, minuta furta militum adeo severe prohibentibus. Idem dici potest de lege ecclesiastica, qua quibusdam in diœcesibus prohibetur Clericis, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, et consequenter sub peccato mortali, ne in cauponis edant et bibant, nisi sint in itinere saltem unius leucæ constituti.

54. — Dixi 2 : *nisi sit Legislatoris voluntas obligandi sub peccato mortali;* lex enim non potest obligare ultra intentionem et voluntatem Legislatoris, qui, sicut posset ab ea condenda abstinere, potest illius obligationem ad nutum restringere. Talis autem voluntas Legislatoris cognosci potest adesse, non solum si mentem suam clare exprimat Legislator, sed etiam si, quando materia est gravis, utatur verbis præceptivis, v. g., *Mandamus, Præcipimus, Prohibemus;* maxime si addat, *In virtute sanctæ obedientiæ; Sub interminatione divini judicii; Sub pœna indignationis Dei, maledictionis æternæ*, etc. Si autem verba non sint clare præceptiva, sed ambigua, mens Legislatoris cognosci poterit ex adjectione pœnæ gravis spiritualis vel corporalis, v. g., censuræ de facto incurrendæ. Quando autem non imponit nisi multam pecuniariam, etiam gravissimam, non statim concludendum est legislatorem voluisse obligare sub gravi; non desunt enim Theologi, qui inde æstimant legem esse mere pœnalem. Præterea mens Legislatoris cognosci poterit ex *consideratione materiæ* ac præsertim *finis*, quem intendit Legislator. Denique id innotescet *con-*

suetudine et piorum hominum *persuasione*, quæ est optima legum interpres, ratione cujus, v. g., certum est leges ecclesiasticas de jejunio vel abstinentia quibusdam diebus, de Missæ auditione, de annua Confessione, de Communione paschali, etc., obligare sub peccato mortali.

55. — Notandum tamen *transgredi legem, etiam in re levi, mortale esse, si fiat ex contemptu formali Legislatoris ut legislatoris*, quod quidem contingit quando violatur præceptum, quia præceptum est. Ita S. Thomas, 2, 2, q. 186, a. 9, ad 8; ratio est, quia talis contemptus redundat in Deum, a quo procedit omnis auctoritas Legislatoris. Sed de his fusius in Tract. *de Peccatis*.

§ III

De Lege humana obligante sub gravi damno, aut vitæ periculo.

PROPOSITIO

56. — *Lex humana ordinarie non obligat cum periculo mortis, mutilationis, aut gravis infamiæ vel notabilis damni.* Ita communiter.

Tam enim rigorosa obligatio ordinarie necessaria non est ad bonum commune, ideoque *excedit potestatem* Legislatoris, qui solum præcipere potest moraliter possibilia secundum hominum naturam et conditionem : et quamvis aliquando lex non sit evidenter supra Legislatoris *potestatem*, qui præcipere potest aliquando sub pœna mortis, tamen censetur ordinarie esse *præter illius voluntatem*, quia voluntas prudens non vult obligare quantum potest, sed cum moderatione et benignitate. Hinc leges jejunii, abstinentiæ, Missam audiendi, etc., vere non obligant sub periculo vitæ, nec sub gravi incommodo.

57. — Dixi : *ordinarie*, quia *aliquando lex humana obligat cum periculo mortis*, idque in duplici casu : 1. *si legis transgressio cessura sit in gravissimum damnum reipublicæ.* Sic, v. g., miles cum evidenti periculo vitæ tenetur stationem non deserere. Item, juxta plures, Episcopus potest

simplicibus Presbyteris præcipere ne tempore pestis urbem deserant; idemque Status potest præcipere Medicis. 2. *Si legis transgressio cessura sit in contemptum potestatis Legislatoris, aut in fidei ac religionis Christianæ detrimentum, aut in aliorum scandalum;* v. g., si tyrannus in contemptum Religionis jubeat Sacerdoti sacrificare sine vestibus sacris; vel si in contemptum legum ecclesiasticarum, jubeat die prohibito carnes manducare, etc. : in prædicto enim duplici casu ipsa lex naturæ dictat legem humanam obligare, et etiam esse servandam cum propriæ vitæ dispendio.

§ IV

De Lege humana obligante sub pœna ipso facto incurrenda.

58. — *Quæritur* 1° quid sit pœna ipso facto incurrenda?

Resp. Lex humana pœnam potest imponere duplici modo, scilicet, vel ut *ferenda per judicis sententiam*, v. g. : qui hoc fecerit, privabitur Beneficio; et ideo ad hanc pœnam subeundam lex non obligat in conscientia, nisi post condemnationem. Vel ut *ipso jure lata*, et ipso facto incurrenda statim post patratum delictum, non exspectata Judicis condemnatione : v. g., qui hoc fecerit, sit *ipso facto* privatus Beneficio. De tali pœna lata est quæstio, an scilicet lex illam pœnam imponens obliget in conscientia ad illam subeundam et exsecutioni dandam, ante sententiam Judicis declaratoriam.

59. — *Quæritur* 2° quotuplici modo imponi possit pœna *ipso jure* lata?

Resp. Duplici modo, nempe, vel *immediate*, id est, *sine ulla hominis actione;* tales sunt pœnæ irregularitatum, censurarum et inhabilitatum ad aliquid, v. g., ad suffragium, aut Beneficium : vel *mediante aliqua hominis actione;* tales sunt pœnæ mortis, mutilationis, exilii, flagellationis, mulctæ pecuniariæ, fisco addictionis, privationis Beneficii aut dignitatis vel officii antea acquisiti, de quibus pœnis præsertim quæstio intelligitur.

Porro, quoad priores pœnas, 1. constat irregularitates semper incurri *ipso facto* ante omnem sententiam. 2. Omnes

etiam conveniunt, quod censuræ similiter incurruntur, quando additur in lege, *ipso facto, ipso jure,* vel aliquid æquivalens. 3. Doctores satis communiter censent idem dicendum de inhabilitatibus, v. g., ad Beneficium acquirendum ob simoniam commissam. Tota ergo difficultas superest de pœnis secundi generis. Vide *Institutiones canonicas,* Tract., 2, n. 49, 53, 77, 78.

PROPOSITIO

60. — *Lex humana potest imponere pœnam activam, ipso facto incurrendum ante omnem sententiam.* Certum est.

Lex enim humana potest præcipere quidquid nec malum est, nec nimis grave, si aliunde sit utile bono communi : atqui exsecutio pœnæ activæ ante omnem sententiam potest esse talis; ergo, etc.

Adverte tamen, cum hoc satis rigidum sit, requiri, ex usu et communi Doctorum sensu, ut lex humana exprimatur verbis adeo apertis, ut aliter exponi non possit, v. g., si lex addat expresse pœnam incurrendam fore non solum ipso facto, sed etiam *statim in conscientia et absque alia declaratione vel monitione præmissa,* etc. Non enim sufficiunt particulæ, *ipso facto, ipso jure,* et similes, quia hujusmodi particulæ, quoad pœnas activas (nisi pœnæ illæ leves sint, ut pœnitentiæ monasteriorum), non excludunt sententiam declaratoriam, sed solum condemnatoriam, id est, important quidem condemnationem, quæ fertur ex vi ipsorum verborum; et ideo, postquam Judex declaravit aliquem esse conscium delicti, condemnatio *retrotrahitur* ad diem commissi delicti, ita ut reus pœnam luat et privetur, v. g., Beneficii fructibus, perinde ac si, patrato delicto, pœna fuisset exsecutioni demandata. Non tamen hæ particulæ excludunt necessitatem declarationis judicialis, ut patet ex usu communi; unde, non obstantibus his particulis, solet exspectari sententia declaratoria. Hæc sententia confirmatur ex Jure canonico, cap. *Cum secundum leges,* de Hæreticis, *in Sexto.* Vide *Institutiones canonicas,* Tract. 2, n. 77, 78.

61. — Cæterum, quamvis verum sit leges humanas posse

obligare in conscientia ad subeundam pœnam activam ante omnem declarationem, de facto tamen *nulla reperitur lex civilis tali modo obligans*. Aliud dicendum est de legibus ecclesiasticis : quædam enim *ipso jure* irritant actum vetitum, ut Matrimonium clandestinum; vel reum inhabilem reddunt, ut Clericum ad Beneficium possidendum, aut ad suscipiendos Beneficii redditus, si per simoniam realem illud obtineat, aut Horas non recitet : hujusmodi leges effectum sortiuntur ante sententiam declaratoriam; unde clandestine conjuncti debent statim separari; simoniacus realis Beneficium dimittere tenetur, perceptos fructus restituere, etiam non expectata Judicis declaratione.

§ V.

De Lege humana actus irritante in foro conscientiæ.

62. — *Quæritur* 1° an dentur leges, quæ actus irritent in foro conscientiæ?

Resp. Quoad jus canonicum, sunt certo leges quæ actus irritant in foro conscientiæ; tales sunt leges quæ constituunt impedimenta ex jure ecclesiastico dirimentia Matrimonium, quædam leges circa sacramenta et sacramentalia, circa consecrationes aut benedictiones altaris, nempe quæ factæ sunt sine forma essentiali.

2. Quoad autem jus civile, non consentiunt Jurisperiti et Theologi, an de facto in jure civili gallico exstet lex irritans actus ante sententiam Judicis saltem declaratoriam. Hæc expenduntur in Tract. *de Contract.*, n. 23-29, 135-141, 180-186.

64. — *Quæritur* 2° an ignorantia aut alia causa excuset a pœna legis *in foro conscientiæ?*

Resp. 1. *Ignorantia, et omnis causa excusans ab omni culpa, ab omni similiter excusat pœna; quæ vero a gravi solum culpa, non autem a veniali excusat, pariter a gravi pœna, non a levi excusat.* Ratio est, quia quod tollit aut minuit causam pœnæ, pœnam tollit aut minuit : atqui sola culpa causa est pœnæ per legem non pure pœnalem, de qua hic quæstio est, impositæ; ergo ingnorantia, aut quævis

alia causa tollens vel minuens culpam, tollit vel minuit pœnam. Vide Tract. *de Censuris*, n. 14-16.

2. Ignorantia etiam invincibilis solius pœnæ non excusat a pœna *nisi lex contumaciam* requirat. Ratio est, quia qui libere legem transgreditur, ignorans solum pœnam lege impositam, ille totam ponit pœnæ subeundæ causam, peccatum scilicet in transgressione legis positam. Hinc pœna mortis afficiuntur, v. g., fures, etiam ubi forte pœna hac furtum puniri invincibiliter ignorant. Dico : *nisi lex contumaciam requirat :* ubi enim agitur de censuris quæ omnes contumaciam requirunt, illæ non incurruntur, nisi adsit cognitio legis ecclesiasticæ sub censura prohibentis, quia alias non esset contumacia, ut dicemus in Tract. *de Censuris*, n. 14.

65. — *Quæritur* 3° an ignorantia impediat ne lex *ipso facto* irritans, suum sortiatur effectum.

Resp. 1. *Si lex nonnisi in culpæ vindictam actum ipso facto irritet, quidquid excusat ab omni culpa, eximit et ab actus irritatione;* sublata quippe causa totali, effectus quoque tollitur. Hinc qui ex oblivione naturali, vel ex Breviarii inculpabili defectu, Horas non recitat, Beneficii fructus suos facit, et pro eo casu liberatur a lege fructuum acquisitionem irritante. Hinc tamen perperam inferres eum, qui simoniæ nescius per alterius simoniam Beneficium acquirit, illud retinere posse; specialis enim Ecclesiæ lex obstat, quæ, in odium culpæ alienæ, insontem eo in casu privat Beneficio.

2. *Qui sciens legem actum prohibentem, ignorat solum irritationem lege impositam, irritationi subjacet, cum hæc in solius culpæ vindictam statuta fuerit.* Eadem ratio est quæ supra scilicet, culpa in transgressione legis hujus posita, totalis est et adæquata causa irritationis; ergo quicunque culpam hanc admittit, irritationi subjicitur. Hinc, qui sciens et volens Horarum omittit recitationem ab Ecclesia præceptam, vere suos fructus non facit, licet irritam esse fructuum receptionem ab eo, qui non recitat, ignoret.

3. *Invincibilis etiam ignorantia legis irritantis non impedit*

actus irritationem, quando immediate propter bonum commune statuta est; istudque patet in matrimonio, quod quis bona fide cum aliquo impedimento dirimente contraxisset; et ratio est, quia leges maximi momenti et quæ bono communi maxime sunt utiles, effectum suum prorsus et absolute debent habere. (Item tamen non constat de matrimonii impedimentis dirimentibus per modum pœnæ statutis, ex dictis in Tract. *de Matrim.*, n. 291. A fortiori nec metus gravis talem impedit actus irritationem; alias enim vero homines occasionem sumerent incutiendi metum ad eludendam legem, quod bono communi multum obesset.)

§ VI

An Lex Tributorum vere et proprie conscientiam obliget.

66. — Tributum definitur : *contributio subditis imposita, ut variis tum Status, tum Principis sumptibus provideatur.*

Ut justum sit tributum, requiritur 1. ut ab auctoritate competente imponatur; 2. ob justam causam; 3. pro rata subditorum facultate.

Duplex est tributorum genus; alia enim sunt *directa, indirecta* alia. *Directa* dicuntur ea, quæ actualia et determinata privatorum bona afficiunt, sive *immobilia* et tunc *realia* dicuntur, sive *mobilia* et tunc *personalia* vocantur. *Indirecta* vero ea sunt, quæ immediate afficiunt quasdam merces, mediate vero personas quæ eas vendunt, emunt, transvehunt, importent, vel exportant : ad tributa *indirecta* revocantur ea, quæ solvuntur occasione bonorum mutationum, per mortem domini, vel quorumdam contractuum publicæ inscriptionis.

His præmissis, quæritur an vi legis tributa imponentis, vere subditi ea solvere in conscientia obstringantur.

PROPOSITIO

67. — *Subditi tenentur generatim in conscientia solvere tributa, sive directa, sive indirecta.*

Propositio est certa, et ab omnibus admittitur, quatenus spectat tributa *directa;* quatenus autem de *indirectis* agit, negatur a quibusdam contra alios, inter quos S. Ligor.,

qui tamen asserere non audet opinionem oppositam esse probabilitate destitutam.

Prob. 1° *Script. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo,* inquit Christus loquens de censu Imperatoribus persolvendo, tanquam re ipsis debita; Matth. 22, v. 21. Apostolus, Rom. 13, v. 5 et 7, postquam docuit parendum esse legibus Principum, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, subjungit : *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal;* ergo tributa a subditis, propter conscientiam, Principibus sunt persolvenda.

2° *Traditione.* 1. Ex SS. Patribus, quorum hac de re constans fuit doctrina. « Sed et cætera *vectigalia* gratias Christianis agens ex fide dependentibus *debitum*, qua alieno fraudando abstinemus, ut si ineatur, quantum vectigalibus pereat fraude et mendacio vestrarum professionum, » etc. Tertull. *Apolog.*, c. 42. His postremis verbis Paganos exagitat celebris apologeta. S. Augustinus, relatis verbis Apostoli : *Omnis anima potestatibus subdita sit*, Rom. 13, v. 2, eaque interpretans, Expos. propos. ex Epist. ad Rom. cap. 72 : « Si quis ergo putat, ait, quia Christianus est, non sibi esse *vectigal* reddendum, aut *tributum* eis, qui hæc (temporalia) curant potestatibus, in magno errore versatur. »

2. Idem comprobant et Acta Martyrum, quorum unum appellabimus testimonium : S. Speratus interrogatus a proconsule Saturnino illum compellente ut juraret per genium Cæsaris, respondit : « Ego Imperatoris genium nescio, sed cœlesti Deo meo servio. Ego enim nec furatus sum aliquando; sed quodcunque emam, *tributum* do, quoniam cognosco eum dominum meum. »

3° *Ratione.* Etenim Princeps vel quæcunque suprema potestas, eo ipsos quod societatem regit et administrat, jus habet ea a subditis exigendi quæ necessaria sunt, tum ad propriam dignitatem tuendam, servandamque, tum ad bonum societatis procurandum ac promovendum : porro ad hæc, tributa omnino sunt necessaria; ergo, etc.; vide tamen, n. 51.

An vero tributa solvenda sint non solum ex obedientia et pietate erga patriam, sed etiam ex stricto jure, ita ut qui ea non solvit, teneatur ad restitutionem, dicemus in Tract. *de Justitia*, n. 330, 334 et seq.

ARTICULUS IV

De objecto Legum.

Dicemus 1° de actibus qui sub lege humana cadere possunt, 2° de modo, 3° de tempore legem implendi.

§ I

De actibus qui cadere possunt sub obligatione Legis humanæ.

Actus ex parte objecti sunt boni, vel mali, vel indifferentes, interni vel externi. Itaque.

68. — *Quæritur* 1° an omnis lex humana versetur in materia honesta, et an omnis materia honesta possit præcipi?

Resp. 1. Lex humana non versatur nisi in materia honesta. Lex enim quæ inhonestum præciperet, esset eo ipso legi naturali et æternæ opposita, ac proinde omnino illegitima et ab omnibus respuenda, n. 5, 6. Sufficit tamen ut legis materia sit honesta intrinsece, id est, ratione finis communis; modo in se non sit mala, sed solum indifferens; sic, v. g., prohiberi potest certo tempore armorum gestatio, quæ licet in se sit quid indifferens, nihilominus aliquando ejus prohibitio ad publicæ rei bonum conducere potest.

2. Non omnis materia honesta sive in se, sive ratione finis communis, lege humana potest præcipi. Sic virginitas, jejunium in pane et aqua, etsi materia sint vere laudabilis, imprudenter tamen *omnibus* præciperentur, quia essent jugum quod plerique homines portare non possent. Atque hinc colligere solent Doctores, legislatorem politicum omnia vitia prohibere non debere, nec posse, saltem sub pœna coactiva : omnia enim mala cavere non omnium est, et, ut fert axioma, paucorum est perfectio. Hæc tamen

non impediunt, quin in Religioso statu multa prohibeantur, quæ in alio statu licita sunt.

69. — *Quæritur* 2° an proprium objectum legum civilium sit res temporalis, canonicarum vero legum sit res spiritualis?

Resp. Affirmative. Scilicet, 1. proprium objectum et finis proximus civilis potestatis et legum ab ipsa conditarum, est promovere commodum ipsius societatis civilis seu temporalis; finis vero remotus et ultimus ejusdem potestatis est sub directione ipsius Ecclesiæ se exerere, Ecclesiam specialiter adjuvare in exercitio auctoritatis spiritualis, et hoc modo ad sanctificationem et salutem æternam civium cooperari. Hoc consequuntur tum ex natura ipsius potestatis civilis, tum ex fine ultimo, nempe supernaturali, et de facto omnibus hominibus imposito, et ad quem ideo obtinendum omnis potestas concurrere tenetur, ut dictum est in Tract. *de Eccl.*, n. 229, 231.

2. Proprium autem objectum et finis legum ecclesiasticarum est efficacius promovere fidem et obedientiam veritatibus, præceptis et consiliis a Deo revelatis, ut tutius, perfectius et universalius obtineatur supernaturalis finis Revelationis et Theologiæ, n. 29.

70. — *Quæritur* 3° an lex humana ad actus internos se extendat?

Resp. Lex humana ad actus internos se extendere potest directe vel indirecte : *directe*, si actus interni præcipiantur aut prohibeantur *per se* et ratione sui; *indirecte*, si præcipiantur aut prohibeantur, non per se et ratione sui, sed ratione actus externi cui conjunguntur.

Jam vero 1° actus *mere internus* non cadit *de facto* sub lege humana. Nulla enim lex ecclesiastica vel civilis afferri potest, quæ actus mere internum, præcise spectatum, v. g., orationem mentalem, præcipiat.

An vero hujusmodi actum præcipere *possit* legislator humanus, non consentiunt auctores. Videlicet, hoc communiter negatur de Legislatoribus *civilibus*, quia scilicet

potestas civilis respicit tantum bonum temporale Communitatis, ad quod non directe conducunt actus mere interni; n. 51.

Major est difficultas de *Legislatoribus ecclesiasticis;* variæ enim sunt Doctorum sententiæ : alii docent Ecclesiam a Christo non accepisse talem potestatem, et probare contendunt : 1. quia neque in Scriptura, neque apud SS. Patres reperitur aliquod indicium hujus potestatis; 2. quia nulla potestas leges ferre solet, de quibus judicare non potest : atqui non potest Ecclesia judicare de actibus internis; ergo.; 3. quia potestas ferendi leges involvit jurisdictionem; atqui Ecclesia nullam habet jurisdictionem in actus internos; ergo, etc.

Alii vero asserunt Ecclesiam habere hujusmodi potestatem, et sic probant : 1. *non repugnat talem potestatem Ecclesiæ concedi;* nam potestas Ecclesiastica respicit bonum spirituale subditorum, et est immediate a Deo, qui certe potest imperare actus internos : atqui actus interni multum conferre possunt ad bonum fidelium; ergo potestas hujusmodi concedi potuit Ecclesiæ. 2. Illam potestatem fuisse concessam satis constat ex textibus supra citatis : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis,* Matth. 16. *Obedite præpositis vestris,* Hebr. 13 : etenim verba hæc non distinguunt inter actus internos et externos; ergo de utrisque generaliter intelligi debent.

Revera Ecclesia de internis non judicat, judicio *forensi* et cum strepitu judiciali, sed *directive,* expendendo an bona sint, ut præcipiantur, an mala, ut prohibeantur. Enimvero actus exteriores occulti vere prohibentur ab Ecclesia, et quidem sub pœna censuræ, licet de illis in exteriori foro judicare nequeat; sicut ergo dedit Ecclesiæ Deus potestatem ferendi leges, quæ obligent in conscientia, quamvis de conscientia nemo judicare queat, ita a pari potuit Deus, etc.

Præterea potestas, quæ immediate cadit in personas, mediate vero solum in actus, involvit quidem jurisdictionem; non vero quæ immediate cadit in actus. Aliunde quid incommodi, si dicatur Ecclesiam in ipsos actus interiores habere jurisdictionem, non coactivam, qua

exterius puniantur, sed directivam, qua præcipiantur?

2° *Actus interni ab humana potestate præcipi vel prohiberi possunt* concomitanter, *quatenus scilicet requiruntur ad moralem substantiam actuum externorum.*

Etenim 1. id potest esse utile et necessarium ad bonam Communitatis gubernationem : v. g., quando imperatur actus exterior, quo contractus initur, ut puta matrimonium, bonum commune postulat ut vere, non ficte, contrahatur. 2. Ecclesia potest præcipere et de facto præcipit, v. g., orationem et peccatorum confessionem : atqui non potest præcipere orationem, quin præcipiat interiorem attentionem, quæ necessario moraliter requiritur in oratione vocali; et similiter, quando Ecclesia præcipit confessionem peccatorum, præcipit etiam contritionem *internam,* quia contritio requiritur ad validam confessionem. Unde Alexander VII et Innoc. XI eorum Doctorum sententiam damnaverunt, qui asserebant satisfieri præcepto annuæ confessionis per confessionem nullam et invalidam, et præcepto communionis paschalis, per sacrilegam corporis Domini manducationem. Ergo Ecclesia potest præcipere et de facto præcipit actus internos, saltem indirecte et concomitanter. Cujus propositionis momentum ex infra dicendis patebit.

71. — *Quæritur* 4° an lex humana extendatur ad actus *præteritos,* obligando?

Resp. Negative. Constat tum ex cap. ult. *de Constitutionibus,* ubi dicitur leges et constitutiones dare formam futuris, non autem ad præterita facta trahi; tum quia lex proprie dicta est essentialiter regula operandi : atqui regula operandi non potest ad actus præteritos extendi, quia cum facti sint, non facti esse nequeunt.

Attamen Legislator potest facere ut inculpabilis actus pœnæ improprie dictæ subjaceat : sic cum lata est lex, qua filii illegitimi constituebantur irregulares, irregularitatem contraxerunt, qui ante legem illegitimi erant.

Similiter, si lex sumatur pro doctrina *declarante* eum, v. g., qui talem culpam commisit, censuram tali canone latam incurrisse, utique ad actus præteritos extendetur.

§ II

De modo implendi Legem.

72. — Quæstio maxime habet locum et intelligitur de actione *externa,* per quam impletur aliquod præceptum affirmativum, an ea actio certo modo fieri debeat, nempe : 1. an scienter et libere; 2. an ex intentione satisfaciendi præcepto; 3. an bene et virtuose, id est, ex recta intentione, cumque aliis debitis circumstantiis, ut sit actus virtutis.

PROPOSITIO PRIMA

76. — *Ad satisfaciendum præcepto, ordinarie ~~aliquando~~ actio debet esse libera et scienter facta.*

Toties enim legis observatio actionem liberam exigit, quoties actum humanum lex imperat : atqui nonnunquam lex humana actum imperat humanum; ergo, etc.

Hinc qui ebrius, dormiens, aut mentis impos, vel omnino invitus, Missam. v. g., die festo audivit, Horas canonicas recitavit, pœnitentiam a Confessario injunctam implevit, non satisfecit præcepto, sed tenetur aliam Missam audire, iterum Horas canonicas recitare, et pœnitentiam adimplere.

Dixi : *~~aliquando~~;* sunt enim leges respicientes bonum societatis externum, quod per actum indeliberatum obtineri potest. Unde, ebrius, dormiens, aut amens legi de eroganda eleemosyna satisfacit.

PROPOSITIO II

77. — *Ad satisfaciendum legi humanæ non requiritur ordinarie intentio satisfaciendi præcepto.*

Ratio est, quia sine hac intentione satisfaciendi legi, id totum fit quod præcipitur a lege : ergo sine illa intentione impletur præceptum. Unde, qui immemor præcepti, v. g., ignorans esse diem festum, voluntarie et attente audivit Missam, satisfecit præcepto; simili modo, qui immemor voti, vel juramenti, opus promissum vel injectum libere præstitit, suæ satisfacit obligationi.

PROPOSITIO III

78. — *Ad implendum præceptum humanum non requiritur necessario, ut actus sit meritorius aut virtuosus.*

Prob. Quia hic modus non pertinet ad substantiam actus externi imperati, et ideo sæpe lex humana impletur, licet non adsit intentio recta. Imo lex naturalis dandi eleemosynam, restituendi rem alienam, impletur per ipsum actum præceptum quamvis non recte factum, v. g., ex pravo fine inanis gloriæ, vel alia simili circumstantia depravatum. Qui tamen propter finem pravum implet præceptum, peccat contra legis naturalis vel divinæ præceptum aliud, quo prohibetur hic pravus finis.

§ III

De tempore implendi Legem.

Triplex hic constituitur quæstio : 1. an lex obligare possit, ut certo tempore impleatur ; 2. an aliquando obliget ante hoc tempus; 3. an post illud jam elapsum.

PROPOSITIO PRIMA

79. — *Leges obligant tempore ab ipsis præfixo.*

Propositio per se patet : nam circumstantia temporis potest et juste et utiliter a Superiore intendi et præcipi.

Adverte tamen quasdam leges habere tempus præfixum *expresse*, v. g., audiendi Missam diebus festivis, jejunandi in Quadragesima. Sunt etiam quædam leges, quæ habent tempus præfixum *virtualiter* solum et *implicite*, qualia sunt præcepta, quæ obligant tantum in aliqua necessitate vel periculo, v. g., præceptum dandi eleemosynam in necessitate proximi, eliciendi actum contritionis in periculo mortis, quando quis est conscius peccati mortalis.

PROPOSITIO II

80. — *Quando tempus nec expresse, nec implicite præfixum est, tunc leges per se obligant quamprimum possunt commode impleri.*

Ratio propositionis est, quia alioqui non posset assignari certum tempus, quo leges illæ per se obligare incipiunt.

Dixi in propositione, *quamprimum*, etc.; quæ particula intelligi debet moraliter et cum aliqua temporis latitudine. judicio viri prudentis.

81. — *Quæritur* 1° utrum eodem tempore et uno actu possit satisfieri pluribus præceptis?

Resp. 1. Certum est *aliquando posse satisfieri*, ut patet ex usu et praxi quotidiana; nam cum dies Dominica et Festum incidunt in eumdem diem, fideles non tenentur duabus Missis interesse.

2. Hæc est communis Theologorum sententia, ut *simul duobus præceptis semper satisfieri possit, modo unus actus alium non impediat, nec aliter mentem suam expresserit Legislator*. Potest igitur aliquis eodem tempore audire Missam et Horas canonicas recitare, quia hæc duo præcepta eumdem finem habent, et divini officii recitatio attentionem et pietatem, quæ Missæ sacrificio debentur, non impedit.

3. *Per unum actum eodem tempore pluribus præceptis satisfieri nullo modo potest, quando Legislator contrarium præcipit* : unde, v. g., uno jejunio regulariter satisfieri non potest trinæ obligationi præcepti, voti ac pœnitentiæ, si Legislator vel directe vel indirecte id prohibeat. Hinc, v. g., si voveris semel jejunare singulis hebdomadis, et Confessarius unum jejunium imponat, teneris ad bis jejunandum in una hebdomada, quia alioqui nullam imponeret pœnitentiam. Si vero tibi Confessarius injungat ut diebus singulis Sacro intersis, satis erit si unicam dominicis et festivis diebus Missam audias, talisque præsumitur intentio Confessarii, cum pœnitentia satis adhuc longa remaneat, ut peccato proportionata videri possit.

82. — *Quæritur* 2° quid agendum sit, cum occurrunt duo præcepta, quæ simul servari nequeunt?

Resp. Secum invicem conferenda sunt præcepta, illudque anteferendum, quod *gravius* est ac *præstantius*. Hinc lex magis stricta ac gravior prævalet minori ac minus strictæ, quæ tunc obligare desinit. Itaque præcepta lege naturali præscripta, cum fundentur regulis inviolabilibus, præponi

debent præceptis mere positivis, etiam divinis, quæ absolute mutari possunt; præcepta autem divina humanis præferenda sunt, cum melius sit *obedire Deo, quam hominibus;* præceptum supremi Principis prævalere debet præcepto superioris subordinati. Si præcepta sint ejusdem ordinis naturalis, negativum affirmativo prævalet, cum semper et pro omni tempore obliget, nec sint facienda mala, ut eveniant bona; Rom. 3, v. 8. Insuper præcepta quæ justitia fundantur, præponderare debent officiis charitate præscriptis. In cæteris vero quæ justitia non fundantur, virtus excellentior, in concursu, minus excellenti generaliter loquendo, præferri debet.

Dixi : *generaliter loquendo;* nam interdum servari debet præceptum inferius, si hujus materia gravis concurrat cum materia levi præcepti majoris. Sic, licet, generaliter loquendo, Sacrum omitti debeat, ut graviter ægrotanti præstetur auxilium, quia præceptum naturale charitatis, quæ est virtus omnium præstantissima, debet omnibus aliis præceptis prævalere, non debet tamen die festo Sacrum omitti ad levandam levem infirmi molestiam.

PROPOSITIO III

83. — *Leges non obligant ad præveniendum tempus, quando obligatio est affixa tempori et ab eo inseparabilis, secundum mentem Legislatoris.*

Ratio est, quia obligatio limitatur juxta intentionem Legislatoris, a cujus voluntate totam vim lex accipit.

84. — *Quæritur* unde cognosci possit obligationem esse affixam tempori?

Resp. Id colligi potest ex verbis legis, vel ex circumstantiis, ut quando, propter specialem solemnitatem et reverentiam diei vel temporis, principaliter ponitur obligatio, v. g., audiendi Missam die festo, jejunandi in vigilia alicujus Sancti, vel quando designatur actus præceptus velut proprium onus talis temporis, v. g., recitare Horas canonicas singulis diebus; in his enim et similibus, qui prævidet se impeditum iri tempore præfixo ab audienda Missa, a jejunando, a recitandis Horis canonicis, non tene-

tur anticipare die præcedenti, imo nec satisfaceret anticipando; et, tempore etiam culpabiliter elapso, exspirat obligatio, nec tenetur postea audire Missam, vel jejunare, vel Horas canonicas recitare.

Dixi : *non teneri anticipare die præcedenti*, quia tenetur eadem die anticipare, si prævideat fore ut postea non possit implere præceptum : v. g., tenetur summo mane audire Missam vel Horas recitare, qui prævidet se horis subsequentibus impeditum iri ab audienda Missa vel ab Officio recitando, quia scilicet obligatio Missæ et Horarum canonicarum est diei affixa, non horæ.

PROPOSITIO IV

85. — *Cum tempus a lege præfixum est ad urgendam obligationem, tunc leges obligant etiam post elapsum tempus præfixum, si opus nondum impletum sit.*

Ratio est, quia semper remanet obligatio, donec opus præceptum impletum fuerit, cum tempus præfixum non sit ad finiendam obligationem, sed ad *urgendam*, id est, ne ultra differatur operis exsecutio. Unde colligitur quod, quando tempus præfixum elapsum est, nullo modo exspirat obligatio; sed *fortius* urget, ita ut tanto magis ac magis peccetur, quanto magis ac magis differtur exsecutio ultra tempus designatum. Talis est lex communionis paschalis, confessionis annuæ; item lex seu obligatio implendi vota, exsequendi pœnitentiam, etc.; similiter obligatio celebrandi Missas certis diebus, ex fundatione seu obligatione Beneficii. Ratio est, quia in his casibus principaliter præcipitur actus quoad substantiam : circumstantia vero temporis præcipitur tantum secundario, ac solum ut magis conveniens ad opus exsequendum, vel ne ultra differatur operis exsecutio.

ARTICULUS V

De subjecto Legis humanæ.

Inquirendum est 1° an aliqua lex obliget infantes; 2° an lex obliget ipsum Legislatorem, vel lex civilis Clericos; 3° an lex localis obliget cives absentes; 4° an lex localis obliget advenas et vagos.

§ I

De Legis humanæ obligatione quoad infantes.

PROPOSITIO PRIMA

86. — *Nulla lex humana obligat infantes ante usum rationis.*

Infantes enim ante usum rationis non sunt capaces præcepti seu obedientiæ ac peccati, ideoque nec obligationis in conscientia; idemque dicendum est de perpetuo amentibus.

Unde licitum est præbere illis carnes ad comedendum diebus abstinentiæ, opera servilia imponere diebus festis; quamvis eodem modo licitum non sit eos irritare et incitare ad blasphemandum, verberandum, etc., quia hæc sunt ex se intrinsece mala, n. 16. Imo etsi non peccent infantes, qui ante rationis usum introducuntur in sacra claustra, peccant tamen et excommunicationem incurrunt Moniales, quæ pueros mares, et Religiosos qui puellas introducunt ad se, ex dicendis in Tract. *de Censuris*, n. 57, 58.

87. — *Obj.* Non licet carnes præbere ebriis tempore jejunii; ergo nec infantibus aut perpetuo amentibus.

Resp. Nego parit. Quia ebrii, vel ad tempus amentes vere obligantur legibus Ecclesiæ, quia vere sunt subjecti et capaces usus rationis, quamvis pro illo brevi tempore per accidens ratione non utantur, et a peccato ordinarie excusentur, si tunc comedant; quamobrem illis porrigens carnes vel imponens opera servilia diebus interdictis, peccat, quia cooperatur actioni, quæ est alteri's prohibita, ac proinde saltem materialiter mala : at vero infantes vel perpetuo amentes nullo modo obligantur legibus Ecclesiæ quia non sunt capaces usus rationis, ac proinde illis porrigere carnes non est cooperari actioni prohibitæ et saltem materialiter malæ.

PROPOSITIO II

88. — *Omnis lex etiam humana obligat pueros post usum rationis, si materia Legis ætati eorum conveniat.* Certum est.

Nam omnis lex obligat Communitatem, et consequenter pueros, si sint capaces præcepti et peccati, id est, si ratio-

nis usum sint assecuti, quod ordinarie evenit et in dubio præsumitur, post elapsum septennium.

Dixi : *si materia Legis ætati eorum conveniat.* Sic enim pueri tenentur, v. g., confiteri semel in anno, audire Missam diebus festis, abstinere a carnibus diebus vetitis : contra non tenentur lege jejunii, communionis annuæ, nec similibus quæ eorum ætati non conveniunt.

Cæterum, quamvis pueri, quando usum rationis adepti sunt, teneantur legibus communibus, transgredientes tamen non ita puniuntur ut adulti, et ideo ordinarie excusantur ante adeptam pubertatem a censuris, gravibusque pœnis civilibus. Vide Tract. *de Censuris*, n. 7 ; art. 66 a 69 *Cod. Pœn.*

§ II

De Legis humanæ obligatione quoad Legislatorem, ~~et de Legis civilis obligatione quoad Clericos~~.

89. — *Quæritur* an lex humana obliget ipsum Legislatorem, vel lex civilis Clericos?

Resp. 1. Princeps non absolutus, qualis est, v. g., Præses in Republica, Metropolita inter comprovinciales Episcopos, tenetur legibus, quas una cum cæteris auctoritatis legislativæ consortibus sanxit. Ratio est, quia leges illæ supponuntur latæ a Cammunitate, quæ est supra quascunque ejusdem partes singulariter spectatas, et cui consequenter omnia ejusdem membra obedire tenentur.

2. Princeps non tenetur legibus, quarum materia ad eum non spectat : ut si rex vetuerit ne quis gladium ferat. Patet id ex terminis. Unde quæstio movetur de aliis legibus.

Plures negant omnino, nisi adsit ratio scandali aut alicujus periculi, quia deest conditio obligationis, nempe subjectio. Alii communius, ut videtur, affirmant saltem quoad vim directivam legum. Ratio est, quia æquitas naturalis et ratio dictant Principem debere concordare cum subditis, in iis quæ non minus sibi quam subditis conveniunt; bonumque Communitatis regimen exigit, ut Princeps suis subditis exemplo præsit, ac sua agendi ratione, legum quæ in bonum publicum feruntur, observationem procuret.

Hinc illud juris axioma : *Justum est Principem legibus obtemperare suis;* cap. *Justum*, dist. 9.

Attamen, si de legibus canonicis quæstio sit, Legislator nec a seipso, nec ab inferioribus potest judicari, ideoque non potest cogi vel puniri propter legis transgressionem. Hinc Episcopus, qui sub pœna suspensionis ludum aleæ vel venationem prohibuit, peccare quidem potest, si ludo huic aut venationi vacet, non autem incurrere pœnas, quas aliis indixit.

(Quoad *subjectionem Clericorum erga legem civilem*, jam dictum est sive in Tract. *de Ecclesia*, sive in *Institut. Canonicis*. Videlicet,

S. Pontifex, quatenus supremus doctor ac rector Ecclesiæ seu societatis perfectæ suprema auctoritate pollentis, est independens a quacunque civili auctoritate, quæ e contra S. Pontifici in ordine spirituali subordinatur. Tract. *de Eccl.*, n. 38, 39, 50, 129, 221, 223, 227, 228, 229, 231.

Insuper, Clerici immunes sunt a muneribus, oneribus *secularibus* et actibus *civilibus*, Clericorum sanctitati et reverentiæ debitæ repugnantibus. Tenentur autem servare leges civiles, quæ non repugnant officio clericali, sacris canonibus, nec concordatibus. Hæc evolvuntur in Institut. Canonicis, Tract. 5, n. 342.)

§ III

De Legis humanæ obligatione quoad absentes.

90. — *Quæritur* an lex humana absentes obliget?

Resp. Distinguendum est : vel agitur de lege *communi* et *universali*, v. g., de lege confessionis annuæ, communionis pascalis; vel de lege *locali*, v. g., de lege jejunii in vigilia patroni loci, ex quo eadem die absens est parochianus.

Si prius, hujusmodi parochianus vel diœcesanus illis legibus manet adstrictus. Cum enim ubique obligent, tales leges non patiuntur absentiam.

Attamen, alienigenæ gaudent privilegiis loci, in quo actualiter et transitoriæ degunt, juxta omnes; et ideo, si

in tali loco vigeat consuetudo juri communi contraria, vel dispensatio quæ ipsum territorium officiat, tale privilegium prodest alienigenis; et in hoc sensu verum est effatum : *Si fueris Romæ, Romano vivito more; si fueris alibi, vivito sicut ibi.*

Si posterius, id est, si agatur de lege *locali* seu vigente in loco, in quo quis habet domicilium vel quasi-domicilium, generatim non obligat illum, qui absens est, seu extra territorium illius domicilii vel quasi-domicilii.

Constat ex c. 2. *De Constitutionibus* in sexto. Et revera, lex immediate afficit locum seu territorium; et in hoc differt a præcepto vel sententia particulari et in personam determinatam, quæ immediate afficiunt personas, et quocunque recesserint, semper eis cohærent.

Dixi : *generatim*. Duplex enim apponitur exceptio. Scilicet, 1. quando statutum respicit rem in territorio sitam; tunc enim, quamvis persona sit extra territorium, ejus tamen operatio et res, circa quam operatur, est in territorio, et ideo legi subjacet : sic, v. g., legi qua Clerici obligantur ad residentiam sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, vel legi quæ præcipit ut veniant ad Synodum, obedire tenentur etiam absentes, ubicunque sint; sic ille qui intra propriam diœcesim existens, ictu sagittæ hominem in aliena diœcesi occidisset, incurreret excommunicationem, quæ in propria diocesi esset statuta in homicidas. Ratio est quia hæc delicta fieri censentur in proprio territorio; ibi enim aliquis videtur delinquere, ubi non facit quod debet, vel ubi facit quod non debet.

2. Quando *absentia fit in fraudem legis, id est, non obstante prohibitione speciali abeundi;* sic, v. g., qui domicilium habent in loco, ubi promulgatum est Conc. Trid. decretum de clandestinitate, ac præcise ut se subtrahant tali decreto, abeunt in locum, in quo nondum fuit promulgatum illud decretum, ibi ineunt matrimonium prorsus invalidum ratione illius decreti. In hoc sensu dicitur : *Fraus et dolus nemini patrocinari debent.*

92. — *Quæritur* utrum discessurus e loco, ubi jejunium

vel dies festus observatur, teneatur jejunare vel audire Missam?

Resp. 1. Quoad *Missam,* non tenetur eam audire ante discessum, modo ante horam ultimæ missæ, quo tempore præceptum jam urgeret, extra locum, ubi viget præceptum, perveniat.

2. Quoad *jejunium,* incola discessurus tenetur quidem abstinere a carnibus, quandiu versatur in proprio territorio, sicut etiam tenetur abstinere ab operibus servilibus die festo : at vero, statim ac venit in territorium, ubi lex jejunii vel festi non obligat, potest carnibus vesci et operibus servilibus incumbere.

Si vero mane prævideat sibi post meridiem licitum fore carnibus vesci, etiam repetita refectione, aliqui censent cum non teneri ad servandum jejunium, sed posse ante exitum sumere jentaculum vel prandium, sed tamen sine carnibus. Vide Tract. *de Præceptis Eccl.,* n. 17.

§ IV

De Legis localis obligatione quoad advenas et vagos.

93. — *Quæritur* an lex localis, seu propria loci, obligetⁱ advenas et vagos, qui scilicet in territorio degunt solum animo ibi hospitandi vel breviter commorandi, aut tantum transeundi?

Resp. 1° Inter omnes satis convenit hujusmodi legibus teneri advenas et vagos 1. cum agitur de contractibus; in iis enim quisque sortitur forum ubi contrahit, nisi aliter statuerit Legislator; 2. si quæstio sit de delictis contra jus naturale aut commune; quilibet namque subditur Superiori loci illius, in quo delinquit; 3. ubi legis localis infractio præbet scandali periculum; 4. cum lex fertur in commodum loci, quo peregrinus aut vagus advenit; ut si prohibeatur ne merces, triticum, aut arma ex loco extrahantur, vel ne advenæ ultra tot dies in eo commorentur, et similia ad politiam aut bonum locale attinentia; 5. si ageretur de lege tributorum, quæ spectant rerum transvectionem aut emptionem, vectigalia, peagia, cæteraque ejus-

modi; 6. si Superior, præcipue Episcopus, in suo territorio hoc vel illud statutum ad morum correctionem aut disciplinam canonicam servandam, iis terminis condiderit, ex quibus vel expresse vel æquivalenter, *favente præsertim legitima consuetudine*, significaverit se voluisse advenas tali statuto, constringi. Vide Tract. *de Censuris*, n. 8.

2° An vero *præter hos casus*, lex localis obliget advenas aut vagos, controvertitur. Juxta plures, *peregrini, advenæ et vagi tenentur legibus locorum, per quæ transeunt.* Nam 1. peregrini, advenæ et vagi sentiunt commodum, quatenus a patriis legibus immunes sunt; ergo et onus sentire debent, obsequendo legibus locorum, quibus actu degunt; et revera iisdem legibus delicta eorum plectuntur.

2. Ut peregrini et vagi subjaceant legibus locorum in quibus actu degunt, satis est ut Legislator sufficientem in eos jurisdictionem exercere velit et possit : atqui *vult*, cum id merito censeatur velle, quod conducit ad territorii pacem, quæ profecto non parum turbaretur, si peregrini laborarent, aut epularentur, cum incolæ precibus vacant aut jejunio; *potest* etiam, cum ad subjectionem transitoriam sufficiat transitoria præsentia, sicut ad transeuntem a patriis legibus exemptionem sufficit brevis et transiens absentia.

3. Specialiter probatur de vagis, qui, si a locorum per quæ transeunt, legibus immunes sint, quasi sine lege erunt, nullumque habebunt superiorem, saltem particularem; quod in Ecclesia, quæ singulis Christi ovibus generaliter et specialiter invigilat, locum habere nequit; ergo.

Alii vero negant, quia leges speciales, aiunt, non obligant nisi proprie subditos : atqui nullus est subditus nisi ratione domicilii vel quasi-domicilii : neutrum vero peregrinis vel vagis acquiritur. Nec obstat 1. eos nullis partialium locorum statutis teneri, quia id non est absurdum; nec 2. quod vagi ob delicta admissa puniri possint; hoc enim necessitas exigit, ne scelera maneant impunita.

Hæc posterior sententia probabilior videtur; atque, cum hic agitur tantum de licito aut illicito, unicuique in suo

sensu abundare licet, juxta varia probabilismi systemata. Tract. *de Act. hum.*, n. 137, 143.)

ARTICULUS VI

De Legis interpretatione.

94. — *Quæritur* 1° quid sit legis interpretatio, et quotuplex species?

Resp. Legis interpretatio est ejus *explicatio clarior*. Triplex est, nempe, authentica, usualis, doctrinalis.

Authentica ea est, quæ fit a legislatore aut ejus successore, vel a superiore ad hoc competente. De tali interpretatione pro lege ecclesiastica dictum est, n. 36.

Usualis ea est, quæ fit per usum et consuetudinem populorum; consuetudo enim est *optima legum interpres;* de ea dicemus, n. 122.

Doctrinalis illa est, quæ fit per peritorum explicationem; et de ea hic agitur. Nec ullum præterit ejus necessitas. Vix enim ulla est lex, cica quam dubia plurima moveri non possint, de quibus peritos consuli necesse est; vim tamen legis non habet, quia non emanat ab hominibus jurisdictionem habentibus, uti quando agitur de interpretatione authentica.

95. — *Quæritur* 2° quotuplex sit interpretatio *doctrinalis?*

Resp. Duplex est, litteralis vel suppletionis.

Litteralis seu improprie dicta interpretatio ea est, quæ verba ipsa legis exponit, utendo aliis verbis clarioribus per modum declarationis tantum.

Suppletionis autem seu proprie dicta interpretatio ea est, quæ non nudam litteram et corticem verborum spectat, sed legislatoris *mentem* præcipue interrogat ac ostendit. De hujusmodi interpretatione præcipue hic agitur.

Interpretatio suppletionis est comprehensiva, extensiva, restrictiva.

Comprehensiva explicat quosnam casus verba legis sub se comprehendant. *Extensiva* probat casum aliquem, licet

verbis legis non includatur, tamen includi in lege juxta mentem legislatoris. *Restrictiva*, e contra, ostendit legem, attenta mente legislatoris, non esse intelligendam juxta totam verborum generalitatem. Ad hanc accedit interpretatio per *epikeiam*, qua pronuntiatur casum aliquem, ob circumstantias singulares ei proprias, in lege non comprehendi. Hic quasdam tantum tradere ac breviter possumus regulas circa legis interpretationem comprehensivam, extensivam, restrictivam, pro fusiori evolutione remittendo ad Institutiones canonicas, Tract. 1, n. 101-113.

o 96. — I. *Præcipuæ regulæ Juris circa legis interpretationem comprehensivam.*

1° *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus :* id est, verba generalia generatim et indistincte sunt intelligenda, nisi per aliud distinguatur ab illo, qui potuerit excipere, ex c. 22, tit. 33, lib. 5 Decret.

2° *Generi per speciem derogatur :* id est, quando duæ dispositiones sibi contrariæ concurrunt, illa, quæ specialis est, generali derogat; et, si ambæ communes sint, una tamen magis, altera minus talis, quæ minus communis est, derogat magis communi, in quo illa respectu istius minus est communis.

3° *Verba intelligenda sunt cum effectu :* id est, nullum verbum sit superfluum, sed inserviat aut tollendæ omni dubitationi, aut voluntati legislatoris magis declarandæ.

4° *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod fieri contingit.* Per *verisimilius* intelligitur id, quod, prudenter consideratis circumstantiis, et aliis ad genuinam veritatem inservientibus, veritati consentaneum magis apparet. Per id quod *fieri contingit*, denotatur quod in actibus, negotiis, contractibus, dispositionibus communiter ac in regione fieri consuevit.

5° *In obscuris, minimum est sequendum.* Hæc regula est præcedentis complementum, quatenus, cum discerni non potest quod est verisimilius in lege, nec quod fieri contingit, tunc, quod minus obligat aut gravat, sentire debe-

mus, quia, sequendo minimum, minus errandi periculum est.

§ 97. — II. *Præcipuæ regulæ Juris circa legis interpretationem extensivam.*

1° *Is committit in legem, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem :* id est, interpretatio potius menti legislatoris, quam verbis inserviat, ita ut verborum significatio etiam impropria potius admittatur, quam sensus absurdus, alioquin fraus legi fit. Revera non sermoni res, sed rei sermo est subjectus; c. 6, tit. 40, lib. 5. Decret.

2° *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo :* id est, si duo sint correlativa, vel ita connexa, ut unum pendeat ab altero, quod de uno dicitur, necesse est ut et de altero intelligatur; c. 3, tit. 2, lib. 1 Decret.

3° *Accessorium naturam sequi congruit principalis :* id est, quod, ex dispositione legis, aut ex conventione partium, est quasi causa et fundamentum illius, quod per se non subsistit, sed ab alia causa dependet, conceditur, prohibetur, annulatur, concesso, prohibito, annulato ejus fundamento seu causa, quæ vocatur *principale;* v. g., vendito prædio, venditur etiam aquæductus eidem inexistens.

4° *Qui sentit onus, sentire debet commodum, et e contra :* id est, qui suffert incommodum aut damnum alicui rei aut actui adnexum, debet etiam percipere commoda eidem ex natura, vel dispositione Juris adnexa, indeque provenientia; et vice versa; v. g., qui percipit fructus beneficii, onera quoque adnexa sufferre seu Ecclesiæ inservire et obsequia divina præstare debet, nisi ex aliqua speciali causa in his dispensetur.

§ 98. — III. *Præcipuæ regulæ Juris circa legis interpretationem restrictivam simul et extensivam.*

Odia restringi, et favores convenit ampliari. Videlicet, odiosa sunt illa, quæ, licet instituta pro bono communi, tamen directe tendunt ad quosdam gravandum. Tales sunt

leges vel *imponentes* nova onera, præsertim non æqualiter ab omnibus portanda; vel *irritantes* actus; vel *exorbitantes* a jure communi, concedendo aliquibus, quæ cæteris denegantur. In hujusmodo, odiosa sunt restringenda eo sensu, quod, si intentio legislatoris non satis pateat ex sensu verborum, nec ex motivo legis, aliisve circumstantiis, tunc illa lex stricte seu minus late est intelligenda.

Favorabilia autem ea dicuntur, quæ concedunt alicui merum beneficium absque læsione sive aliorum, sive juris communis, uti privilegia *præter legem*, ipsa *facultas* concedendi dispensationes, non vero ipsa dispensatio, quæ est odiosa, ut modo dictum est. Unde favores sunt ampliandi eo sensu, quod, si intentio legislatoris satis non pateat ex sensu verborum, nec ex motivo legis, aliisve circumstantiis, tunc illa lex applicari potest quamplurimis personis, et tam late quoad materiam, quam patitur contextus series.

99. — Per epikeiam, latine æquitatem, fit legis *interpretatio benigna*, qua prudenter judicatur *aliquis casus particularis non comprehendi sub lege*, quamvis sub generalibus verbis lata; ita ut per epikeiam fit aliqua legis emendatio quoad res sub verbis comprehensas.

Videlicet, sæpe contingit ut legislator non potuerit prævidere et excipere quosdam casus particulares; vel, etsi potuisset, non debuit excipere ad vitandam prolixitatem et confusionem legum : et tamen hi casus necessario excipiendi sunt a lege universali, quia alioquin lex injusta esset, vel saltem plus æquo rigida. Sic, v. g., lex universim posita audiendi Missam, reddendi depositum, dicitur emendari et corrigi, quando judicatur non obligare in aliquo casu, in quo ex ejus observatione aliquod grave damnum sequeretur : cum enim lex sit universalis et hos casus particulares non excipiat, dicitur in his casibus deficere, id est, aliquo modo errare, nec posse obligare, ideoque benigna interpretatione indigere. S. Th., 1, 2, q. 95, a. 6. Unde epikeia differt ab interpretatione authentica aut doctrinali, qua præcise explicatur ambiguitas verborum legis;

dum interpretatio per epikeiam spectat directe ipsas res seu casus sub lege compreheasos.

An epikeia locum habeat in legibus irritantibus, uti sunt impedimenta matrimonii dirimentia, vide Tract. *de Matrim.*, n. 291, 292.

ARTICULUS VII

De Legis cessatione.

Lex cessare potest 1° mutatione materiæ, vel cessatione finis; 2° dispensatione; 3° privilegio; 4° abrogatione legis.

§ I

De cessatione Legis ex mutatione materiæ, vel cessatione finis Legis.

PROPOSITIO PRIMA

101. — *Lex penitus cessat obligare, quando ejus materia fit iniqua, impossibilis, vel omnino inutilis.*

Propositio evidenter colligitur ex ipsa definitione legis, quæ est præceptum *justum* et ad bonum commune; unde non dubium est, quin in prædictis casibus lex prorsus et statim cesset, nulla exspectata superioris abrogatione vel declaratione, si tamen talis materiæ mutatio sit satis manifesta.

102. — *Quæritur, an peccet qui non tollit, aut ponit impedimentum executioni legis humanæ?*

Sensus quæstionis est, an qui legem implere non poterit, si aliquid faciat, ab eo faciendo abstinere teneatur : cui quæstioni ut satisfiat.

Resp. 1. *Impedimenta* proxima, *quæ legis humanæ executioni obsunt, removeri debent, nisi vel necessaria sint vel tam utilia, ut melius sit ea non tolli, quam legem servari...*

Prob. 1ª *pars.* Qui præcipit finem, censetur præcipere et media, quæ ad ejus consecutionem moraliter loquendo necessaria sunt : atqui removere impedimenta proxima, est medium ad legis executionem necessarium : aliunde nulla est ratio quæ postulet, ut impedimenta hæc non removean-

tur, cum supponantur *minime necessaria;* ergo impedimenta hæc tolli debent, etc.

Prob. 2ª *pars*, quia evidens est legem humanam non adeo stricte urgere, ud ad eam implendam tolli debeant impedimenta etiam necessaria, aut valide utilia. Sic cum ingruit necessitas opitulandi ægroto, quo tempore urget Missæ præceptum, Missa potius omitti debet, quam ægroti subsidium. Sic etiam qui jejunium servare non potest, et simul concionari, aut confessiones excipere, non tenetur opera illa pietatis, quæ per se jejunio meliora sunt, omittere, ut jejunet.

2. *Probabilius licet apponere etiam sine causa, saltem gravi, impedimenta remota* executioni legis. Ratio est quia nimis durum esset libertatem adeo coarctari. Dixi : *saltem gravi*, quia non est evidens nullam esse in hac agendi ratione deordinationem. Cæterum regula generalis facile assignari nequit ad determinandum sive quandonam impedimentum est proximum, vel non tollendi est ratio sufficiens. Attendatur ad mentem legislatoris, ad materiam legis, ad sensum doctorum, et piorum praxim.

PROPOSITIO II

103. — *Lex penitus cessat obligare, quando finis seu ratio legis adæquata cessat universim et respectu Communitatis.* Certum est.

Propositio, quæ est de cessatione legis *modo negativo*, constat, quia cessante fine adæquato, quem solum intendit Legislator, non præsumitur amplius velle obligare. Unde dicendum est legem cessare, idque etiam statim, ita ut, nulla exspectata Superioris abrogatione vel declaratione, liceat legem non observare. Oportet autem ut cessatio causæ finalis sit publice nota; si enim uni tantum vel alteri e Communitate nota sit, signum est cessationem non esse universalem respectu Communitatis; si vero dubium adsit, concluendum est juxta probabilitatis systema.

Dixi 1 : *quando finis seu ratio legis adæquata cessat :* si enim ob plures causas lex lata sit, et, una causa cessante, maneat alia sufficiens, non cessabit obligatio legis; simili-

ter, si lex sit divisibilis et virtualiter multiplex, cessante causa unius partis tantum, non cessabit lex secundum se totam, sed secundum illam partem; denique, si causa cesset tantum ad tempus, non extinguitur lex, sed tantum suspenditur pro illo tempore.

Dicitur 2 : *quando finis cessat universim et respectu Communitatis;* quia, si solum finis cesset respectu hominis privati, v. g., ratio vitandi scandala, lex tamen respectu ejus qui rem occultam ageret, semper subsistit, quia semper manet ratio seu finis respectu Communitatis, ob quam expedit etiam tunc legem servari ab homine privato, tum ad servandam uniformitatem in Communitate, tum ad vitanda multa incommoda, et periculum hallucinationis, quæ inducerent nimiam licentiam transgrediendi leges. Imo legislator, quamvis advertat finem seu rationem suæ legis in aliquibus defuturam, tamen potest rationabiliter, et debet etiam illos velle obligare : talisque voluntas præsumi debet, quando verba legis generalia sunt.

Ita S. Thomas 2. 2, q. 154, a. 2, et S. Ligorius, lib. 1, n. 199; « Magis mihi arridet, inquit, prior sententia, eo quod fere nunquam, communiter loquendo, in particulari cessat omnino periculum hallucinationis. »

104. — *Quæritur* utrum leges in *præsumptione* fundatæ desinant obligare, si de contraria veritate constet?

Resp. Duplex distinguenda est hic præsumptio : alia est particularis, et dicitur præsumptio *facti*, quando, v. g., in aliquo casu particulari, præsumitur adfuisse fraudem; alia est præsumptio generalis, et vocatur præsumptio *periculi*, quando, v. g., in tali modo contrahendi, præsumitur sæpius intervenire fraudes et semper periculum esse ne interveniant.

Leges in præsumptione *facti* fundatæ cessant, id est, *per se* non obligant, si de contraria veritate constet : quia justitia est de essentia legis. Potest tamen obligare per accidens, v. g., ad vitandum scandalum. At vero leges in præsumptione *periculi* fundatæ obligant in conscientia, quamvis in casu particulari non evenerit id quod juste

timebatur, v. g., fraus aut vis propter quas vitandas lex lata fuerat; quia semper manet causa et fundamentum legis, scilicet, ratio et periculum timendi incommoda : tales sunt leges, irritantes matrimonium et professionem religiosam; alias enim malum efficaciter non impediretur, quia plerique falso sibi persuadere possent non exstare periculum respectu sui, et sic lex finem intentum non obtineret.

§ II

De Dispensatione Legis.

Inquirendum est de dispensationis 1° notione et effectu, 2° auctore, 3° causa.

NUMERUS PRIMUS

De notione et effectu Dispensationis.

105. — Dispensatio est *relaxatio legis, seu exemptio a legis obligatione, ab eo qui legitimam habet auctoritatem, facta pro aliquo casu in quo lex alioquin obligaret.*

Dicitur 1 : *relaxatio* seu *exemptio*, eaque vox locum tenet generis.

Dicitur 2 : *ab eo qui legitimam habet auctoritatem;* dispensatio enim est actus jurisdictionis, et ea ratione differt ab epikeia, quæ solum est actus doctrinæ et prudentiæ.

Dicitur 3 : *pro aliquo casu, in quo lex alioquin obligaret;* unde prorsus dispensatio differt tum ab epikeia, quæ in iis tantum casibus locum habet, in quibus lex judicatur nullatenus de se obligare; tum a licentia seu permissione, qua non relaxatur lex alias obligans : sic Superior Religionis permittere potest Monacho, ut aliquid donet, nec tamen in paupertatis voto dispensat; tum ab abrogatione, qua lex universim et absolute tollitur.

PROPOSITIO

106. — *Lex cessat obligare per legitiman Superioris dispensationem.* Certum est.

Namque legis obligatio pendet a voluntate Superioris legitimi, qui proinde, sicut eam obligationem ab initio

inducere potuit condendo legem, sic etiam auferre potest vel in totum per abrogationem, vel ex parte per dispensationem.

Hæc autem dispensandi potestas est moraliter necessaria in omni societate, et præsertim in societate ecclesiastica. Etenim, omnis humana lex quantumvis prudenter constituta, certis in casibus durior invenitur, et pluribus incommodis obnoxia; ideoque, ut jam notavimus, legis obligatio aliquando propter hujusmodi difficultatem et incommoda cessat. Quia tamen magni refert leges suam auctoritatem servare, et plerique homines præsenti difficultate nimis permoti non satis vulgo æstimant, nec sæpius æstimare possunt violatæ legis incommoda; vel e contra, timoratæ conscientæ viri aliquando anxii sunt circa suas in iis casibus obligationes; utrique malo obviam fit per sapientem dispensationum œconomiam.

NUMERUS II

De auctore Dispensationis.

107. — *Solus Superior proprio jure dispensare potest;* quia inferior dispensare non potest in lege Superioris, cujus scilicet potestatem ligare et impedire non potest. Superioris autem nomine intelligitur ille, qui jurisdictionem habet. Dispensatio enim est actus jurisdictionis vel ordinariæ, quam scilicet habet ratione dignitatis ipse Legislator aut ejus successor, aut superior; vel saltem jurisdictionis delegatæ, quam habet ratione delegationis, qui eam a prædictis accepit.

108. — Hinc 1. S. Pontifex, ratione suæ dignitatis, habet potestatem dispensandi in omnibus Ecclesiæ legibus tam universalibus, quam particularibus. Vide Tract. *de Eccl.* n. 203.

109. — Hinc 2. Episcopi non possunt dispensare in legibus Sum. Pontificum vel Conciliorum universalium, nisi ipsis concessum fuerit a Jure vel consuetudine, vel ab expressa aut rationabiliter præsumpta Sum. Pontificis voluntate,

Episcopi autem habent *a Jure* facultatem dispensandi, quoties in lege aliqua universali additur, *ut in ea dispensari possit;* per hæc verba intelligitur facultas Episcopis concessa dispensandi; alioquin ea verba essent superflua, cum evidens sit Summum Pontificem in ea lege posse dispensare, nec ipse indigeat ea speciali concessione.

Episcopi facultatem dispensandi sibi compararunt *ex consuetudine :* v. g., dispensant in impedimentis dirimentibus, quæ matrimonio jam contracto superveniunt, ut in cognatione spirituali vel affinitate. Vid. Tract. *de Matrim.*, n. 256, 257.

Pariter Episcopi possunt dispensare, 1. in legibus quæ non sunt gravis momenti, et quæ non obligant sub peccato mortali; 2. in frequenter occurrentibus et sæpius dispensandis, v. g. in Festis, etc.; 3. in iis de quibus dubium est, an quis indigeat dispensatione; 4. in casibus extraordinariis, quando necessitas dispensandi maxime urget, scilicet ratione vitandi scandali aut alterius gravissimi damni, et est periculum in mora; tunc enim postulat charitas et suave Ecclesiæ regimen ac commune bonum, ut Episcopi facultatem dispensandi habeant, etiam in casibus regulariter Papæ reservatis. Vide Institutiones canonicas, Tract. 4, n. 96-100.

110. — Parochi similiter de *jure ordinario*, propter *consuetudinem* videntur posse dispensare cum suis parochianis etiam præsente Episcopo, in necessitatibus *frequentibus*, sed solum in iis, in quibus adest *usus* dispensandi, utpote in jejunio, et in cessatione a labore diebus festivis. S. Ligor. *Hom. Apost.* 49. Vide Institutiones canonicas, Tract. 5. n. 195.

* 111. — *Quæritur* utrum Superior secum *proprie* dispensare possit?

**Resp. Negative.* Sicut enim nemo sibi ipsi imperare potest, ut supra diximus, ita nec quisquam potest se *directe* et *auctoritative* aliqua obligatione solvere. Sed, quemadmodum Legislator aliquatenus obligatur legem propriam

If a superior can oblige himself he can dispense himself.
if " " cannot " " " cannot "
This depends on the solution of the above question whether he can bind himself.

servare, quando materia legis ipsi communis est, et ejusdem rationis cum subditis, ita etiam æquitas naturalis dictat Superiorem posse reputare se esse immunem ab *indirecta* legis obligatione, cum adest justa causa ob quam, in tali eventu, cum subdito dispensare posset.

NUMERUS III

De causa Dispensationis.

112. — *Quæritur* 1° an dispensatio nec peti, nec dari debeat, nisi ex justa et sufficienti causa vel *necessitatis*, vel *utilitatis?*

Resp. Affirmative. alioquin potestas dispensandi esset ad destructionem et non ad ædificationem. Unde

1. *Dispensatio data ab inferiore in* lege Superioris *sine justa causa existente vel saltem probabiliter existimata, omnino est nulla; ideoque graviter peccat tum dans, tum etiam postulans, imo et sponte oblata utens.* Ratio est, quia inferior nec licite, nec valide dispensare potest in lege Superioris, nisi ex ipsius Superioris concessione, quæ concessio in casu præsenti non præsumitur.

Hinc nulla est et invalida dispensatio sine causa concessa ab ipso Papa in *votis et juramentis*, quia sunt de jure divino; item ab Episcopis in *impedimentis matrimonii*, quæ leges sunt universalis Ecclesiæ, cui inferiores sunt Episcopi. Superior enim non concedit, nec potest unquam præsumi concedere inferiori facultatem dispensandi sine causa et temere et inique, cum ea concessio esset illicita. Addunt tamen communiter Doctores subditum. qui bona fide dispensationem petens, rationes suas attulit ac subjecit dispensantis examini, postea impetrata dispensatione uti posse secure et in conscientia; præsumere enim potest dispensationem fuisse licite collatam, donec contrarium appareat.

2° *Dispensatio, a Legislatore in* propria lege *data sine causa, est quidem illicita, sed tamen valida.* Nam legis obligatio pendet a voluntate Legislatoris; si ergo Legislator aliquem pro sua voluntate eximat, quamvis sine causa, hic lege non obligatur. Attamen peccat, qui sine causa dispensat, quia imprudenter ac temere utitur sua potestate,

eamque veluti prodit, et non tam dispensat, quam dissipat. Præterea peccat qui, dispensationem petendo, cooperatur peccato concedentis.

Disputant Theologi an dispensans sine causa in propria lege, peccet mortaliter, an solum venialiter. Juxta plures peccatum istud mortale dicitur, si materia sit gravis, quia, qui sic dispensat, agit contra proprium officium, et contra bonum commune ac charitatem, bene multis occasionem præbendo peccandi.

Item disputant Theologi utrum utens dispensatione sic concessa et sponte oblata peccet, necne, et utrum non teneatur aliis se conformare, tanquam exemptus sine causa a lege communi. Juxta plures peccat, qui tali utitur dispensatione; tunc enim agit contra naturæ legem, quæ præcipit ut, qui nullam habent ab aliis dissentiendi rationem, ab iis non discordent, iisdemque legibus positivis ob bonum commune latis subjiciantur omnes. Juxta alios non peccat, quia jam pro tali cessavit lex.

113. — *Quæritur* 2° utrum dispensatio nulla sit et invalida, quando ratio *finalis et principalis* ipsius dispensationis cessat?

Resp. 1. Si ab ipso superiore, v. g., a Papa, concedatur dispensatio, requiritur eodem tempore veram esse causam; quia superior sine causa non intendit dispensare.

Si vero superior committat delegato, v. g., Episcopo, facultatem concedendi dispensationem, sufficit veram esse causam eo tempore, quo delegatus concedit seu *fulminat* dispensationem, ex dictis in Tract. *de Matrim.* n. 275.

2. *Si post obtentam super* impedimento *dispensationem a Superiore vel delegato, causa dispensationis cesset antequam dispensatio ultimum suum effectum habeat*, v. g., si propter paupertatem dispensatio impetrata sit ad matrimonium contrahendum intra gradum prohibitum, et paupertas cesset post dispensationem obtentam, sed antequam contrahatur matrimonium, *tunc dispensatio adhuc subsistit.* Dispensatio enim jam effectum suum sortita est, et relaxatio impedimenti est plene consummata, cujus proinde obli-

gatio exstinguitur, nec postea reviviscere potest per solam causæ cessationem.

A fortiori illud verum est, si causa cesset tantum postquam dispensatio habuit totum suum effectum.

Dixi : *super impedimento;* si enim agatur de dispensatione super observantia alicujus præcepti, v. g., Officii, jejunii, etc., propter infirmitatem, si ante dispensationis usum, vel etiam postea, cesset penitus infirmitas, tunc manet obligatio servandi præceptum.

114. — *Quæritur* 3° an dispensatio cesset per mortem dispensatoris?

Resp. Negative. Etenim ex Regula 16ª Juris in Sexto, *decet concessum a Principe beneficium esse mansurum;* favet constans praxis, juxta quam rescripta gratiæ, etiam mortuo Papa, quotidie exsecutioni mandantur. Imo, ex communiori sententia, omnes gratiosæ concessiones extra contentiosam jurisdictionem, v. g., litteræ dimissoriæ, facultates audiendi confessiones, absolvendi a censuris et casibus reservatis, commutandi vota et juramenta, dispensandi in iisdem et in impedimentis matrimonii, item licentia celebrandi Missas in domo privata, etc., non exspirant morte concedentis. Vide Institut. canonicas, Tract. 2, n. 94.

Dixi : *gratiosæ concessiones;* odiosa enim privilegia, quæ, scilicet, ita privilegiato favent ut aliis noceant, cessant concedentis obitu : sicut et mandata ad litteras justitiæ exsequendas, re adhuc integra, mandantis morte finiuntur.

De dispensationibus subreptitiis, et obreptitiis scilicet, in quibus casibus dispensatio nulla sit et irrita, propter suppressionem veri vel expressionem falsi, agitur in Tract. *de Matrim.*, n. 286, 287.

§ III

De Privilegio.

115. — *Quæritur* 1° quid sit privilegium?

Resp. Privilegium est *Lex privata speciale quoddam beneficium, præter aut contra jus commune, certis personis concedens.*

Dicitur 1 : *lex privata;* non quidem respectu personæ privilegiatæ, cui nulla imponitur obligatio, sed respectu Communitatis, cui imponitur obligatio usum privilegii non impediendi.

Dicitur : *speciale quoddam beneficium;* neque enim privilegia quibusdam concederentur, si nulli speciale aliquid indulgeretur.

Dicitur : *præter aut contrà jus commune;* privilegium quippe aut concedit favorem, quem leges cæteris non irrogant, aut eximit ab onere, quod leges Communitati imponunt. Unde privilegium quædam est derogatio legi communi.

116. — *Quæritur* 2° quotuplex sit privilegium?

Resp. Privilegium est reale vel personale. *Reale* illud est, quod immediate et directe cuipiam rei alligatur, v. g., loco, dignitati, Ecclesiæ, monasterio, etc.

Personale illud dicitur, quod immediate confertur personæ, nempe, ob ejus sanctitatem, doctrinam, privatam excellentiam. Utriusque discrimen in eo situm est, quod privilegium *reale* ita sit rei annexum, ut tandiu subsistat, quandiu res permanet, proindeque cum ipsa res ad hæredes transmittatur; *personale* vero, cum ipsa persona intereat et exstinguatur. Porro, ut innotescat utrum privilegium reale sit, an personale, hæc afferri solet regula: scilicet, *personale* censendum est, *quoties exprimitur nomen illius cui conceditur; reale* vero existimandum est, *si sola exprimatur dignitas.*

117. — *Quæritur* 3° quotuplici modo amitti possit privilegium?

Resp. Quinque modis, scilicet, 1. *lapsu temporis definiti,* aut *cessante causa* propter quam fuit impertitum, aut *non servata conditione* sub qua concessum est : privilegium enim non durat ultra voluntatem concedentis.

2. *Per liberam illius, cui concessum fuerat, renuntiationem,* quia cuique liberum est juri suo renuntiare. Censetur autem *tacite* facta renuntiatio per non usum privilegii, spa-

tio temporis ad præscriptionem sufficienti, modo se obtulerit occasio eo utendi, et si privilegium odiosum sit respectu aliorum, quale est exemptio a solvendis tributis, quæ gravant alios.

3. *Per actum privilegio odioso formaliter contrarium;* si quis nempe solvat tributum a quo erat immunis, tunc censetur privilegio renuntiare.

4. *Per abusum;* privilegium namque meretur amittere, qui permissa sibi abutitur libertate; ad hoc tamen requiritur sententia *declaratoria.*

5. *Per revocationem* concedentis aut ejus successoris, privilegiato significatam.

118. — *Quæritur* 4° utrum privilegium exspiret morte concedentis?

Resp. Distinguendum est inter rescriptum *gratiæ*, quo scilicet gratia conceditur *absolvendi, dispensandi,* recipiendi ordines extra tempora; et rescriptum *justitiæ*, quod nempe respicit justitiæ administrationem, v. g., appellandi ab aliqua sententia. Iterum in rescriptis *gratiæ* distinguendum est inter gratiam *factam*, ut aiunt, qua delegatus habetur ut merus exsecutor; et gratiam *faciendam*, cum conceditur facultas illam largiendi *juxta arbitrium* ipsius delegati. His prænotatis,

Statuitur : *Rescriptum gratiæ factæ non expirat morte concedentis;* jam enim gratia facta est, ex hypothesi. *Rescriptum vero justitiæ et gratiæ* faciendæ *expirat, si res adhuc sit integra,* id est, si delegatus jurisdictione sibi concessa nondum uti cœpit.

§ IV

De Abrogatione Legis.

119. — *Quæritur* quid sit legis abrogatio?

Resp. Abrogatio legis est *illius universalis abolitio facta ab eo, qui habet potestatem.*

Dicitur : *abolitio universalis*, quia per abrogationem lex tollitur absolute et universim ac respectu totius Communitatis; in quo differt a dispensatione.

Si tota lex ejusque omnis obligatio tollatur, erit proprie *abrogatio;* si vero una pars legis tollatur, alia remanente, v. g., obligatio jejunandi, manente obligatione abstinendi a carnibus, tunc proprie dicitur legis *derogatio*.

Dicitur 2 : *facta ab eo, qui potestatem habet*, id est, ab ipso Legislatore. vel successore, aut ejus superiore; et in hoc abrogatio differt a cessatione legis, ad quam sufficit sola mutatio materiæ vel causæ.

PROPOSITIO

120. — *Lex cessat obligare per abrogationem.* Certum est. Nam, ut sæpe dictum est, obligatio legis pendet a voluntate Superioris, qui proinde eam tollere et abrogare potest.

Porro tribus modis lex abrogari potest : per puram et expressam revocationem; per legem contrariam; per consuetudinem.

Et 1. *per revocationem expressam* tollitur legis obligatio, nempe. per declarationem Legislatoris expresse et legitime manifestantis se velle talem legem non amplius obligare.

2. Lex abrogatur per *contrariam legem*, quando, scilicet, ponitur nova lex, quæ præcipit fierit contrarium ejus, quod priori lege imperabatur. Leges tamen speciales per posteriores generales non abrogantur, nisi expressa mentione, vel clausula saltem generali expresse derogatoria; quia, inquiunt Canonistæ, Princeps censetur ignorare legem specialem, cui expresse non derogat.

Adverte quod lex non debet dici abrogata, quoties excusari seu explicari potest contrarietas duarum legum, ut habetur lege ultima, Codice de Appellat. et cap. *Cum Expediat*, de Electione, in Sexto.

3. Denique legis abrogatio fit *per consuetudinem.*

ARTICULUS VIII

De Lege non scripta seu de Consuetudine.

Dicemus de consuetudinis 1° notione et speciebus; 2° conditionibus; 3° effectibus; 4° de effectibus desuetudinis, revocationis prohibitionis, reprobationis consuetudinis; 5° de jure consuetudinario in Gallia.

Quæ ad illa omnia pertinent, multis intricantur difficultotibus, ac fuse absolvuntur in *Institutionibus canonicis*, Tract. 1, n. 43-61. Hic per summaria tantum capita rem exponemus, ad illas Institutiones pro ampliori explicatione remittendo.

§ I

De Consuetudinis notione, et speciebus.

121. — *Quæritur* 1° quid sit consuetudo, de qua hic agitur?

Resp. Consuetudo, quoad nomen, idem sonat ac frequentia similium actuum ex parte plurium entium conviventium.

Quoad rem, consuetudo est factum, vel jus. Quatenus *factum*, et quidem hominibus proprium, consuetudo est *frequentia operandi libere eodem modo;* Suarez, *de Legib.*, lib. 7, c. 1. n. 5; vel *frequentia circa ea, quæ facere vel non facere in nobis est;* S. Th., lib. 3 *Sentent.*, q. 1, a. 4, solut. 2. Hæc consuetudo est via ad consuetudinem juris statim declarandam.

Quatenus *jus*, uti hic sumitur, consuetudo est *lex* seu *jus inductum moribus communitatis longævis, aliquo legislatoris consensu firmatum.*

Et quidem 1. *jus* seu *lex;* in quo consuetudo hujusmodi convenit cum lege scripta, ac differt a simplici usu seu a mera repetitione actuum similium, quæ nec jus, nec obligationem inducit.

2. *Inductum moribus;* in hoc significatur modus, quo jus illud constituitur, nempe, actibus populi ad hoc idoneis, non vero a solo legislatoris jussu, uti jus scriptum.

3. *Communitatis*, quæ est illius juris subjectum, seu in qua residet potestas legislativa, uti Ecclesia universa, diœcesis, ordo religiosus; vel quæ saltem capax est legis proprie dictæ recipiendæ, etiamsi careat potestate legislativa, uti certa personarum classis, v. g., clerus, magistratus, vel etiam persona publica quoad suum officium. Tale subjectum est *causa proxima* consuetudinis, præsertim quatenus facti. Unde jus consuetudinarium est effectus consuetudinis, et non consuetudo ipsa, atque ideo consuetudo

potius diceretur *fons juris* non scripti. Usus tamen invaluit jus illud *consuetudinis* vocabulo designandi.

4 *Longævis*, seu tanto tempore vigentibus, quanto a lege requiritur, ut consuetudo in jus transeat. In hoc iterum jus non scriptum differt a scripto, quod statim existit, ac legislator suum jussum communitati sufficienter manifestavit.

5. *Aliquo legislatoris consensu firmatum;* in quo adest tum primaria causa juris consuetudinarii, tum forma sub qua datur ille consensus, seu absque solemni promulgatione, uti pro jure scripto. Unde, in jure consuetudinario, communitas incipit, quantum in se est, volendo jus introducere, et tacite impetrando a legislatore consensum. Suarez, *ibid.*, c. 12, n. 1.

122. — *Quæritur* 2° quotuplex sit juris consuetudinarii species?

Resp. Consuetudo, quatenus jus, distingui potest ratione objecti, subjecti, finis et temporis.

1. Ratione *objecti*, consuetudo est *canonica*, vel *civilis*, prout versatur circa materiam ecclesiasticam, aut mere civilem. In Gallia legislator civilis non firmat jus consuetudinarium, n. 33; vide tamen n. 136; et ideo, in subsequentibus, præsertim quoad tempus requisitum ad legitimam consuetudinis præscriptionem, agitur de canonica consuetudine.

2. Ratione *subjecti*, consuetudo canonica est generalissima, generalis, specialis. *Generalissima* in toto orbe christiano vim obtinet et pro lege servatur; *generalis* autem certam aliquam provinciam aut diœcesim obstringit; *specialis* in aliquo ordine religioso aut in aliqua personarum classe habetur.

3. Ratione *finis* seu effectus, consuetudo est juxta, vel præter, vel contra legem.

Juxta legem consuetudo, quæ et *legis interpres* vocatur, adest quando communitas legem præexistentem vel *confirmat* et *adjuvat*, deducendo eam in opus; vel moribus, quibus legem applicat, *testificatur* communitas talem fuisse legislatoris intentionem, vel legem taliter fuisse receptam;

sicque consuetudo dubium legis sensum interpretatur, ac sæpe genuinum sensum ampliat aut restringit. De tali consuetudine dicitur : *consuetudo optima legis interpres;* c. 8, tit. 4, lib. 1 Decret.; atque hujusmodi interpretatio pro *authentica* habetur, n. 94. Si vero nondum sit legitime præscripta, mere *doctrinalis* interpretatio reputatur, n. 94.

Præter legem consuetudo, quæ et *juris constitutiva* nuncupatur, ea est, quæ præcipit aut vetat, aut irritat, quod ex lege scripta nec præceptum, nec vetitum, nec invalidum erat; c. 5, dist. 1.

Contra legem consuetudo, quæ et *desuetudo* denominatur, ea est, quæ anteriorem legem abrogat, vel ei derogat, prout plenarie legi opponitur, vel ex parte tantum; atque fit per frequentiam omissionis, si lex sit positiva, vel actionis, si lex sit prohibitiva.

4. Ratione *temporis*, consuetudo est *simplex*, vel *privilegiata* : si prius, consuetudo est tempore ordinarie requisito præscripta sine addito; si posterius, consuetudo excedit temporis præscriptionem, ita ut sit *quadragenaria*, vel *centenaria*, vel *immemorialis*.

§ II

De Juris consuetudinarii conditionibus.

Consuetudo, ut in jus transeat, debet esse rationabilis ex parte objecti, communis ex parte subjecti, longæva seu præscripta ex parte temporis, legali consensu firmata ex parte legislatoris.

123. — I. *Rationabilis ex parte objecti*, id est, de re possibili, honesta et utili communitati; c. 11, tit. 4, lib. 1 Decret.; c. 5, dist. 1.

Jam vero, *juxta legem* consuetudo rationabilis est, usquedum non rejiciatur tanquam *corruptela*, ex interpretatione ab ipso legislatore facta.

Præter legem consuetudo manet rationabilis, usquedum ejus præscriptiones sunt observatu possibiles.

Contra legem consuetudo est rationabilis, quando non procedit contra jus naturale, nec divinum positivum; nec,

dum procedit contra jus ecclesiasticum, non reprobatur ut *corruptela* seu abusus, aut tanquam *disrumpens nervum ecclesiasticæ disciplinæ;* nec peccandi licentiam aut ansam præbet; nec alia ratione communi utilitati perniciosa est; c. 1, 5, 7, 10, 11, tit. 4, lib. 1 Decret.; c. 1, tit. 4. lib. 1, in 6.

124. — II. *Communis ex parte subjecti*, id est, inducta in aliqua communitate proprie dicta, seu legis susceptiva, et a majori saltem hujus parte, et per actus spontaneos, similes, non interruptos, cum intentione saltem implicita legem inducendi.

An vero actus, quibus inducitur consuetudo *contra* legem, fieri debeant ex bona vel mala fide, seu ex errore vel cum scientia legis, controvertitur. Plerique tamen arbitrantur valere consuetudinem, sive bona, sive mala fide inducatur; ita S. Th., 1. 2, q. 97, a. 3, ad 2; Sanchez, Valentia, Diana, Haunoldus, Bonacina, Reiffenstuel, de Angelis, lib. 1, tit. 4, n. 7.

125. — III. *Longæva ex parte temporis*, seu legitime præscripta, ex c. 9, 11, tit. 4, lib. 1 Decret., et ex c. 3, tit. 4, lib. 1, in 6.

Jam vero, ad præscriptionem *juxta legem*, sufficit decennium, et fortasse brevius tempus. Tali enim consuetudini jus maxime favet.

Ad præscriptionem consuetudinis *præter legem*, sufficit etiam decennium juxta omnes Doctores, nonnullis exceptis veteribus.

Ad præscriptionem consuetudinis contra *legem*, distinguendum est, prout inducitur via *connivențiæ*, vel *præscriptionis*. Si prius, legislator illam consuetudinem cognoscit, eamque tolerat, cum facile posset ejus introductioni resistere; ac proinde censetur personaliter, licet tacite, connivere tali consuetudini contra legem vigenti. In hoc casu nullum requiritur tempus, ut consuetudo contra legem in jus transeat, cum tunc lex ab ipso legislatore potius tollatur.

Si posterius, legislator ignorat consuetudinem inductam contra legem; atque valde dissentiunt auctores de tempore requisito, ut in tali casu consuetudo in jus transeat, seu

sit legitime præscripta. Plerique ex recentioribus contendunt sufficere decennium ad præscriptionem consuetudinis contra legem etiam receptam, nisi sit conjuncta cum præscriptione in tertii præjudicium. Ita Lessius, Lugo, Azor, Pirhing, Leurenius, Schmalzgrueber, Reiffenstuel, Benedict. XIV, de Angelis, lib. 1, tit. 4, n. 9, Mansella, *de Impedimentis*, 1 p., c. 5.

Tandem, contra jura privatorum non præscribitur nisi quadragenaria possessione; contra vero jura Romanæ Ecclesiæ, nonnisi possessione centenaria aut immemorabili possessione præscribitur.

126. — IV. *Legali consensu firmata ex parte legislatoris.* Talis consensus, qui *legalis, juridicus, generalis, præsumptus* appellatur, ille est, qui datur per legem, quatenus legislator *per legem* a se statutam, *prævie* approbat omnem consuetudinem *rationabilem* et *legitime præscriptam;* et ideo, hac duplici conditione semel posita, merito *præsumitur* legislatoris consensus, licet legislator hujusmodi consuetudinem prorsus ignoret.

Jam vero, in Ecclesia, cum potestas non committatur a fidelibus, sed ab ipso Christo immediate, vel mediate, ex dictis in Tract. *de Ecclesia*, n. 39, 129, 202, 207, 216, omnino requiritur legislatoris ecclesiastici consensus ad quamlibet legem ecclesiasticam, et ideo consuetudinariam, inducendam; S. Th. 1. 2, q. 97, a. 3, ad 3.

Ex communi autem sententia, ad jus consuetudinarium inducendum sufficit legalis consensus legislatoris ecclesiastici. Ita, inter alios, Abbas, Pirhing, Sanchez, Layman, Suarez, *de Legib.*, lib. 7, c. 13, n. 6, 7, 8; c. 18, n. 14, 15; Reiffenstuel, lib. 1, tit. 4, n. 139; de Angelis, lib. 1, tit. 4, n. 10; Mansella, *de Impedimentis*, 1 p., c. 5.

Si vero legislator cognosceret consuetudinem, nec contra eam reclamaret, ob graviora, quæ inde sequerentur, incommoda, ex tali silentio inferri nequit legislatorem tacito consensu consuetudinem firmare; nec ideo consuetudo dici potest certo præscripta, quandiu legislator ejus conscius contra eam commode reclamandi facultate destituitur.

§ III

De Consuetudinis effectibus.

127. — 1° *Consuetudo, si debitas habeat conditiones, vim legis obtinet.* Constat ex omnium canonistarum consensu, ex constantissima praxi in Ecclesia, ex jure canonico, c. 3, dist. 4; c. 7, dist. 11; c. 8, 11, tit. 4, lib. 1 Decret. Ratione etiam comprobatur. Lex enim humana, ex una parte, communitatis ingenio, regionis conditionibus, temporum discrimini accommodari debet, in quantum sinit et exigit ipsius communitatis bonum; et, ex altera parte, lex scripta præsertim quæ spectat societatem per totum orbem diffusam, nec omnia incommoda prævidere, nec præcavere potest; ita ut in multis casibus semper sit deficiens ab initio, vel temporum decursu ob aliquam mutationem in hominum moribus.

Porro hujusmodi defectus vel impossibilitas legis scriptæ ordinarie manifestantur per locorum mores seu consuetudines, prout illi legi aliquid rationabiliter addunt, vel detrahunt, aut immutant; ergo talibus consuetudinibus indulgere debet legislator ecclesiasticus ad majus communitatis bonum. Aliunde difficile est consuetudinem multitudinis removere. S. Th. 1. 2, q. 97, a. 3.

128. — 2° *Consuetudo contra legem est odiosa,* n. 98, et ideo extendi non potest ultra ea, in quibus specifice observata est.

Consuetudo autem *juxta vel præter* legem *est favorabilis,* n. 98, ac proinde extenditur etiam ad similem casum.

In dubio quænam consuetudo juxta vel præter legem sit magis rationabilis, minusque nociva cæteris, oportet attendere ad consuetudinem propriæ ecclesiæ metropolitanæ, et maxime Romanæ Ecclesiæ, utpote quæ mater est et caput omnium Ecclesiarum. Suarez, *de Legib.*, lib. 7, c. 19, n. 28.

129. — 3° *Consuetudo diuturna, minus tamen rationabilis seu probabiliter mala, duplicem habet effectum.* Nempe 1. præbet probabilem causam dubitandi de licitate aut validitate actus ipsi conformiter gesti, ac consequenter dubitandi

de validitate juris contra quod viget illa consuetudo. 2. Eadem consuetudo excusat a pœna fori externi; hoc ipso enim quod toleratur in foro externo, non debet in eo puniri, alioquin non toleraretur. Suarez, *ibid.*, c. 19, n. 7.

§ IV

De effectibus desuetudinis, revocationis, prohibitionis, reprobationis consuetudinis.

130. — I. *Desuetudo abrogat consuetudinem, vel ei derogat.* Certum est.

Etenim desuetudo est mutatio morum seu inductio aliorum morum consuetudini prius vigenti oppositorum : atqui priores mores induxerunt consuetudinem vim legis obtinentem, eo quod fuit rationabilis ac legitime præscripta; ergo et posteriores mores contrariam consuetudinem, quæ priorem abroget, vel ei deroget, inducere possunt, modo hæc sit rationabilis et legitime præscripta.

131. — II. *Lex revocans consuetudinem sibi contrariam, tollit consuetudinem præexistentem.* Certum est.

Consuetudo enim vim legis non obtinet nisi ex voluntate saltem præsumpta legislatoris, n. 126; ergo. semel revocata illa voluntate, eo ipso consuetudo vim legis amittit.

Ad hujusmodi autem revocationem duo simul requiruntur, nempe, 1. *oppositio inter legem posteriorem et consuetudinem vigentem;* et ideo, si vigens consuetudo componi potest cum lege posteriori pro toto vel pro parte, id fieri debet.

2. *Voluntas legislatoris subvertendi consuetudinem in edenda lege contraria.* Itaque *lege generali*, posteriori et contraria, revocantur consuetudines *generales*, etiamsi de illis mentionem non faciat; non revocantur autem consuetudines *speciales locorum rationabiles*, nisi *expresse* in illa lege caveatur his aut similibus verbis : *Non obstante quacunque in contrarium consuetudine.*

Consuetudines privilegiatæ, n. 122 ad 4, seu *quadragenaria, centenaria, immemorialis*, non revocantur nisi de iis nominatim mentionem faciat legislator hac aut alia simili clausula : *Non obstante quacunque consuetudine in contra-*

rium, etiam centenaria aut immemoriali. Attamen lex *æque universalis* ipsi consuetudini, hanc revocat etiam immemorialem, licet eam nominatim non exprimat. SUAREZ, *ibid.*, c. 20, n. 7, 8.

Insuper, si in clausula generali de tollenda quacunque consuetudine in contrarium, *reprobetur* illa consuetudo seu significetur etiam tolli utpote *corruptelam,* tunc eo ipso subvertitur quæcunque consuetudo etiam centenaria et immemorialis, ex dicendis, n. 133.

132. — III. *Lex prohibens consuetudinem sibi contrariam,* huic obsistit, *ne in posterum inducatur,* et consequenter abrogat præsentem consuetudinem contrariam, si existat.

Talis autem prohibitio fertur non quia consuetudo est intrinsece mala seu corruptela, alioquin adesset reprobatio, et non simplex prohibitio, sed tantum quia est minus utilis, quam contrarium; et ideo, per hujusmodi prohibitionem, non tolluntur consuetudines particulares, nec privilegiatæ, absque clausulis specialibus jam enuntiatis pro revocatione. Prohibens censenda est hæc clausula : *Nolumus contra hanc legem aliquam consuetudinem valere*, aut quid simile.

An vero hujusmodi prohibitio sit *absoluta*, seu referat voluntatem legislatoris non solum quo tempore illa prohibitio lata est, sed etiam in futurum, ita ut nunquam consuetudo contraria induci possit via præscriptionis, sed tantum via conniventiæ, seu non ex consensu *legali*, sed *personali* saltem implicito legislatoris, n. 125, 126, non consentiunt auctores. Attamen multo plures contendunt illas clausulas prohibitivas nobis referre voluntatem legislatoris tantum quo tempore lex lata est; et ideo non obstante illa prohibitione, posse consuetudinem subsequentem, mutatis circumstantiis, non esse extrinsece irrationabilem, ac præscribere per lapsum temporis requisiti, et ex legali consensu legislatoris. Ita Abbas, Covarruvias, Layman, Schmalzgrueber, Engel, Suarez, *de Legib.*, lib. 7, c. 7, n. 5, 6; c. 19, n. 29-25; Vecchiotti, de Angelis, lib. 1. tit. 4, n. 12. Hæc sententia principiis juris nobis conformior videtur,

133. — IV. *Lex reprobans consuetudinem significat eam carere rationabilitate;* ergo consuetudo *præexistens*, etiam specialis locorum, aut immemorialis, cessat eo ipso ac reprobatur, et licet de ea non fiat specialis mentio. Ita omnes. Eadem reprobatio impedit, quominus in futurum inolescat contra eam consuetudo, nisi tanta sit in rebus facta mutatio, ut certo constet ipsam etiam consuetudinem irrationabilitatis conditionem mutasse.

Reprobantes censendæ sunt hæ clausulæ : *Consuetudinem illam penitus improbantes; — talem consuetudinem reprobamus; — cum hæc non tam consuetudo, quam corruptela merito sit censenda; — cum ex illa disrumpatur nervus ecclesiasticæ disciplinæ; — cum sit consuetudo prava; — aut contra decentiam, contra honestatem; — cum illa consuetudo sit abusus;* c. 7, 11, tit. 4, lib. 1; c. 2, tit. 19, lib. 2. Decret.; tit. 3, lib. 3, in 6; SUAREZ, *de Legib.*, lib. 7, c. 7, n. 7-10, c. 19, n. 24; de Angelis, lib. 1, tit. 4, n. 12.

134. — *Quæritur* an *contra disciplinaria decreta Conc. Trid. inolescere* possit *consuetudo?*

Resp. Affirmative, saltem probabilius. Etenim 1. Pius IV in Bullis *Benedictus* an. 1564, et *in Principis*, an. 1565, quibus illa decreta confirmat, hanc clausalam addit : *Decernentes irritum et inane, si secus super his a quocunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingit attentari.* » Porro talis clausula nec est mere revocativa consuetudinis præexistentis, nec ex se reprobativa; sed est pure prohibitiva; et ideo, juxta probabiliorem sententiam supra expositam, n. 132, illa clausula irritat tantum consuetudines præexistentes ac contrarias decretis Conc. Trid., et etiam futuras, durantibus iisdem circumstantiis. Hoc expresse docent Pirhing, Soll, S. Ligor., lib. 4, n. 12; Vecchiotti, t. 1 p. 47; de Angelis, lib. 1, tit. 4, n. 12; quibus adjungi debent omnes illi, qui non nisi illum restrictum effectum tribuunt clausulæ mere prohibitivæ consuetudinis, inter quos Abbas, Covarruvias, Layman, Schmalzgrueber, Engel, Suarez, ut supra n. 132, contra Benedict. XIV, *Instit.* 60, n. 7, de Luca, Pignatelli, Fagnan., Devoti.

2. Ex Brevi Pii VII ad Arch. Mogunt., 8 oct. 1803, « Matrimonia hæreticorum coram ministro acatholico inita, sunt rata et firma in locis, in quibus Conc. Trid. de clandestinitate, *si quando observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit.* » Ergo ex illo authentico ac peremptorio testimonio constare videtur consuetudinem posse inolescere contra disciplinaria decreta Conc. Trid.

3. De facto omnes provisiones beneficiorum parochialium fere ubique terrarum fiunt absque concursu præscripto a Conc. Trid., sess. 24, c. 18; nec profecto ullus affirmare potest exinde illas provisiones esse irritas.

Equidem plures consuetudines contra decreta Conc. Trid. fuerunt a S. Pontifice vel a S. Congr. Conc. improbatæ; sed hoc, quia judicarentur irrationabiles, non vero præcise quia essent contra illa decreta; et ideo nihil exinde inferri potest.

§ V

De Jure consuetudinario, ecclesiastico vel civili, in Gallia.

♀ 135. — *Quæritur* 1° quisnam sit hodiernus status juris consuetudinarii *ecclesiastici* in Gallia;

Resp. 1° jus antiquum consuetudinarium in Gallia vigens, fuit abrogatum a Pio VII, Bulla, *Qui Christi*, dec. 1802, in qua S. Pontifex « supprimit, annullat et extinguit *totum statum præsentem ecclesiarum Galliæ*, una cum *respectivis* eorum *capitulis, juribus, privilegiis* et *prærogativis* cujuscumque generis... ita ut omnes *Archiepiscopatus* et *Episcopatus*, cum *abbatiis*... haberi debeant in posterum tanquan non amplius *in primo statu existentes*, quia aut omnimodo *extincti*, aut in *novam formam erigendi : non obstantibus* earumdem ecclesiarum... *statutis* et *consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis* quoque, *indultis, concessionibus...* »

Unde in illo decreto omnes communitates in Gallia id temporis legislativa potestate gaudentes, aut legis recipiendæ capaces, fuerunt supressæ, annulatæ, extinctæ, aut sub nova forma erectæ : atqui leges sive scriptæ, sive consuetudinariæ, pro subjecto habent non territorium, sed

ipsas communitates, quas spectant; ergo omnes consuetudines propriæ Galliæ fuerunt illa Bulla abrogatæ. Et reipsa, id expresse declaratur de consuetudinibus etiam immemorabilibus; atque consonat constans praxis SS. Congr. Rom.

Nec novæ erectæ diœceses aut communitates quasi titulo hæreditatis jura illa acceperunt. Nam, semel abrogata aut exstincta, consuetudo reviviscere nequit absque nova præscriptione; alioquin ecclesiæ, quæ nunc de novo creantur, v. g., in Africa, hoc ipso gauderent juribus olim apud africanas diœceses vigentibus, eo quod idem sit territorium; quod a nemine asseritur.

2° Ex illis consuetudinibus ante Concordatum an. 1801 in Gallia legitime inductis, quædam, non obstante earum dicta abrogatione, in moribus populi permanserunt, atque, decurrente tempore, legitime præscribere potuerunt, tum quia rationabilibus innituntur fundamentis, tum quia S. Sedes contra eas non reclamavit, licet commode potuerit. Hoc expresse agnoscit concilium provinciæ Remensis, cui præfuit Card. Gousset, an. 1853, in civitate Ambianensi celebratum.

3° Omnes autem consuetudines in Gallia ante Concordatum an. 1801 inductæ, et quæ uti *irrationabiles* seu *disrumpentes nervum ecclesiasticæ disciplinæ* merito semper reputatæ sunt, et ut tales *reprobatæ* a S. Sede, nunquam in Gallia tanquam legitime præscriptæ haberi potuerunt. Talis erat usus seu potius detestabilis abusus non reputandi obligatorias Constitutiones S. Sedis aut decisiones Rom. Congreg. circa generalem disciplinam, nisi Episcopi pro sua unaquaque diœcesi eas acceptaverint; imo, nisi easdem exequendi facultatem fecisset auctoritas civilis. Quare S. Sedes pontificias Constitutiones disciplinam generalem spectantes recipi jussit a Conc. Parisiensis provinciæ, habito an. 1849, atque speciatim significavit pro ipsa Gallia, obligationem Bullæ Pii V de Liturgia Romana.

4° Tandem, a tempore Concordatus an. 1801, in Gallia, haud secus ac in cæteris Ecclesiæ partibus, induci potuerunt rationabiles consuetudines, ac legitime præscribere cum consensu tacito aut legali S. Pontificis. Itaque, ut con-

cludit Bouix, *de Principiis*, p. 100, ad determinandum jus canonicum in Gallia, non inquirendum est quid fuerit juris ante Concordatum an. 1801, sed tantum quid sit vel a jure communi, vel a Concordatu, vel decretis Pontificiis, vel consuetudinibus subsequentibus firmatum.

136. — *Quæritur* 2° quisnam sit hodiernus status juris consuetudinarii *civilis* in Gallia?

Resp. In Gallia, ab edito codice civili nunc vigenti, 1. *usus communis vim habet legalem ad supplenda, quæ aliquando non satis expressa sunt in contractibus, et ad leges interpretandas*, sive urgendo, sive mitigando rigorem verborum. Art. 1160.

2. *Consuetudine non potest legem proprie dictam induci*, quia nulla hujusmodi lex agnoscitur, nisi fuerit a Cœtu legislativo statuta et a Principe promulgata.

3. Quoad *abrogationem* vel *derogationem*, quidam admittunt in jure etiam novo romani juris et gallici veteris valere axioma : *Leges tacito consensu omnium per desuetudinem abrogantur;* et hoc exigi tum natura legis, tum bono societatis, tum ipsa reverentia legibus debita. Alii omnino negant, quia illius solius est abrogare leges, cujus est instituere : atqui hodie consuetudo non potest legem inducere; ergo nec abrogare : et ita videtur hodierna tribunalium praxis. Vide Toullier, Duranton, Marcadé, Demolombe. Quidquid sit, plurimæ sunt in Gallia leges nec abrogatæ expresse aut implicite, nec observatæ, circa quas minime sunt inquietandi, qui eas negligunt. Multæ ex illis legibus, presertim recentioribus, libertati et juribus Ecclesiæ plus minusve detrahentes, vitio proprio laborant; et quamvis a pseudopoliticis, principiis infandæ Massonum sectæ imbutis, interdum invocentur, absque culpa, et pro ipsius societatis majori bono, prætermittuntur; imo a culpa non immunis est earum applicatio.

FINIS TRACTATUS DE LEGIBUS IN GENERE.

TRACTATUS

DE VIRTUTIBUS IN GENERE

OBJECTUM, UTILITAS, DIVISIO TRACTATUS

1. — Præter ipsam facultatem boni aut mali moralis, sunt inclinationes quædam, quibus homo fit idoneus aut proclivior ad eliciendos actus morales seu legibus conformes aut contrarios, et quæ ordinariæ *virtutes* aut *vitia* nuncupantur. Hujusmodi inclinationum existentia, incrementum, perfectio, imminutio, sunt præsentis Tractatus objectum.

Nec certe ejusdem utilitas ullum præterit. Siquidem summe ad quemquam interest bonum per totam vitam perficere et malum præcavere; ac proinde obtinere et fovere inclinationes ad bonum seu virtutes, et exstirpare inclinationes ad malum seu vitia.

Pauca tamen addemus in hocce Tractatus de Vitiis, quæ præcipue intelliguntur ex dicendis in Tractatu *de Peccatis*.

In quatuor articulis dicemus 1° de notione et speciebus virtutum; 2° de eorum augmento; 3° imminutione et amissione; 4° de Vitio in genere[1].

ARTICULUS PRIMUS

De Notione et speciebus Virtutum.

2. — *Quæritur* 1° quid sit *virtus* in genere, et quænam sint ejus *species?*

Resp. 1° Virtus, a voce *vi* derivata quoad nomen, defini-

1. Circa Tract. *de Virtutibus et Vitiis*, consuli possunt fere omnes iidem auctores jam citati, p. 2, 110, et præsertim S. Th., qui perbelle hanc materiam evolvit in 1. 2, q. 55 et seq.; 2. 2, q. 1 et seq.

tur : *habitus disponens animæ potentias ad suas operationes recte exercendas,*

Dicitur 1 : *habitus* seu accidens ex se difficile mobilis seu ex se permanens; in quo distinguitur ab actu, qui est accidens ex se transitorius.

Dicitur 2 : *disponens animæ potentias;* quo indicatur habitum non esse ipsam facultatem, sed modum essendi seu quamdam facultatis perfectionem, qua facultas ad actum bonum fit magis idonea.

Dicitur 3 : *ad suas operationes recte exercendas;* et talis est effectus virtutis ejusque finis. Propterea a S. Augustino definitur, *bona qualitas, qua recte vivitur,* et *qua nullus homo male utitur;* in hoc virtus discrepat a vitio, quod est habitus disponens facultatem ad suas operationes exercendas contra rectam rationem. Unde virtus in omnibus tenet medium, quatenus declinat a vitio *excessus,* et simul a vitio *defectus.*

2° Virtutes dividuntur 1. ratione *principii* et *motivi* seu finis, in *naturales* et *supernaturales;* 2. ratione *subjecti* seu facultatis, in *intellectuales* et *appetitivas;* 3. ratione *objecti,* in *theologicas* et *morales;* 4. ratione *modi,* quo efformantur, in *acquisitas* et *infusas;* quo exercentur, in *formatas* et *informatas;* quo perficiuntur, in *communes* et *heroicas.* Unde

3. — *Quæritur* 2° quid sit virtus *naturalis,* aut *supernaturalis?*

Resp. 1. *Naturalis* virtus est qualitas stabilis *ex viribus naturæ humanæ propriis oriens,* atque disponens *innatas* animæ facultates ad suas operationes *connaturales* recte excercendas.

Unde virtus naturalis ea est, quæ, sive ex parte principii, sive ex parte subjecti, sive ex parte objecti, sive ex parte modi, nihil habet, quod sit supra vires naturæ humanæ proportionatas. Propterea hujusmodi virtus dicitur *humana,* in quantum ab homine procedit; *philosophica* autem, in quantum a ratione oritur; tandem *moralis,* quia habet pro objecto mores hominum.

2. *Supernaturales* virtutes sunt qualitates stabiles *a Deo*

inditæ supra vires naturæ, quibus animæ facultates informantur ad eliciendos actus ordinis supernaturalis, secundum suam speciem. Hæc definitio jam tradita est et evoluta in Tract. *de Gratia*, n. 315.

Unde virtutes supernaturales pro *principio* habent divinam *gratiam*, pro *regula lumen fidei*, et pro *fine bonum supernaturale*; sicque sub omni respectu discrepant a virtutibus naturalibus. Attamen homo, si gratia divina uti voluerit, evehere potest ad actum superantem quoscunque actus virtutum naturalium, ut dictum est in Tract. *de Gratia*.

4. — *Quæritur* 3° quid sint virtutes *intellectuales* et *appetitivæ?*

Resp. 1. Intellectuales virtutes eæ sunt, *quæ perficiunt intellectum, ut possit recte apprehendere verum*, et circa illud operari. Virtutes *appetitivæ* eæ sunt, quæ *perficiunt voluntatem, ut recte operetur*. Theologi sumpserunt hanc divisionem a veteribus Philosophis, præsertim ab Aristotele, quem secuti sunt Scholastici. S. Thomas restringit hanc duplicem virtutum speciem ad ordinem naturalem; 1. 2, q. 58, art. 3, et q, 92, art. 2.

At plurimi recentiores referunt hanc divisionem etiam ad ordinem supernaturalem, quum in utroque ordine dentur habitus, qui perficiunt vel intellectum, vel voluntatem. Agnoscunt tamen Theologi habitus, qui solum perficiunt intellectum, qualis est scientia, non esse proprie virtutes; sed imperfecte tantum et secundum quid, cum in communi loquendi modo illud solum dicatur virtus, quod est principium actus moraliter boni. Suarez, disp. 3, sect. 2, n. 5, *de Virtut.*

Res aliter se habebit, si habitus ita perficiat intellectum, ut simul inclinet ad honestam operationem; habitus ejusmodi erit stricte virtus. Talis est fides inter virtutes supernaturales; illius enim actus eliciuntur quidem ab intellectu, sed imperantur a voluntate pie affecta erga auctoritatem divinam. Et vero, nemo non videt nil honestius esse quam assentire rei revelatæ propter auctoritatem Dei loquentis. Talis est etiam inter virtutes naturales prudentia, quæ est

omnium virtutum moderatrix, ac perficit intellectum simul et voluntatem; ideoque recte numeratur tum inter intellectuales, tum inter morales. Vide Sylvium, q. 57, a. 5, in 1. 2, p. 259.

2. Virtutes intellectuales in duas species dividuntur; aliæ sunt *speculativæ*, aliæ *practicæ*. Tres numerantur habitus speculativi, *intellectus, scientia* et *sapientia*. Duo autem practici, qui referuntur ad opus particulare hic et nunc præstandum, nempe *ars* et *prudentia;* ars est, juxta Scholasticos, *recta ratio factibilium;* prudentia, *recta* ratio agibilium, De virtutibus autem appetivis agitur in subsequentibus quæstionibus.

5. — *Quæritur* 4° quid sint et an sint virtutes *theologicæ* et non theologicæ seu *morales?*

Resp. 1° *Theologicæ* virtutes eæ sunt, quæ *habent Deum supernaturaliter cognitum pro objecto materiali primario, et aliquod ejus attributum pro objecto formali seu motivo.*

Dicitur 1 : *quæ habent Deum supernaturaliter cognitum*, quia virtutes theologicæ nos ordinant ad Deum, quatenus est finis ultimus ordinis supernaturalis.

Dicitur 2 : *pro objecto materiali primario;* quia virtutes theologicæ nos præparant ad visionem beatificam, nos uniendo Deo, eo modo qui possibilis est in hac vita. Sic Fides Deum supernaturaliter cognoscit; Spes supernaturaliter Deum desiderat; Charitas supernaturaliter Deum apprehendit.

Singulæ tamen virtutes theologicæ habent objectum materiale *secundarium*, quod *reductive* tantum pertinet ad objectum primarium. Sic, per Fidem, non tantum Deus, sed adhuc multa creduntur, unde relucent perfectiones divinæ. Per Spem, concupiscimus Deum et *auxilia* gratiæ necessaria ad ejus possessionem assequendam. Per Charitatem, diligimus Deum, *nos* et *proximum* propter Deum. Patet hæc objecta secundaria reduci ad objectum primarium per unitatem motivi.

Dicitur 3 : *et aliquod ejus attributum pro motivo.* Patet hoc necessarium esse tum ex natura harum virtutum, tum

ex fine, qui est, ut nos conjungant Deo, eo modo qui possibilis est.

Quinimo probabilius est perfectiones divinas esse motivum plane adæquatum virtutum theologicarum, ita ut neque testimonium Dei sit motivum fidei, neque Dei promissio sit motivum spei; sed hæc se habeant per modum *nudæ conditionis sine qua non*. Vide Tract. *de Fide*, n. 84, 90; *de Decalog.*, n. 49.

Unde virtus theologica adhæret Deo super omnia, ita ut illa adhæsio sit *appretiative* summa; sic in fidei actu adhærendum est auctoritati divinæ præ omni alia, aut etiam præ quacunque reluctantia rationis. Revera motivum illarum virtutum, cum sit aliqua Dei infinita perfectio, superexcellit quodcunque motivum contrarium,

Jam vero *tres* sunt *virtutes theologicæ*, nec plures, nec pauciores, scilicet, *Fides*, *Spes* et *Charitas*, ut fusius dicetur in Decalogo. Revera tres illæ virtutes habent quidquid requiritur, ut sint theologicæ, nec plures concipi possunt. Siquidem Deus alio modo in præsenti vita a nobis attingi nequit per intellectum aut per voluntatem.

Virtus *Religionis*, quæ ad virtutes theologicas propius accedit, pro objecto materiali habet cultum Dei, non autem Deum ipsum; et, pro motivo, quod Deo ut primo principio et fini ultimo debetur, non vero aliquam Dei perfectionem.

2° *Morales* virtutes illæ sunt, quæ *pro objecto materiali* habent *aliquod bonum creatum*, et *pro objecto formali seu motivo, aliquid supernaturale*.

Ad quatuor præcipuas reduci possunt, quæ ideo vocantur *Cardinales*, nempe, Justitia, Fortitudo, Temperantia, Prudentia. Revera, ut honeste operemur, quatuor sunt necessaria : 1. ut voluntas rationalis disponatur ad quærendum bonum honestum, morale, congruum fini hominis, et ideo necessario conforme principiis juris naturalis, quæ ratio inculcat : hoc præstat *Justitia*, quæ disponit hominem ad reddendum unicuique jus suum. 2 Requiritur ut homo non avertatur a bono honesto et morali per difficultates : porro *Fortitudo* firmat ilum contra difficultates et pericula. 3. Requiritur ut regantur motus animi, qui nos impellunt

ad quærendum bonum delectabile; cujor amor nos conducit ad plura, quæ sunt bono honesto contraria : hos animi motus regit *Temperantia*. 4. Requiritur ut prædictorum virtutum actus semper fiant *debito modo* et *debitis* in circumstantiis : ad hoc inclinat *Prudentia*. Quomodo autem ad illas quatuor virtutes cæteræ omnes morales referantur, dicemus in Tractatibus *de Decalogo* et de *Virtutibus Cardinalibus*.

6. — *Quæritur* 5° quid sint virtutes *acquisitæ*, et *infusæ*?

Resp. — *Acquisitæ* virtutes eæ sunt, quæ *per actum ejusdem speciei repetitionem formantur*. Consentiunt omnes Theologi acquiri posse virtutes per actus repetitos. Et vero, virtus est habitus potentias animi disponens et juvans ad recte operandum : atqui experientia constat per actus repetitos virtutis acquiri facilitatem et habitum recte operandi; ergo, etc.

Sed hæ virtutes sunt valde imperfectæ, ut patebit ex mox dicendis circa virtutes infusas. Attamen non sunt contemnendæ, et multum inservire possunt, ut mox dicetur, ad ipsarum virtutum infusarum exercitium; ideo nec cum Baio omnino negandæ aut deprimendæ, nec cum Erasmo et aliis nimium extollendæ sunt.

Infusæ non acquiruntur per actus repetitos, sed a Deo supernaturaliter in anima producuntur seu infunduntur.

Jam probatum est in Tract. *de Gratia*, n. 317, 318, revera virtutes supernaturales sive theologicas, sive morales, a Deo in anima infundi; ibidem etiam aliquid dictum est de instanti, quo fit hujusmodi infusio supernaturalis.

Cæterum, virtutes infusæ, tantum præstant naturalibus, quantum ratio præstat instinctu : imo opera justi agentis ex lumine fidei ea, quæ sunt prudentiæ, temperantiæ... magis transcendunt conditionem humanam, quam opera hominis lumen rationis sequentis transcendunt opera beluæ : *Qui spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*, Rom. 8, v. 14. Justus enim insertus Christo vivere potest vita ejus : « *Misit Deus filium suum in mundum, ut vivamus per eum*, 1 Joan. 4, v. 9. Unde et Apostolus ; *Vivo, jam non ego, vivit*

vero in me Christus; Galat. 2, v. 20. Hinc Christianus, etsi non peccet in multis, sequendo lumen solius rationis, fit degener a sua dignitate. « Non nostram, non humanam, sed divinam, sed Christi vitam vivamus. »

Nota frequentem iterationem actuum virtutum moralium gignere habitus acquisitos, seu *facilitatem* similes actus exercendi, quæ facilitas totaliter non tollitur, etsi amittatur virtus infusa.

7. — Non dantur autem virtutes ab ipsa natura insitæ, ita ut omnes virtutes sint vel acquisitæ, vel per gratiam infusæ.

Equidem naturaliter omnibus hominibus insunt quædam inchoationes et semina virtutum, scilicet, inclinationes in bonum honestum; imo in quibusdam specialis inest propensio et naturalis dispositio ad hanc vel illam virtutem. Verum communiter admittunt Thelogi hujusmodi propensiones a natura insitas, non esse proprie dictas virtutes. Nomine enim *virtutis* proprie dictæ designatur *qualitas, quæ potentias animæ, quales a natura homini traduntur, perficiat et quæ ideo hominem bonum moraliter faciat.* Hinc laudari potest illud Senecæ, *Epist.* 90 : « Non dat *natura virtutem;* ars est bonum fieri : virtus non contingit animo nisi instituto et edocto, et ad summum *assidua exercitatione perducto.* Ad hoc quidem, sed sine hoc nascimur, et in optimis quoque antequam erudias, virtutis materia est, sed non virtus. »

8. — *Quæritur* 6° quid sit virtus *formata,* vel *informis?*

Resp. — *Formata* dicitur virtus, quando charitatem seu gratiam sanctificantem habet sibi conjunctam; *informis* vero quando eam non habet.

Charitas enim dicitur forma omnium virtutum, *non essentialis* quidem, cum, amissa charitate per aliquod peccatum mortale, non ideo omnes aliæ virtutes amittantur, ut videbimus; sed dicitur forma *accidentalis,* quatenus addit virtuti quamdam perfectionem accidentalem. Hæc autem in duobus consistit; 1. Charitas facit, ut homo *facilius et frequentius* exerceat actus aliarum virtutem, ratione gratia-

rum uberiorum, quas recipit, ex dictis. 2. Charitas efficit, ut actus aliarum virtutum sint *meritorii* vitæ æternæ de condigno. At virtus informis est virtus vera et proprie dicta; virtus enim, quando remanet, amissa charitate, est idem quoad substantiam habitus, ac antea; tantummodo caret perfectione accidentali.

Salmanticenses advertunt, Tract. 19, disp. 7, n. 42, Scholasticos, vocando charitatem *formam* virtutum, in uno verbo collegisse ejus proprietates, quas Scriptura sacra et SS. Patres multis in locis exprimunt. Vide etiam quomodo S. Fr. Salesius ostendit charitatem informare virtutes; *Traité de l'amour de Dieu*, lib. 11, c. 8.

9. — *Quæritur* 7° quid sint virtutes, *communes*, et *heroicæ?*

Resp. — *Communes* virtutes eæ sunt, quæ ab hominibus exercentur secundum illam rationem, quam *solent* servare plerique eorum, qui virtutem profitentur. *Heroica* virtus, e contra, ea est, quæ exercetur modo aliquo *eminenti*. Heroes enim apud veteres dicti sunt in primis, qui virtute militari aut animi fortitudine super alios homines claruerunt.

Patet ex ea definitione virtutem heroicam a communi non differre quantum ad essentiam, vel ad speciem, vel ad motivum formale, sed quantum ad circumstantiam accidentalem.

Quæ ad heroicam virtutem requiruntur, sic possunt exponi ex Bened. XIV, lib. 3, c. 21, n. 11 : Ad heroicitatem requiritur : 1. quædam operis *excellentia*, quæ ab ipso operis arduitate, ut plurimum, habet originem: quæ enim communia sunt et ordinaria, non excitant admirationem. Hæc excellentia et arduitas judicanda est, habita ratione circumstantiarum, ut si puer jejunet, quod legitur de S. Nicolao Myrensi : nam non erit tale, si quis factus vir jejunet; si rex aut princeps infirmis ministret in nosocomio, uti legimus factum a S. Ludovico; quod tantum non habebitur, si fiat a viro infimæ conditionis, etc.

2. *Pauci* actus heroici non sufficiunt, ut quis dicatur virtutem heroicam possidere; sed multi nisus requiruntur

per quos ea virtus conservatur, et omnis occasio, *quæ offertur* eam exercendi, avide arripiatur.

3. Virtutem excellentia per actus, licet multiplicatos, probata non est, si *prompte, facile,* et cum *delectatione* prædicti actus non fuerint eliciti. Heroicitas enim promptitudinem et delectationem quamdam cum suavitate generat in potentiis, quæ proprios actus producunt.

4. Ut virtus christiana sit heroica, requiritur ut eam habens operetur prompte et alacriter ex motivo supernaturali, sine humano ratiocinio, sed, e contra, cum abnegatione operantis, et affectuum subjectione.

Ubi agitur de servorum Dei canonizatione, non tantum quærit Ecclesia utrum servus Dei virtutes heroicas aliquando exercuerit, sed etiam utrum ab eis non defecerit, semper et ubique retinendo illam animi sublimitatem, quæ toto animi impetu tendit ad summam honestatem et imitationem Dei. Quantis difficultatibus in praxi implicita sint judicia super hujusmodi quæstionibus, nemo non videt. Consulatur Bened. XIV, *de Canon.*, lib. 3, c. 21.

Verum ad heroicitatem virtutis non pertinet, quod docte probat idem auctor, ut actus, qui exercentur, sint vel non sint de præcepto adimplendi, nec, a fortiori ut ad eosdem per vota non sit adstrictus operans, cum e contra probet experientia votum conferre ad facilius et delectabilius peragendum opera virtutum aliunde ardua.

10. — Ad eamdem partitionem, quæ virtutem considerat ratione sui exercitii, referri quoque possunt *status* diversi eorum, qui virtuti incumbunt. In statu *incipientium* sunt, qui justificationem obtinuerunt, sed passiones non habent ita moderatas, ut jam eas facile superare possint; unde continua pugna indigent ad conservandam et exercendam charitatem vel alias virtutes.

In statu *proficientium* sunt ii, qui passiones redactas habent ad aliquam moderationem, ita ut a peccatis mortalibus facile abstineant, difficile peccata venialia evitent, cum temporalia eos multum delectent, et mens variis phantasmatibus et cor multis desideriis agitetur.

In statu *perfectorum* sunt, qui animum habent a temporalibus omnibus ita abstractum, ut jam nec variis desideriis agitentur, nec passionibus, ut plurimum, moveantur, sed in Deum sint principaliter et fere semper intenti. De his statibus quibus respondent tres viæ, *purgativa, illuminativa* et *unitiva*, vide SUAREZ, *de Relig.*, t. 2, lib. 2, c. 11 : Bened. XIV, *de Canoniz.*, lib. 3, c. 26, n. 5; Institut. canoni., Tract. 6, n. 37.

ARTICULUS II

De incremento Virtutum.

11. — Duplici modo possunt augeri virtutes : *intensive*, quando in se reborantur, vel in anima magis ac magis radicantur; *extensive*, quando ex uno objecto ad alia extenduntur, quæ cum príori conveniunt sub ratione formali, v. g., temperantia, quæ potest varias facultates coercere. Porro

1° *Virtutes naturales et acquisitæ, cum sint imperfectæ, crescere possunt extensive*, id est, progredi ex aliquibus e suis objectis ad alia; *sed virtus infusa non ita.* Etenim necessario extenditur ad omnia sua objecta; debet ab ipso exordio esse completa, id est, charitas debet amare quidquid amandum est; fides credere quidquid credendum est, si non explicite, saltem implicite.

2° *Virtutes naturales et acquisitæ crescere possunt intensive, per frequentiam actuum et per majorem conatum;* habitus enim crescit eadem via, per quam nascitur. *Virtutes autem infusæ non possunt augeri nisi a Deo*, cum ab ipso solo producantur cum gratia sanctificante seu justitia inhærente, cujus sunt partes integrantes aut proprietates, ut alii dicunt; ergo, si gratia sanctificans suspiciat incrementum, simul augebuntur virtutes infusæ : atqui de fide est justitiam inhærentem seu gratiam habitualem augeri posse, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 545; ergo constat virtutes infusas suscipere incrementa, et quidem per eadem media per quæ gratia sanctificans augetur.

Quinimo, incrementum justitiæ inhærentis, id est, gratiæ sanctificantis videtur esse quid unum et idem cum virtutum infusarum incremento; ait enim Concilium Trid.

sess. 6, c. 10 : « Hoc veræ justitiæ incrementum petit Ecclesia cum orat : *Da nobis fidei, spei et charitatis augmentum.* »

Hinc 1. quoties augetur gratia sanctificans per susceptionem sacramenti, simul augentur omnes virtutes infusæ.

Hinc 2. quoties augetur gratia sanctificans per opus supernaturale, augentur etiam omnes virtutes infusæ, quidquid in contrarium dixerint aliqui Theologi. Vide Suarez, *de Gratia*, lib. 9, c. 4, et Ripalda.

Hinc 3. nunquam augetur aliqua virtus infusa, quin et aliæ simul augeantur. Uno verbo, virtutum supernaturalium actus non augent proprios habitus *causalitate efficienti*, sed *morali et meritoria*, qua augent gratiam sanctificantem, et per istam omnes alios habitus.

Hinc 4. quando legitur de Sancto, quod habuerit talem virtutem in eminentiori gradu, non est intelligendum habitum infusum hujus virtutis inter alios emicuisse, sed eum per gratias actuales excitatum et adjutum frequentius et excellentius operatum esse in materia hujus virtutis quam aliarum.

12. — *Quæritur* in quo præcise consistat illud augmentum virtutum infusarum?

Non consistit in eo quod augeatur facilitas actus eliciendi virtuti cuique proprios; nam non infunduntur ad dandam facilitatem, sed tantum ut anima fiat complete potens ad actus illos eliciendos.

Omnes augmentum habitus ponunt in *intensione majori;* at ea intensitas non explicatur eodem modo ab omnibus, Alii, qui sibi vindicant S. Thomam, eam reponunt, in eo quod virtus *magis radicetur in anima.* Virtutes enim, præsertim supernaturales, sunt in anima velut accidentia; accidens vero per hoc includitur aut perficitur, quod magis adhæreat suo subjecto. S. Th. 2. 2, q. 24, a. 5. Juxta alios, ea intensitas fit per *additionem*, ut aiunt *gradus ad gradum* Si enim augmentum fieret tantum per majorem radicationem, non esset plus, v. g., charitatis, sed charitas magis adhærens. Et vero, illud augmentum efficit ut virtus seu

potentia elicere queat actus, qui, remanentibus eodem subjecto et eodem motivo, hæc attingant vehementius, perfectius quam antea : atqui non concipitur quomodo augmentum virtutis id præstet, si in sola radicatione majori consistat.

Cæterum, non spectat ad doctrinam theologicam, ait Suarez, *de Gratia*, lib, 9, c. 2, n. 7, utrum hæc intensio sit per radicationem aut additionem, aut per utrumque simul.

Et mirum non est quod hæc sint obscura; cum nobis parum innotescat natura habituum etiam acquisitorum. quanto magis supernaturalium! Utrum et quomodo per actus virtutum supernaturalium remissos obtineatur augmentum gratiæ sanctificantis ac proinde incrementum virtutum, dicitur in Tract *de Gratia*, n. 341.

ARTICULUS III

De amissione et imminutione Virtutum.

§ I

De amissione Virtutum.

Duplici numero dicemus 1. de amissione virtutum infusarum, et 2. de amissione virtutum acquisitarum.

NUMERUS PRIMUS

De amissione Virtutum infusarum.

13. — Hic loco principii ponendum est justitiam inhærentem, seu gratiam sanctificantem amitti posse, ut statutum est in Tract. *de Gratia*, n. 325.

Unde 1. *charitas exstinguitur cum gratia sanctificante.* Vel enim sunt quid unum et idem, vel ita connexæ ut nunquam separentur; ac proinde æquali gradu certum est de utriusque existentia, ex ibidem dictis, n. 307.

2. *Recedente charitate, simul amittitur nobilissimus virtutum moralium infusarum comitatus.* Et vero, hæ virtutes sunt, ex dictis, partes integrantes vel proprietates gratiæ sanctificantis; ergo, sicut concomitanter cum illa infunduntur, ita cum illa recedente recedunt. In hoc consentiunt

fere omnes Theologi. Vide Tract. *de Gratia*, n. 317, 325.

3. *Virtutes, quæ remanent, recedente charitate, dicuntur mortuæ seu informes, quia a charitate non informantur, id est, non vivificantur, et per eam non moventur, nec in finem suum diriguntur*, n. 8.

14. — *Quæritur* 1° quænam virtutes infusæ remaneant *sine charitate?*

Resp. 1. Fides sæpe remanet in peccatore, ut definitum est a Conc. Trid. sess. 6, c. 28 : « Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia *simul et fidem semper amitti*, aut fidem quæ remanet, non esse *veram fidem*, licet non sit viva; aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse *christianum :* anathema sit. » Vide Tract. *de Fide*, n. 127.

2. *De spe remanente* post amissam charitatem per peccatum mortale, non invenitur expressa definitio, sive in Conc. Trid., sive antea, quia de hoc nullus fuerat error, cui oporteret obviare per expressam definitionem. Theologi uno ore docent eamdem rationem esse de spe ac de fide. Spes nec actu, nec habitu innititur amore charitatis. Actus enim spei prior est, *per se* actu dilectionis et charitatis, ex dictis in Tract. *de Gratia* n. 275, 284, 285; ac proinde remanebit, recedente charitate, si peccatum per quod amittitur charitas, non habeat specialem repugnantiam cum motivo spei.

15. — *Quæritur* 2° per *quænam peccata* fides et spes *amittantur?*

Resp. Per quodcunque peccatum grave contra eorum objectum formale seu motivum; nempe, fides amittitur per *infidelitatem positivam*, seu reluctantiam culpabilem revelationi sufficienter propositæ, etiamsi hæc reluctantia attingeret unicum articulum fidei : imo etiamsi attingeret revelationem privatam sufficienter cognitam. Hæc evolvuntur in Tract. *de Fide*, n. 127.

Spes certo amittitur per *desperationem;* de præsumptione non constat. Suarez et Billuart dicunt probabilius præsumptionem, nisi sit hæreticalis, non excludere spem. Aliud

enim est recedere totaliter a Deo ut est bonum nostrum; aliud tendere ad hoc bonum inordinato modo.

Dixi : nisi *hæreticalis;* quamvis enim amissio spei non inducat amissionem fidei, tamen, sublata fide, necessario amittitur spes : *Fides est sperandarum substantia rerum;* Hebr. 4 : id est, fundamentum, firmamentum. Nempe fides præbet omnibus virtutibus supernaturalibus sua objecta et sua motiva.

Paucissimi sunt, qui censerunt habitum fidei, idcoque spei, amitti posse per diuturnum non usum, Deo retrahente donum, quod inutile relinquitur. Hæc sententia, quamvis parum probabilis, videtur absolute posse conciliari cum doctrina Conc. Trid., sess. 6, c. 16, et can. 28, cui expresse non contradicit.

NUMERUS II

De amissione Virtutum acquisitarum.

16. — Quod spectat ad *habitus naturales* virtutum moralium *acquisitos* sub influxu habitus infusi, vel liberi arbitrii viribus, constat *eos ordinarie et per se non amitti per unum actum vitii oppositi :* et in hoc virtutes acquisitæ essentialiter differunt ab infusis.

Dixi : *ordinarie et per se*, quia, sicut per unum actum virtutis heroicum, habitus bonus inducitur, ita per unum peccatum quandoque destruitur habitus bonus et malus inducitur; quod accidit quando mens ad malum fertur magno impetu, vel quando peccatur in materia quam Theologi vocant adhæsivam, in qua facillimus est lapsus ad posteriora. Hæc evolvuntur in Tract. *de Pœnit.* ubi de consuetudinariis, n. 203.

Admittunt etiam communiter Theologi virtutes quoquomodo *acquisitas* posse delabi ab anima per *solam omissionem actuum.* Et in hoc rursus essentialiter differunt ab infusis. At id non explicant eodem modo. Verior videtur eorum sententia, qui dicunt habitum acquisitum suapte natura incipere defluere ab anima quoad aliquas sui partes, statim ut est productus, et ita languescendo, sensim tendere ad exstinctionem; beneficio autem actuum frequen-

tium effici ut amissiones succesive reparentur, ita ut videatur esse idem habitus, quia facilitas per novos actus addita reparat dispendia per defluxum illata. Experientia constare videtur omnes alios habitus naturales opificii, ludi, etc,, sic paulatim delabi per cessationem actuum, et per actus reparari; ergo idem dicendum est de habitibus virtutum acquisitis. Ita Th. Raynaud, *de Virt.*, op. tom. 4, lib. 1, n. 183, 4.

§ II

De imminutione Virtutum.

17. — Jam pluries diximus virtutes *infusas* esse vel proprietates, vel partes integrantes gratiæ sanctificantis seu charitatis; ergo tota quæstio devolvitur ad ipsam charitatem. Aliqui antiquiores Theologi censerunt illam posse imminui. Ita præsertim Dionysius Cartusianus in 1am sententiam, Dist. 17., q. 9. Et quidem favere videntur 1. aliqua Scripturæ loca. Matth. 24, v. 12 : *Refrigescet charitas multorum.* — Apoc. 2, v. 3 : *Sustinuisti propter nomen meum et non defecisti;* sed *habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti.* 2. Ratio. Charitas potest augeri; ergo et imminui, præsertim cum possit amitti, quod plus est quam remitti, seu imminui. Addi posset SS. Patres, exponendo quantum peccata venialia Deo displiceant, concupiscentiam et amorem creaturarum augeant, ideoque divini puritatem amoris impediant, nobis relinquere infe rendum ea imminuere intensionem habitus charitatis. At tamen contrarium sic asseritur :

18. — *Charitas ac proinde cæteræ virtutes infusæ, diminui non possunt* intrinsece *seu directe, sed tantum* extrinsece *seu indirecte.* Ita Suarez, *ibid.*, n. 7; Ripalda, *de Ente supern.*, disp. 130, n. 2. Alii contrariam sententiam censent omnino improbabilem, alii temerariam, alii periculosam in fide; quare e communi Theologorum sententia discedere fas non est.

Prob. 1a *Pars : Charitas non potest imminui intrinsece.* A multis afferuntur argumenta *a priori*, post S. Th. 2, 2,

q. 14, a. 10. Abstinemus ab his referentis, quia non omnibus videntur sufficientia ad convincendum improbabilitatis opinionem contrariam.

Probatur ergo a *posteriori*. Si charitas imminueretur, id fieri non posset nisi propter peccata venialia sive commissionis, sive omissionis, ut omnes agnoscunt et patet : actus enim bonus non potest charitatem minuere ; actus indifferens, si detur in individuo, sicut non juvaret ad augmentum gratiæ sanctificantis, ita non mereretur illius diminutionem, nec ad illam disponeret *per se;* actus autem peccaminosus lethaliter illam extingueret.

Atqui peccata venialia non minuunt charitatem. Si enim multiplicarentur venialia, posset gratia et charitas penitus auferri; gradus enim gratiæ et charitatis sunt finiti, ac proinde possunt exhauriri penitus; atqui illud falsum est, et contrarium Conc. Trid. sess. 6, c. 11, ubi declarat, post Conc. Africanum et Milevitanum, justos, quamvis in levia et quotidiana peccata cadant, non propterea desinere esse justos. Si hæc verba conferantur cum capite 15 ejusdem Sessionis, in quo dicitur : *quocunque mortali peccato justificationis gratiam amitti*, manifestum est Concilium Trid. innuere gratiam justificantem nunquam per peccata venialia tolli, et extingui. Vide latius Suarez, *de Gratia,* lib. 11, c. 3, n. 12, 14, 15; c. 8 et seq.

Prob. 2ª *Pars : Charitas potest imminui extrinsece seu indirecte.*

Affirmatur 1° a S. Thom. 2. 2, q. 24, a. 10 in fine responsionis, et communiter admittitur. Explicatur autem exemplo brachii robusti, quod ligatum et impeditum retardatur ab opere, licet nihil amiserit de sua virtute intrinseca.

2° *Colligitur ex dictis superius.* Habitus infusi dant *potentiam*, et proprio pondere, ait Suarez, inclinant ad suos actus, et non dant proprie *facilitatem*. Hoc simul admisso, facile intelligitur per peccata venialia habitum charitatis et aliarum virtutum impediri et retardari ab opere, et satis explicantur auctoritates Scripturæ sacræ et SS. Patrum supra allegatæ.

Nam 1. per peccata venialia, per cessationem ab operibus virtutum, et tepidam agendi rationem, augentur concupiscentiæ, generantur aut faventur pravæ inclinationes, unde difficiliores evadunt virtutum actus, ac voluntas minus minusque prompta efficitur ad agendum conformiter habitui, et tandem devenitur ad mortale.

2. Peccata venialia, præsertim ex tepore, deliberatione et affectu commissa, puniuntur justissime imminutione gratiarum actualium; merentur ut Deus retrahat auxilia specialia, idque unum sufficere posset ad probandum intentum.

Non abs re erit legere supra hanc totam quæstionem S. Franc. Salesium, *Traité de l'Amour de Dieu*, lib. 4, c. 2.

Hinc multi concludunt (ubi de reviviscentia meritorum), eum qui post lapsum resurgit, statim recipere habitus comites gratiæ sanctificantis in eo gradu ad quem pervenerat ante lapsum. Vide Tract. *de Pœnit.*, n. 128.

Quoad virtutes quoquomodo *acquisitas*, nemo non videt earum habitus revera imminui per noxas veniales : id patet ex dictis ubi de earum amissione.

ARTICULUS IV

De Vitiis in genere.

19. — Vitium sæpe accipitur lato sensu, pro *quolibet perfectionis defectu;* sicque in ipsis rebus inanimatis potest esse vitium, inquantum nempe ad certos usus sunt minus aptæ.

Vitium stricte et moraliter acceptum definiri potest : *habitus inclinans ad actus pravos*, seu, ut aiunt alii, ad *prosequendum bona, quæ sunt rectæ rationi contraria.*

Dicitur 1. *habitus*, seu dispositio permanens, non simplex actus transiens; sicque essentialiter vitium differt a peccato, quod definiri solet *factum vel dictum contra legem;* quo *facti* nomine etiam omissiones comprehenduntur.

Dicitur 2 : *inclinans ad actus pravos;* non in eo sensu, quod nobis inesse possit dispositio positiva, quæ inclinet ad *formalem inordinationem*, quæ est in actu pravo, et quæ nihil aliud est quam defectus rectitudinis ; sed in eo sensu

quod hæc dispositio nos inclinet ad prosequenda objecta, quæ in sua essentia aliquid boni habent, quanquam nunc, attentis circumstantiis, non possint recte a nobis expeti.

20. — Ex ea definitione intelligitur 1. *in quo vitium differat a concupiscentia*. Utroque homo sæpius inclinatur ad actus pravos : adest tamen inter utrumque magnum discrimen. Concupiscentia est illa inclinatio per quam appetitus sensitivus bonum sensibile prosequitur; ea proinde concupiscentia est omnino naturalis. Vitium vero ex actibus repetitis et voluntariis generatur; non est proprie loquendo a natura. Ubi ergo ad quosdam actus pravos quis ex complexione pronior est, id concupiscentiæ tribuendum est, non vitio.

Ex vitio aliquis merito reputatur malus seu inhonestus, quia ipsum libere admisit. Avaritia, vitium est, ait S. Augustinus, id est qualitas, secundum quam malus est animus, etiam quando audit, *non concupisces*, seque vituperat, et tamen avarus manet; sed per fidem renovatur, id est sanatur de die in diem, nec tamen nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. » *De Perfect. justitiæ*.

21. — Ex eadem definitione intelligitur 2. in *quo consistat contrarietas inter virtutem et vitium, et qua ratione unum excludat aliud*. Non versantur directe circa idem objectum *formale :* virtus versatur circa bonum *honestum;* vitium prosequitur bonum *sensibile;* sed tantum inducunt actus omnino contrarios. Hinc concipitur habitum virtutis posse. præsertim per infusionem, in eo existere, qui nondum expulit vitium oppositum. Plures quæstiones difficiles, quæ ad vitia spectant, consulto omittimus, qualis est ista, utrum habitus vitiosus idem intrinsece remanens, possit fieri rectus et laudabilis, si, mutatis circumstantiis, actus, ad quem homo inclinatur, fiat ex illicito honestus et laudabilis; et etiam illa, utrum et qualiter Deus concurrat ad formationem vitiorum in voluntate, etc.; vide Tract. *de Deo*, n. 107, 149. Quæ spectant ad sedem vitiorum facile intelligentur ex dicendis in Tract. *de Peccatis*.

22. — *Quæritur* qualiter distinguantur vitia?

Resp. Vitia distinguuntur vel ratione suæ *naturæ*, vel ratione *gradus*. Cum natura vitiorum sit oppositio cum ea rectitudine morali, quæ diversa officia hominum dirigit; et cum ex objecto formali horum officiorum distinguamus varias species virtutum : inde etiam distinguendæ sunt species vitiorum. Unde ad minus tot distinguuntur vitiorum species, quot virtutum, et sub enumeratione virtutum comprehenduntur vitia opposita.

Dixi : *ad minus*, quia ex dictis, omnis virtus stat *in medio*, et declinat a quolibet extremo, nempe ab *excessu* et a *defectu*. Vitium vero est utrinque : tunc adest vitium a *defectu*, quando ea omittuntur, quæ requirit perfectio hominis : tunc adest vitium ab *excessu*, quando, sub prætextu alicujus virtutis, et ex ejus imitatione, fiunt actus inordinati. Cæterum patet unum vitium sæpe plura vitia resecare, et vicissim unum vitium sæpe plurimas virtutes lædere. Item sicut in virtute sunt gradus, ita et in vitio.

FINIS TRACTATUS DE VIRTUTIBUS IN GENERE.

TRACTATUS

DE PECCATIS

OBJECTUM, UTILITAS, DIVISIO TRACTATUS

1. Actus humanus potest esse legi æternæ seu rectæ rationi conformis aut difformis, ex dictis in Tract. *de Act. hum.* Hic de actibus humanis rectæ rationi et legi æternæ contrariis, seu de peccatis in suis conditionibus, gravitate, causis et speciebus dicendum habemus.

Nec profecto parvi momenti est præsens Tractatus, cum Pastoribus unum sit munus, ab omni specie mala homines avertere, lepram a lepra discernere, peccata abluere, et spirituales morbos curare. Unum etiam cunctis Christianis est optandum, scilicet, potius mori, quam ullo peccato fœdari. Quare non parum interest ea, quæ hanc materiam spectant, apprime callere.

Duplex erit caput, 1° de peccatis in genere; 2° de peccatis in specie [1].

CAPUT PRIMUM

DE PECCATIS IN GENERE

In quatuor articulis dicemus de peccatorum, 1° notione; 2° gravitate; 3° distinctione; 4° causis, effectibus et remediis.

1. Circa Tractatum *de Peccatis* consuli possunt iidem Theologi jam recensiti, p. 2.

ARTICULUS PRIMUS

De Peccati notione.

2. — *Quæritur* quid sit *peccatum?*

Resp. Peccatum, quoad nomen, in Scriptura sumitur vel pro *hostia* in expiationem peccati offerenda, vel pro *causa* et *occasione* peccati, vel pro *pœna* peccati, vel pro quocunque *defectu morali*, vel pro actione rectæ rationi dissentanea.

Quoad rem, definitur : *Libera transgressio legis*, vel *libera actio aut omissio transgressiva legis.*

Dicitur 1 : *libera actio vel omissio*, et in hoc convenit peccatum cum omni actu libero.

Dicitur 2 : *transgressio* seu violatio aut infractio, quæ nihil aliud esse potest quam defectus conformitatis seu relationis debitæ inter actum liberum et legem, qua regulatur ille actus.

Dicitur 3 : *legis* seu præcepti Superioris. Lex illa est ipsamet lex æterna seu voluntas Dei, cui omnis creatura tanquam primo principio et ultimo fini subjicitur; et sine qua peccatum proprie dictum concipi nequit, cum omnes aliæ leges in lege æterna tanquam in necessario fundamento innexæ sint, atque dictamen rationis sit ipsa legis æternæ intimatio, ut dictum est in Tract. *de Act. hum.* n. 32, et *de Legib.* n. 5.

Revera ab Alex. VIII damnata est sequens propositio : « Peccatum *philosophicum* (contra rationem) quantumvis grave, in illo qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, *sed non offensa Dei*, neque peccatum mortale *dissolvens amicitiam Dei*, neque *pœna æterna dignum.* »

3. — Hinc 1°, ad peccatum formale, requiritur, ex parte intellectus, *advertentia* malitiæ, ex parte voluntatis, *consensus liber.*

Et quidem 1. *advertentia malitiæ*, id est, aliqua actualis et expressa cogitatio malitiæ, et prohibitionis actus, aut saltem aliqua dubitatio vel suspicio peccati, aut prævisio

distincta vel confusæ actus mali, in sua causa. Deficiente enim hujusmodi advertentia, jam malitia actus invincibiliter ignoratur, et ideo non cadit sub voluntate libera, ex dictis in Tract. *de Act. hum.* n. 18, 19, 32, 57. Inadvertentia autem aut inconsideratio voluntaria, non excusat a peccato, ex ibid. dictis, n. 18, 19; sic impii, qui plurima scelera committunt, licet actu non cogitent de offensa Dei, non ideo a culpa, et quidem gravi, sunt immunes.

2. *Consensus liber*, ita ut voluntas libere et sine necessitate feratur in objectum ab intellectu perceptum ut moraliter malum. Sine enim hujusmodi consensu nullus actus est moralis, nec ideo moraliter malus, ex dictis in Tract. *de Act. hum.*, n. 9, 32, 37, 39. Revera, ut hæretica damnata est sequens Jansenii propositio : « Ad merendum, vel *demerendum* in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine *libertas a necessitate*, sed sufficit libertas a coactione »

Unde imaginationes aut cogitationes quælibet non sunt formaliter malæ seu peccata, quantumcumque durent, quandiu voluntas eas non approbat, nec iis consentit, nec eas, per desidiam negligit; a fortiori quod fit renitente voluntate, non est peccatum.

Consensus ad peccandum sufficiens potest esse *directus* vel *indirectus*, ut jam explicatum manet in Tract. *de Act. hum.*, n. 37, 58, 65, 70, 74.

4. — Hinc 2° peccatum, in se et formaliter sumptum non est quid positivum, sed *voluntarius defectus conformitatis legi divinæ*.

Etenim actus peccaminosus duplici elemento quasi constituitur, scilicet, *positivo* seu liberi arbitrii exercitio, in quo reponitur actus humani substantia, et quasi *materiale* in peccato; *negativo* autem seu privatione debiti ordinis in illo liberi arbitrii exercitio, in qua consistit ratio peccati, seu quasi *formale* in peccato. « Manifestum est quod peccatum est *nihilum*, et homines, dum peccant, *fiunt nihilum;* S. August. *in Joan.*, Tract. 1. — « Malum non est existens, neque bonum, sed *quædam absentia boni*. Omnis actus in quantum habet aliquid de esse, in tantum habet de bonitate,

in quantum vero *deficit* ei de plenitudine essendi, quæ debetur actioni humanæ inesse, in tantum deficit a bonitate, et sic dicitur *mala*. » S. Th. 1 p., q. 48, a. 1; 1. 2, q. 18, a. 1. Vide Tract. *de Act. hum.*, n. 34.

Propterea Deus nullo modo ad peccatum concurrit, ut dictum est in Tract. *de Deo*, n. 107.

ARTICULUS II

De gravitate Peccatorum

Dicemus 1. de intrinseca distinctione inter peccatum mortale et peccatum veniale; 2. quandonam peccatum judicandum sit mortale, aut solum veniale.

§ I

De essentiali distinctione inter Peccatum mortale et Peccatum veniale.

5. — *Quæritur* quid sit peccatum mortale, quid peccatum veniale?

Resp. Peccatum mortale recte definitur ex S. Thoma, et Richardo a S. Victore : *peccatum ex parte objecti seu materiæ* et *ex parte modi quo committitur, habens totum omne quod requiritur, ut sit gravis offensa Dei, repugnans amicitiæ et charitati erga Deum.* Dicitur autem mortale, quia infligit mortem animæ, tollendo principium vitæ spiritualis, scilicet, gratiam habitualem, et inducendo reatum secundæ mortis, id est, damnationis æternæ.

Veniale peccatum illud est *quod ex parte objecti seu materiæ, vel ex parte modi quo committitur, est tantum levis offensa, nec dissolvit amicitiam cum Deo.* Dicitur autem veniale, quia, salvo principio vitæ spiritualis, nempe gratia sanctificante, languorem et infirmitatem facile curabilem infert animæ, et solum pœnæ temporalis reatum per se inducit.

6. — Peccatum mortale aut veniale aliud est tale *ex genere suo*, id est, ex natura sua præcise, et spectato objecto sine circumstantis : sic homicidium est peccatum mortale

ex genere suo; mendacium vero jocosum est solummodo veniale ex genere suo.

Aliud autem est mortale aut veniale solummodo *per accidens* : nempe ex accidentali aliqua circumstantia : sic voluntarie delectari cogitatione rei turpis est peccatum mortale; tamen per accidens, ob imperfectam deliberationem, poterit esse solum veniale. Contra vero mendacium jocosum, quamvis ex se sit peccatum veniale tantum, tamen per accidens, propter aliquod grave scandalum, poterit fieri peccatum mortale; v. g., si quis mendacium proferat ad aliquem inducendum ad peccatum mortale.

Lutherani ac Calvinistæ contendunt omnia peccata ex natura sua esse mortalia ac damnationem mereri; sed in prædestinatis gravissima quæque dici venialia, quia ipsis non imputantur; in reprobis vero minima peccata esse mortalia. Vide Tract. *de Gratia*, n. 132, 133.

Ab hoc errore non satis recessisse videtur Gerson, 3 p. Tract. *de Vita spirit.*, ubi ait peccatum mortale et veniale non distingui *intrinsece*, sed soli misericordiæ Dei tribuendum esse quod venialia non ita severe puniantur. In eodem errore versatus est Baius.

PROPOSITIO

7. — *Dantur peccata mortalia ex natura sua, dantur et venialia.* Certum est.

Prob. 1ª *pars.* Peccatum mortale est illud, quod infert animæ mortem, quodque hominum pœnæ æternæ reum facit : atqui dantur, ex Scripturis, ejusmodi peccata. Nam, I Cor. 6, v. 10, dicitur : *Neque fornicarii, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Rom. 1, v. 32 : *Qui talia agunt, digni sunt morte.* Idem habetur Gal. 5, v. 19-22, et in aliis Scripturarum locis innumeris.

Prob. 2ª *pars*, nempe, dari peccata venialia ex natura sua. Nam peccata venialia sunt ea, quæ nec hominem privant justitia, nec cum pœnæ æternæ obnoxium faciunt, sed temporali : atqui dari peccata ejusmodi constat, 1. ex Scripturis. *In multis offendimus omnes;* Jacob. 3, v. 2 :

non peccamus enim omnes mortaliter, cum multi justi sint ante Deum.

2. *Traditione.* S. August. *Enchirid.* c. 21, loquens de mendacio pro salute alterius facto, ait : « Peccatum ergo est mendacium, sed veniale. » Eamdem peccati divisionem in mortale et veniale admittunt Hieronymus in 2 Jeremiæ; Ambrosius, lib. 2 *de Pœnit.*, c. 10; Leo, etc.

Eamdem veritatem definivit Conc. Trid. sess. 6, c. 4, can. 7, 23, 25, et sess. 14, c. 5.

Pius V, Gregor. XIII, et Urbanus VIII damnarunt hanc Baii propositionem 20 : « Nullum est peccatum *natura sua veniale,* sed omne peccatum meretur pœnam æternam. »

Inter amicos sunt offensæ leves, quæ non dissolvunt amicitiam; similiter erga Deum.

8. — *Nota.* Quæ vulgo objiciuntur sive ex Scripturis, sive ex SS. Patribus, sive ex ratione, non difficile solventur ab eo, qui attenderit 1. quæcunque peccata etiam venialia, sub aliquo respectu maxima dici debere tum in se, tum relative ad alia diversi generis mala; et 2. merito Patres hanc omnis peccati gravitatem intrinsecam fortiter inculcasse, ut ab omni specie mala fideles averterent. Si vero quandoque paulo acrius vel exaggeranter loqui videntur, satis ex contextu patet eorum doctrina circa distinctionem et inæqualitem peccatorum in sensu propositionis statutæ.

9. — *Quæritur* in quo differant peccatum veniale et mortale?

Resp. 1. Illa non differunt in eo quod peccatum mortale sit contra præceptum, veniale autem contra consilium, ut vult Scotus; siquidem actus, qui tantum opponitur consilio, ne veniale quidem peccatum est; *ubi enim non est lex, nec prævaricatio;* Rom. 4. v. 15.

2. Nec etiam differunt eo quod peccatum mortale sit *contra legem,* veniale vero *præter legem* duntaxat, ut vult S. Thom., quia peccatum quodlibet, etiam levissimum, est contra legem, cum sit transgressio legis.

3. Peccatum mortale et veniale differunt quidem, eo

quod mortale peccatum *pœna æterna dignum sit,* veniale vero *temporali* tantum; vel eo quod prius animæ *mortem* inferat, posterius sit tantum animæ *languor* et morbus; sed hæc potius sunt effectus peccati mortalis et venialis, quam eorum differentiæ essentiales et constitutivæ.

4. Tandem differentia formalis et primaria inter peccatum mortale et veniale, in eo posita pluribus videtur, quod prius saltem virtualiter avertat a Deo ut fine ultimo, et constituat finem ultimum in creatura; posterius vero non avertat simpliciter a Deo, neque finem ultimum in creatura constituat, licet inordinationem faciat circa *quædam media;* homo enim, qui peccatum veniale committit, paratus est illa quæ inordinate diligit, et in quibus venialiter peccat, potius dimittere, quam a Deo separari.

Probatur hæc sententia, loquendi more Scripturæ, quæ peccatum grave *aversionem* a Deo vocat, et peccatorem apostatam, et idololatram, *cujus Deus venter est :* dum dicit de peccante venialiter : *qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.*

Attamen fatendum est non adeo clare ex dictis colligi in quo *essentialiter* peccatum mortale a veniale differat, sive ratione dispositionis peccatoris, sive ratione objecti.

§ II

Quandonam Peccatum judicandum sit mortale, aut solum veniale.

Dicemus, quandonam peccatum sit mortale ex genere suo, aut veniale per accidens, et vice versa.

NUMERUS PRIMUS

Quandonam Peccatum sit mortale ex genere suo, aut veniale per accidens.

10. — Quæstionis solutio non est adeo obvia, propter imperfectam cognitionem relationis inter peccatum et ordinem universum, et etiam propter voluntatis corruptionem, ex qua fit ut homo sæpe parvi perpendat deordinationes maxime noxias, et ex carnalis libertatis amore facile sibi hallucinetur. « Quæ sint ipsa peccata, quæ impediunt

perventionem ad regnum Dei... invenire difficillimum, periculosissimum definire; ego certe usque ad hoc tempus ad eorum indagationem pervenire non potui, et fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat. » S. August., *de Civit.*, lib. 21, c. 27.

Verumtamen ea de re quædam statui possunt regulæ, quæ sanioribus Theologis probatæ sint, mediumque teneant inter perniciosam laxitatem et rigorem non minus periculosum.



PROPOSITIO PRIMA

11. — *Toties peccatum judicari debet mortale ex genere suo, quoties gravem deformitatem habere dignoscitur, vel ex Scriptura sacra, vel ex consensu Ecclesiæ, vel ex communi Doctorum sententia, vel ex Ratione.*

1° Quidem ex Scriptura judicamus aliquod peccatum esse mortale ex genere suo, quando dicitur *dignum morte*, aut *excludere a regno cœlorum*, aut esse *exsecrandum* vel *abominabile*, etc. Hæ et similes expressiones significant deformitatem valde gravem, et proinde mortalem: sic, v. g., Galat. 5, v. 19-21, enumerantur ab Apostolo opera carnis: scilicet fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia; de quibus pronuntiat S. Paulus, *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*.

2° Judicamus aliquod peccatum mortale esse ex genere suo, quando Ecclesia in *Decretis* Conciliorum aut Sum. Pontificum id tale declaravit; vel quando est *communis* SS. PP. sensus; vel fideles communiter ita sentiunt; sic, v. g., simonia et confidentia circa Beneficia ecclesiastica sæpius judicatæ sunt ab Ecclesia ut gravissima peccata; sic etiam, ex communi persuasione et consensu omnium fidelium, grave peccatum judicantur omissio Missæ die festo, et generaliter, transgressio alicujus ex communibus Ecclesiæ præceptis.

3° Optima via ad discernendum an aliquod peccatum sit mortale ex genere suo, est *communis Theologorum consensus*

a quo recedere plane esset temerarium : sic v. g., administratio Sacramenti facta a Ministro ad id specialiter consecrato, in statu peccati mortalis, sine dubio judicare debet peccatum mortale; ita enim sentiunt omnes Doctores.

4° Judicari potest aliquod peccatum esse mortale, quando per *rationem* dignoscitur habere gravem deformitatem. Ad cognoscendum autem utrum peccatum habeat gravem deformitatem, examinandum est an *gravem* injuriam faciat vel Deo, vel proximo, vel ipsi peccatori. Ad gravitatem autem injuriæ pensandam, examinandum est si *directe* impugnet vel divinas perfectiones, sicuti peccata contra fidem, spem, charitatem, quæ dicuntur mortalia ex *toto genere suo*, quia parvitatem materiæ non admittunt, nec venialia fieri possunt nisi ex defectu plenæ advertentiæ; vel si *de se*, aut *attento eorum gradu*, ita privati hominis, vel societatis, vel agentis bono obstant, ut finem intentum a Creatore omnino impedirent, *si passim usurparentur*.

Tunc enim *ex se*, propter rerum essentiam, vel propter naturam hominis, vel propter statutum hodie societatis humanæ ordinem necesse est ut graviter prohibeantur : unde intelligitur cur supra dictum sit peccatum mortale esse contra finem ultimum, et *ex se* destructivum Dei, hominis et societatis, ac proinde summum malum; siquidem destruit vel destruere conatur omnis boni principium, vel conditionem, Dei scilicet perfectiones, vel ordinem mundi.

Regula autem discernendi peccata, quæ dicitur ex Scriptura sacra, ex Concil. et Sum. Pontificum Decretis, multo tutior est, quam regula ducta ex ratione. Nam, ut ait S. Augustinus, *Enchirid.* c. 78, « quæ sint autem levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio. » Et infra, c. 79 : « Sunt autem quædam quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo, Fatue, reum gehennæ putaret, nisi Veritas diceret? » Itaque ex S. Aug., judicare non debemus levitatem vel gravitatem peccatorum ex solis ratiocinationibus nostris, neque sensui nostro nimium hac in re fidere; nam is facile hallucinatur,

et in materia morali nihil frequentius quam in utramque partem aliquid apparenter dicere.

Unde patet 1. casus difficiliores non leviter sed sedulo esse examinandos, antequam definiantur sive a Doctore, sive a Confessario, sive a fideli qui conscientiam sibi prudenter efformare voluerit.

2. Semper in hac materia primum ad Scripturam recurrendum esse; ubi vero nihil certi in Scriptura habetur, sensum Ecclesiæ et majorum nostrorum consulendum, et præferendum omni argutiæ et ratiocinationi privatæ, quæ ultimas partes habet.

3. Parce et caute pronuntiandum esse sive in schola, sive in catechesi, sive in tribunali, quasdam actiones esse graviter prohibitas, nisi de ea prohibitione sufficienter constet : interea peccati in genere horror incutiatur.

PROPOSITIO II

12. — *Peccatum mortale ex genere suo potest fieri veniale per accidens, defectu plenæ advertentiæ.*

Etenim, ut jam diximus, ad peccatum mortale requiritur plena advertentia; sed aliquando potest deesse illa plena advertentia in peccato mortali ex genere suo, ut patet in semidormientibus; ergo tunc illud peccatum potest fieri veniale per accidens, defectu plenæ advertentiæ.

Dixi : *defectu plenæ advertentiæ;* a Theologis enim distinguitur duplex deliberatio seu advertentia ad malitiam peccati, scilicet imperfecta et perfecta. *Imperfecta* seu *semiplena est advertentia,* cum quis velut in *confuso* malitiam peccati vel periculum peccandi advertit, v. g., quando semiebrii aut semidormientes aliquid advertunt. *Perfecta est autem advertentia,* cum quis malitiam peccati vel periculum peccandi *distincte* cognoscit; v. g., quando quis advertit actum suum esse contrarium legi divinæ, vel saltem de eo dubitat, aut *culpabiliter* advertere negligit, puta quia laborat ignorantia facile vincibili, tunc dicitur habere plenam advertentiam et sufficientem ad peccatum mortale. Quando vero est imperfecta advertentia, tunc est tantum peccatum veniale. Vide Tract. *de Act. hum.*, n. 17, 18.

13. — *Signa* autem *imperfectæ advertentiæ* sunt : 1. *defectus ætatis*, quando, scilicet, peccans nondum attigit septennium, et dubitat utrum peccaverit mortaliter, tunc præsumi potest non habuisse plenum usum rationis; 2. *vehemens passio*, aut ad *aliud objectum attentio*, quia hæc omnem advertentiam impedire possunt, et ordinarie illam minuunt; 3. quando *quis dubitat* an, peccatum perpetrando, fuerit perfecte excitatus a somno, vel non; an esset mentis compos, an in ebrietate, aut phrenesi, etc. : quæ enim fiunt cum plena advertentia, facillime cognoscuntur sic esse facta, nisi forte mora temporis oblivionem induxerit.

Quidam Doctores loquuntur de quadam advertentia *perfectissima*, qua non tantum res, sed etiam ipsius *sequelæ, motiva*, et *media clarissime cognoscuntur, ac diu perpenduntur*. Hæc autem advertentia non est necessaria ad peccandum mortaliter; sufficit enim advertentia perfecta de qua locuti sumus, sive actualis, sive virtualis; et revera, si talis advertentia perfectissima requireretur, vix homines, præsertim rudes, peccarent mortaliter. Verumtamen *certum est eo gravius esse peccatum, quo perfectior est advertentia.*

PROPOSITIO III

14. — *Peccatum mortale ex genere suo potest fieri veniale per accidens, defectu consensus plene liberi.*

Namque, ut jam diximus, ad peccatum mortale requiritur consensus plene liber : atqui sæpe contingit non esse consensum plene liberum, ut interdum accidit in tentationibus, quas experiuntur viri timorati; ergo tunc peccatum illud erit veniale per accidens, defectu consensus plene liberi.

Dixi : *defectu consensus plene liberi*, quia consensus liber duplex distinguitur a Theologis, scilicet *plenus* et *semiplenus*. Consensus censetur plenus, quando sequitur plenam rationis advertentiam. Semiplenus vero seu imperfectus censentur, quando sequitur semiplenam et imperfectam rationis advertentiam, et talis consensus dicitur semiplene

deliberatus, seu motus *secundo-primus;* motus vero *primo-primus* ille est, qui omnino est indeliberatus et sine ulla advertentia. Vide Tract. *de Act. hum.*, n. 2.

15. — *Signa* imperfecti et *semipleni consensus* sunt, 1. *conscientia timorata* abhorrens a peccato mortali, vel animus firmus ac sæpe repetitus nunquam peccandi mortaliter; si enim quis talem habeat animum vel conscientiam, et *dubitet* an plene consenserit, præsumendum est eum non consensisse nisi ad summum imperfecte, quia, scilicet, præsumptio sumitur ex communiter contingentibus, et quia, si plene consensisset, facile id cognosceret : at vero non ita sentiendum est de homine, qui facile committit peccata mortalia; hic enim, quando dubitat, sæpius præsumere potest se plene consensisse.

2. *Facilitas*, quam quis habuit exsequendi exterius peccatum, quod tamen non admisit, indicium est eum non consensisse tentationi; et similiter, si statim postea facile potuit peccatum admittere, illudque pro viribus respuit, præsumere potest se antea peccato non consensisse, quia non ita facile affectus mutatur, quin saltem id advertatur. Examinandum tamen est an præ pudore, aut timore humano vel alia simili ratione, ab actu externo se abstinuit; in hoc enim casu aliter est ratiocinandum.

3. Denique *signa imperfectæ deliberationis* sunt etiam signa semipleni consensus.

PROPOSITIO IV

16. — *Peccatum mortale ex genere suo potest fieri veniale per accidens, ratione parvitatis materiæ.*

Etenim ad peccatum mortale requiritur gravis deformitas ex parte materiæ, id est objecti, circa quod versatur peccatum : atqui potest aliquando ita imminui materia peccati, ut levem tantum deformitatem habeat seu minorem ordinis perturbationem inducat; ergo, etc. Porro tunc adest materiæ parvitas, quando in materia seu effectu peccati *non invenitur ratio gravis deformitatis, nempe vel gravis irreverentiæ contra Deum, vel gravis injuriæ contra proximum,*

vel gravis sui ipsius læsionis aut corruptionis. Ad majorem rei elucidationem,

17. — *Quæritur* quomodo discernendum sit utrum aliquod peccatum sit grave, vel leve, *ratione materiæ?*

Resp. 1. Attendendum est utrum illud peccatum sit ex eorum numero *quæ nunquam fieri possunt venialia ratione parvitatis materiæ;* quia, etiamsi in illis materia videatur parva, tamen revera gravis est, cum in ea inveniatur ratio gravis irreverentiæ contra Deum, vel gravis injuriæ contra proximum, vel gravis incommodi contra seipsum.

Sic, quoad peccata contra Deum, in *odio Dei*, in *blasphemia*, in *perjuriis*, in *contemptu directo et immediato Dei*, in *infidelitate*, in peccatis contra *spem theologicam*, in *magia* et *superstitione juncta cum pacto expresso cum dæmone*, in *simonia*, in *fractione sigilli confessionis :* in illis omnibus materia est semper gravis, cum semper reperiatur in eis gravis injuria contra Deum vel res sacras. Sic, quoad peccata contra proximum, in *homicidio injusto* nunquam reperitur materiæ parvitas, quia est gravis injuria contra proximum. Sic, quoad peccata contra nos ipsos, in luxuria interna vel externa non est materiæ parvitas, quia in illis peccatis semper est gravis læsio et corruptio sui ipsius.

2. Quoad alia peccata, *quæ fieri possunt venialia* ex parvitate materiæ, tunc, ut rectum ac prudens feratur judicium de materiæ gravitate aut levitate, *materia consideranda est non tantum absolute in seipsa, sed etiam cum omnibus circumstantiis, maxime cum relatione ad finem præcepti, contra quod peccatur.* Fieri enim potest ut, quamvis materia absolute in se sit parva et levis momenti, tamen in ordine ad finem præcepti censeatur multum gravis. Ideo in dijudicanda materiæ gravitate duo imprimis attendenda sunt, scilicet, *an finis præcepti contra quod peccatur, sit gravis momenti; utrum talis materia ad illum finem notabiliter et multum faciat;* tunc enim erit materia magni momenti.

Sic igitur 1. Adamus peccavit mortaliter comedendo fructum vetitum, quia etiamsi res in se videatur levissima, tamen, si inspiciamus finem propter quem Deus illud, sub

tam rigorosa comminatione mortis, Adamo prohibuerat, nempe ut esset signum humanæ subjectionis erga Deum, res videbitur gravissima et magni momenti materia; contra vero, quia comestio unius frustuli parum nocet fini præcepti ecclesiastici de jejunio, ideo censeretur respectu illius præcepti materia levis, ac proinde qui frustulum cibi in die jejunii comederet sine ulla causa, peccaret solum venialiter.

Sic 2. in præcepto non furandi, finis intentus est ut non noceatur proximo in suis bonis; quia vero huic fini notabiliter repugnat furtum unius aurei, parum autem furtum unius denarii, nisi homo esset valde pauper, ideo materia furti unius aurei dicitur gravis, materia vero furti unius denarii dicitur levis.

Sic 3. in voto largiendi eleemosynam mille aureorum, quia finis intentus est sublevatio pauperum, et illi fini notabiliter noceret, qui omitteret dare quinquaginta aureos, propterea omissio illa censeri debet omissio gravis materiæ, quamvis 50 respectu 1000 sint materia parva. Sic e contrario in voto recitandi Rosarii, v. g., quia omissio quartæ vel tertiæ partis parum nocet fini intento, ideo non censetur materia gravis, quamvis quarta vel tertia pars respectu totius sit notabilis.

NUMERUS II

Quandonam Peccatum sit veniale ex genere suo, aut mortale per accidens.

PROPOSITIO PRIMA

18. — *Toties peccatum judicandum est solum veniale ex genere suo, quoties neque ex Scriptura, neque ex Ecclesiæ sensu, neque ex unanimi Theologorum sententia, neque ex ratione judicari potest habere gravem deformitatem seu gravem repugnantiam cum lege Dei et recta ratione.* Patet ex dictis, n. 11.

PROPOSITIO II

19. — *Peccatum veniale ex genere suo potest fieri mortale per accidens, ratione dispositionis actualis, ratione finis, ra-*

tione scandali, ratione periculi, ratione contemptus, denique ratione multiplicationis materiæ.

Et quidem 1° *ratione periculi, ratione contemptus, denique mortaliter*; quod duobus modis contingere potest : vel 1. quando quis ita actualiter affectus est ad peccatum veniale, ut, etiamsi sciret peccatum esse mortale, tamen *actualiter* paratus sit cum jactura amicitiæ divinæ illud committere, et propter illud gravia præcepta transgredi : vel 2. quando quis ex conscientia erronea judicat peccatum quod committit, v. g., mendacium, esse mortale; eo enim ipso quod mentitur, manifeste indicat se habere affectum ad peccatum mortale; ergo peccat mortaliter.

Dixi : *ratione dispositionis actualis*, quia si quis solum habitualiter dispositus sit, sine expressa illa actuali aut virtuali voluntate peccandi mortaliter, talis habitus non auget gravitatem peccati.

2° Ratione *finis mortaliter* mali, quem actualiter intendit peccans, v. g.; si quis mentiatur, ut aliquem ad peccandum mortaliter inducat.

3° Ratione *gravis scandali;* tunc enim peccatum, quod ex se solum esset leve, fit mortale, nempe quando aliquid fit unde alii inducantur ad peccandum mortaliter; hoc enim mortale est, ut patet, v. g., si quis jocose mentiatur, prævidens alium inde ad graviora commovendum vel blasphematurum; aut si Sacerdos verba jocosa proferat, prævidens inde alios excitandos ad proferenda verba inhonesta.

4° *Ratione periculi*, id est, si peccans advertat proximum esse periculum peccandi mortaliter : v. g., si quis otiose colloquatur cum femina, expertus ex ejusmodi colloquiis sæpius se lapsum esse in peccatum mortale, sine dubio peccabit mortaliter, quia qui sponte tam proximum subit periculum, hoc ipso convincitur velle, ac proinde committere peccatum mortale, cui se exponit, juxta illud Scripturæ : *Qui amat periculum, peribit in illo.*

5° Ratione *contemptus formalis et expressi*, sive *rei præceptæ*, v. g., si quis formaliter contemneret peccata venialia in genere : nam talis error esset gravis; sive *personæ* præcipientis; nam præcipiens vel est Deus, vel homo : si Deus,

talis contemptus est blasphemia seu sacrilegium; si sit homo, et contemnatur *ut superior*, tunc contemptus Superioris redundat in ipsum Deum, juxta illud Scripturæ : *Qui vos spernit, me spernit.*

6° Denique ratione *multiplicationis materiæ*. Quamvis enim certum sit peccata venialia, quantumvis multiplicata, non posse constituere unum peccatum mortale; attamen multiplicatio materiæ efficere potest ut materia, quæ ex se levis esset, fiat gravis propter unionem cum aliis materiis : sive unio fiat ex *prævia intentione* agentis, qui per minuta intendit gravia paulatim obtinere, sive fiat *ex se* et absque illa intentione præcedenti. Istud autem contingit non solum in materia furti, sed etiam in multis aliis : sic, v. g., qui plures psalmos repetitis vicibus omittit in eodem Officio unius diei; item, qui eodem die festo sæpius parum comedit; item, qui eodem die festo sæpius laborat; hi omnes possunt peccare mortaliter ratione multiplicationis materiæ.

20. — Parvæ autem materiæ inter se uniuntur ad constituendum *unum numero peccatum, quando habent ordinem ad unam numero obligationem*, ut patet in exemplis allatis. Ratio evidens est, quia si illæ parvæ materiæ respiciant diversas obligationes, procul dubio erunt materiæ diversorum numero peccatorum levium; unde, qui singulis diebus festis modicum laborat, vel singulis diebus jejunii modicum quid comedit, peccat tantum venialiter, quia materiæ illæ non continuantur in ordine ad unam numero obligationem; quippe obligatio cujuscunque diei exstinguitur cum fine ejusdem diei. Cæterum vide quæ dicenda sunt in Tractatu *de Justitia* circa hujusmodi multiplicationem materiæ, n. 170.

21. — *Quæritur* 1° *quale* malum sit peccatum *mortale? Resp.* 1. Ex parte hominis, mortale peccatum est summum malum, cum illum privet vita animæ. Dei amicitia, eumque faciat æterna reprobatione dignum.

Attamen, sub hoc respectu, illud peccatum non est in se seu *intrinsece* infinitum malum, siquidem bonum quo privat

est finitum non in se, sed prout participatur ab homine.

Bonum autem quo privat peccatum mortale est in se infinitum, cum sit ipse Deus; et ideo objective seu extrinsece, peccatum mortale dici potest malum hominis infinitum.

2. Ex parte Dei, peccatum mortale habet quamdam malitiæ infinitatem.

Etenim *injuria* est in persona *injuriata;* ita ut, quo dignior est persona læsa, comparata ad personam offendentem, eo gravior sit injuria.

Revera 1. talis mensura injuriæ sumitur ex communi judicio prudentum, quod in re morali plurimum valet. Sic, juxta omnes, servus, qui simili actu percutit regem, et alium servum, gravius peccat percutiendo regem, quam servum. 2. Quo persona dignior est, eo major reverentia ei debetur ab inferiori; ac proinde eo gravior est injuria ei allata. 3. Per offensionem quodammodo despicitur, et quantum est in offendente, destruitur dignitas personæ offensæ. Ergo ex dignitate personæ offensæ crescit injuria.

Porro dignitas Dei est infinita; ergo injuria Deo per peccatum illata, quamdam infinitatem habet.

Quæ vero infinitudo non est intrinseca et simpliciter, sed *extrinseca* et *secundum quid*. Scilicet, infinitas peccati provenit ex infinitate personæ læsæ; atqui hæc persona est actui peccaminoso prorsus extrinseca; ergo peccatum non est malum infinitum nisi extrinsece et sub aliquo respectu tantum; sub aliis autem respectibus, seu ex parte ipsius actus personæ offendentis, aliarumque circumstantiarum, quæ ipsum peccatum intrinsece afficiunt, peccatum ut malum Dei est finitum; et ideo ex hac parte esse possunt mortalia peccata alia aliis majora.

Et vero, supplicia mortalibus peccatis debita, sunt omnino æqualia quoad æternam durationem, qua parte infinitatem quamdam habent; sunt autem inæqualia quoad gradum seu intensitatem.

Cæterum, licet injuria per peccatum Deo illata non haberet quamdam infinitatem, tamen esset superioris et absolute supernaturalis ordinis, sicut et ipsa dignitas Dei offensi, ac proinde, quocunque modo spectetur peccatum

mortale, est malum inter cætera maximum, seu malum simpliciter; cum cætera mala, si bene ordinentur, fieri possunt bona. Vide Tract. *de Incarn.*, n. 184 et seq.

22. — *Quæritur* 2° quale malum sit peccatum *veniale? Resp.* Malum illud quantum sit, vix credi aut explicari valet; quia, imprimis, minimum malum culpæ superat omne malum pœnæ, etiam alterius vitæ; ita ut quælibet culpa levis, utpote injuria facta Deo, detestabilior est omni pœnæ inferni. Unde optime dicit S. Theresia, c. 4 *Vitæ*, n. 3, « se nescire quomodo possit esse levis talis audacia contra Deum, dum fit *ex professo.* » Est enim dicere : Scio hos displicere Deo, *patri meo*, qui *possedit me*, et *fecit* et *creavit me;* qui *dilexit me, et tradidit semetipsum pro me;* sed malo placere mihi, etiam turpiter.

Quantum autem id Deo displiceat, patet ex gravissimis pœnis, quibus venialia peccata punivit, quæque in Scriptupis et annalibus Ecclesiasticis innumeræ narrantur; patet etiam ex gravissimis tormentis, quibus animas sibi dilectas cruciat Deus, illas propter venialia, per triginta, quadraginta, centum et amplius annos in purgatorio detinens. Mirandum sane quod a Christianis et religiosis viris tam facile committantur, quæ tam graviter puniri merentur; omitto bona quibus privant animam, et peccati majoris, quæ secum trahunt pericula.

ARTICULUS III

De distinctione Peccatorum.

Dicemus de distinctione 1° specifica, 2° numerica peccatorum.

§ I

De distinctione specifica Peccatorum.

23. — *Quæritur* quandonam peccata inter se specie differre dicantur?

Resp. Tunc peccata inter se *specie differre* dicuntur, quando habent malitiam *diversæ rationis et naturæ*, id est, *specialem repugnantiam cum lege Dei et recta ratione nota-*

biliter diversam. Nempe peccata omnia conveniunt sub ratione deordinationis in genere, sed discrepant inter se, sicuti diversæ relationes, quibus constat ordo generalis.

Sic, v. g., furtum et homicidium sunt diversæ speciei; quia deformitas utriusque non est ejusdem rationis; contra vero duo furta sunt unius speciei, et solo numero differunt, quia in duobus furtis deformitas est ejusdem rationis. Neque refert, quod hæc duo furta sint de rebus physice diversis, v. g., quod unum sit aureorum, aliud vestium; quia *diversitas physica objectorum nihil facit ad diversitatem specificam peccatorum,* quæ non desumitur ab objecto prout est ens physicum, sed prout est indecens, et rectæ rationi difforme: unde et fieri potest, ut duo peccata specie diversa, versentur tamen circa res, quæ non sunt diversæ speciei physicæ, qualia sunt simplex homicidium et parricidium.

Quænam autem sit illa ratio, quæ consideranda est in peccatis, ut eorum species dignoscantur, non eodem modo explicant Theologi. Omissis variis opinionibus, quæ parum vel nihil ad praxim faciunt, statuemus sequentem regulam, communiter a Theologis admissam, et quæ videtur adhibitu facilior.

PROPOSITIO

24. — *Peccata sunt specie diversa* 1. *quando violant præcepta diversarum virtutum;* 2. *quando violant præcepta diversarum functionum ejusdem virtutis;* 3. *quando modo contrario, vel diversa ratione, eidem virtuti opponuntur.*

Convenientia et veritas regulæ, quoad *tres ejus partes*, evidenter colligitur ex ipsa differentiæ specificæ notione, quæ tanquam principium ab omnibus admittitur, nempe: *peccata specie differre, quando eorum deformitas, eorumque oppositio cum lege, non est ejusdem rationis;* quia violantur diversæ relationes, quæ per leges naturales aut positivas determinantur: atqui illud evenit in triplici casu a regula exposito.

Sic enim facile intelligitur 1. peccata, v. g., contra fidem, spem, charitatem et religionem, esse specie diversa, quia violant præcepta illarum virtutum, *quæ sunt speciei diversæ.*

2. Idololatriam et superstitiosum cultum esse peccata specie diversa; quia violant *diversas functiones* virtutis religionis, nempe Deum cultu legitimo colendi, et cultum divinum alteri non exhibendi. Similiter blasphemiam et sacrilegium differre et specie, quia contra diversas functiones ejusdem virtutis religionis pugnant, quæ sunt laudare Deum, et reverenter tractare res sacras.

3. Peccata esse specie diversa, quando *eidem virtuti* opponuntur *modo contrario*, per excessum, vel per defectum, ut patet in avaritia et prodigalitate, quæ, licet eidem virtuti liberalitatis opponantur, tamen illud contingit modo contrario.

4. Peccata specie differre, quando *eidem virtuti diversa ratione* opponuntur, seu quando habent diversas deformitates eidem virtuti repugnantes : unde, v. g., rapina et furtum differunt specie, quia diversa ratione repugnant virtuti justitiæ; idem dicendum de contumelia et detractione.

25. — Hinc 1. *unum et idem peccatum aliquando in se continet plures malitias specie diversas, cum scilicet illud peccatum violat plura præcepta virtutum specie diversarum ;* sic quatuor diversa peccata committit, qui ligatus voto castitatis, peccat cum consanguinea conjugata, quia violat quatuor virtutes diversas, nempe castitatem, religionem, pietatem et justitiam.

Idem dicendum est de peccatis, quæ violant præcepta tum Juris naturalis, tum Juris ecclesiastici, quando scilicet præcepta ecclesiastica lata sunt propter *motivum speciale* alicujus virtutis diversæ; sic, v. g., injusta percussio Clerici, quæ lege ecclesiastica sub excommunicationis pœna prohibetur, non tantum est peccatum contra justitiam, sed etiam contra virtutem religionis, ex cujus motivo lex illa lata est.

Quod, *si præcepta illa ecclesiastica non sunt lata propter motivum speciale alicujus virtutis diversæ, tunc peccatum unam tantum habet malitiam*; ratio est, quia diversitas præceptorum non repetitur ex diversis præcipientibus seu legislatoribus, sed ex diversis motivis virtutum, propter

quæ lata sunt illa præcepta. Unde simonia, v. g., non habet malitias distinctas, etiamsi prohibita sit tum Jure divino, tum Jure ecclesiastico; quia præceptum ecclesiasticum est latum propter *idem motivum* ac præceptum divinum.

26. — Hinc 2. *oppositio notabiliter gradu diversa cum æterna lege, non inducit distinctionem specificam stricte dictam inter peccata,* sed aliam minus proprie dictam; alioqui quælibet circumstantia notabiliter aggravans, mutaret speciem peccati : quod falsum est juxta omnes pene Theologos, qui cum S. Thoma docent *magis* et *minus, intensum* et *remissum,* etc., minuere vel aggravare peccatum intra eamdem speciem, sed ipsum aliam in speciem non transferre.

Dixi : *distinctionem specificam stricte dictam;* quia gradus oppositionis cum lege hoc sensu diversitatem *specificam* inducere potest, quod peccatum *ex non destructivo* charitatis, faciat *ejusdem destructivum,* id est, ex veniale mortale. Hoc sensu furtum aurei additum furto assis, mutat quidem speciem demeritoriam prioris furti : at non mutat speciem moralem absolutam ejusdem furti; quia utrumque furtum manet simpliciter in ratione furti, et sub furti genere continetur.

Porro in hac materia, quæ tota moralis est, et pendet a communi prudentum æstimatione, multum deferendum est judicio et sensui Doctorum, ita ut quando isti communiter admittunt aliqua peccata differre specie, et notabiliter diversam habere malitiam, res pro certa habenda sit, quamvis ea diversitas satis clare percipi et explicari non possit.

27. — *Quæritur* autem undenam oriatur peccati species?

Resp. — *Primaria* species peccati desumitur ex parte objecti; *secundaria* autem ex circumstantiis, ut dictum est in Tract. *de Act. hum.*, ubi etiam varias circumstantias actus peccaminosi indicavimus, n. 41, 43, 45, 46. Sunt etiam circumstantiæ, quæ aggravant aut minuunt peccatum intra eamdem speciem, ex ibidem dictis, n. 45, 47,

Porro *tunc circumstantiæ mutant speciem peccati, quando in actu ponunt vel addunt oppositionem cum diversis virtutibus, aut cum diversis ejusdem virtutis officiis, aut cum eadem virtute modo contrario vel disparato; alias vero sunt tantum aggravantes intra eamdem speciem.*

Hæc regula quoad rem est omnium Theologorum, quamvis non omnes eodem modo loquantur, et sequitur ex regula præcedenti, n. 24; quapropter satis probata et explicata manet, nec quidquam aliud addendum superest. Facile enim applicari potest hujusmodi regula variis circumstanttis enumeratis in Tract. *de Act. hum.*, n. 43.

§ II

De distinctione numerica Peccatorum.

28. — *Quæritur* quandonam peccata numericè distinguantur?

Resp. Peccata numerice distinguuntur, quando unum non est aliud et numerari possunt, sive sint unius ejusdem, sive diversæ speciei, v. g., duo furta, tria homicidia. Certum est peccata, quæ specie differunt, a fortiori differre numero, quia evidens est unum non esse aliud, et ideo facere numerum.

Similiter dubium non est malitias specie diversas, licet in uno actu reperiantur, tamen inter se, saltem æquivalenter, numero multiplicari; cum enim essentialiter differant, certe una non est alia; unde in his distinctio numerica sumitur ex distinctione specifica.

Tota igitur quæstio versatur circa peccata ejusdem speciei. Hujus quæstionis difficultas oritur imprimis, ex eo quod unum sæpe sit numero peccatum, etiam quando sunt *plures actus et plura objecta :* v. g., unum est numero furtum, quo quis successive, et sine interruptione morali, furatur acervum tritici, vel bibliothecam ex multis libris conflatam.

Porro distinctio numerica peccatorum potest dupliciter intelligi, 1. ita ut ipsa peccata seu actus multiplicentur, v. g., duo homicidia successive facta; 2. ita ut in uno et eodem actu multiplicentur et reperiantur malitiæ numero

diversæ, v. g., in occisione decem hominum uno actu facta, vel in voluntate occidendi decem homines. De utroque sigillatim dicemus.

NUMERUS PRIMUS

De distinctione numerica Peccatorum ex parte ipsorum actuum.

PROPOSITIO

29. — *Distinctio numerica peccatorum sumenda est ex multiplicatione seu interruptione morali actuum internorum voluntatis.* Certum est.

Id est, tot sunt numero peccata, quot sunt actus voluntatis *moraliter distincti* seu *interrupti*, vel *repetiti;* contra vero duntaxat unum erit numero peccatum, quamvis sint plures actiones externæ distinctæ, si unus sit actus voluntatis perseverans, vel formaliter et in seipso, vel virtualiter in aliquo libero effectu.

Etenim cum peccatum sit actus humanus moraliter malus, totuplex debet esse peccatum, quotuplex est actus humanus inordinatus : atqui totuplex est actus humanus, quotuplex est voluntatis actus moraliter distinctus seu interruptus; ergo, etc.

Igitur, ad cognoscendum utrum sint plura numero peccata, quærendum non est utrum sint plura objecta, sed utrum sint plures actus interni voluntatis, et utrum illi actus voluntatis sint moraliter interrupti, ut dictum est in propositione; sed hæc paulo fusius explicanda sunt.

Dixi 1 : *tot esse numero peccata, quot sunt actus voluntatis;* quia tota malitia et ratio peccati est in actu interno voluntatis, a quo derivatur in actum externum; inde sequitur peccata numero multiplicari, quando multiplicantur actus interni voluntatis; contra vero, si non multiplicentur actus interni voluntatis, non multiplicabuntur peccata quantumcunque multiplicentur actus externi.

Dixi 2 : *quot sunt actus voluntatis moraliter distincti;* quia interni voluntatis actus possunt duobus modis multiplicari : *physice* quidem, per quamlibet vel minimam interruptionem seu cessationem, sive illa sit voluntaria, sive involuntaria, v. g., si ex naturali distractione aut somno modici

temporis proveniat : *moraliter* vero per solam interruptionem moralem, quando scilicet actus neque in seipso actualiter, neque in libero effectu virtualiter perseverat. Quia vero fieri potest, ut actus voluntatis, quamvis physice interrumpatur, moraliter tamen perseveret in suo effectu, v. g., in actu externo cum quo unum numero peccatum facit, ideo dixi in propositione distinctionem numericam peccatorum sumi ex morali, non ex physica multiplicatione seu interruptione actuum voluntatis.

30. — *Quæritur* quænam sint *signa moralis* interruptionis?

Resp. Signa moralis interruptionis, seu multiplicationis actuum voluntatis, *tria* a Theologis communiter assignantur :

1. Quidem, si *actus successive fiant circa duo objecta distincta, tametsi nullum tempus interponatur*, ut si quis unum hominem contumeliis afficiat vel percutiat, et immediate post, alium. In his autem et similibus sunt plura numero peccata, et plures voluntatis actus non solum physice, sed etiam moraliter distincti.

2. *Si prior actus voluntatis revocetur per contrariam voluntatem, aut per voluntariam cessationem, et postea ad priorem voluntatem redeatur :* v. g., si quis, sibi complacens in aliqua delectatione peccaminosa, postea actum displicentiæ elicuit, vel voluntarie se ad alia cogitanda aut agenda divertit, si ad eamdem complacentiam redeat, novum erit peccatum, et moraliter a priori distinctum, quia prior voluntas neque actualiter, neque virtualiter perseverat, sed vere moraliter interrupta est, etiamsi per minimum tempus voluntaria interruptio duraverit.

3. Denique actus interni voluntatis moraliter multiplicantur *per cessationem etiam involuntariam, si sit longioris durationis*, tantæ scilicet, ut, judicio viri prudentis, prior voluntas censeatur moraliter interrupta, id est nec virtualiter, nec formaliter perseverans : v. g., si quis in pravo consensu vel delectatione morosa somno corripiatur, et, post horam expergefactus, pristinum consensum approbet seu renovet, sine dubio committit novum et numero dis-

tinctum peccatum. Similiter, si quis decrevit furari, sed ex naturali distractione oblitus propositi, non furatur; si interjecta mora temporis, renovet propositum, duo peccata committit numero diversa, quia prior voluntas neque in se, neque in aliquo affectu libero perseverat.

Cæterum, maxime advertenda est differentia peccatorum externorum a pure internis; nam *peccata externa, quæ prodeunt in actum exteriorem*, v. g., furtum, homicidium, etc., non ita facile, neque ita frequenter multiplicantur; ratio est, quod actus interni voluntatis in *actu externo virtualiter perseverant*, et ideo, etsi sæpius repetantur, dummodo nec retractentur, non constituunt novum numero peccatum, quandiu perseverat actus externus.

At vero *peccata interna, quæ interius consummatur*, v. g., peccata odii, invidiæ, delectationis morosæ, facilius et frequentius multiplicantur, quia, quando cessant, nihil habent vi cujus virtualiter perseverent ac veluti continuentur. Ideo valde probabilis est eorum sententia, qui putant peccata interna multiplicari etiam moraliter per quamcunque cessationem, quamtumvis brevem et involuntariam; ac proinde eum, qui per horam odio vel delectationi peccaminosæ immoratur, plura numero peccata commisisse, quia fieri non potest, ut voluntas per horæ moram non pluries cessaverit ab actu odii, seu delectationis : verum, quia hujusmodi multiplicatio est omnino imperceptibilis, sufficit in confessione peccatorum internorum declarare interruptionem, quæ aliquandiu duravit, si qua contigerit. Si vero nulla notabilis interruptio acciderit, sufficit aperire spatium temporis, quo quis in his actibus immoratus est; sic enim accusantur hujusmodi peccata per modum unius confusæ multitudinis, ea ratione qua sciri possunt.

31. — Hinc *unum est numero peccatum* quando, licet fiant plures actiones externæ, *unus tamen est actus voluntatis, virtualiter perseverans in serie et continuatione earum actionum externarum*, quæ *virtute illius actus voluntatis inchoatæ sunt, et tendunt ad consummandum peccatum* : idque etiam, quamvis *actus internus voluntatis multiplicatus fuerit*,

modo interruptus non fuerit moraliter per somnum, vel ebrietatem, vel amentiam, vel actionem intermediam, quæ aliquandiu duraverit et quæ *nullam habeat ordinem ad consummandum peccatum.*

Sic 1. qui, ex voluntate occidendi inimicum, parat gladium, conscendit equum, iter aggreditur, etc., ac tandem occidit, unum numero peccatum committit, quamvis sæpe repetat vel interrumpat ejusmodi voluntatem. Similiter, qui, ex intentione furandi, scalas applicat, cubiculum ingreditur, etc., ac tandem furatur, unum tantum furti pectum committit.

Sic 2. qui, ex intentione occidendi vel fornicandi, facit plures actus ex se moraliter malos, v. g., multa vulnera infligit priusquam occidat, vel multos actus turpes exercet priusquam fornicetur, unum numero peccatum homicidii vel fornicationis committit; et, in confessione, declarato actu principali consummato, sufficienter declarantur hi actus minus principales, qui præcedunt actum principalem, et ordinarie cum eo conjunguntur; modo tamen, ut dixi, non fuerit intentio sistendi in illis, sed facti sint ex intentione actus principalis, qui de facto subsecutus fuerit; modo etiam non intercesserit mora notabilis inter actum principalem et alios minus principales.

Quod autem diximus de actibus, qui præcedunt actum principalem, videtur quoque dicendum de actibus, qui ordinarie sequuntur actum consummatum, nisi fiant ex intentione alium inchoandi.

Attamen hæc intelligi debent solum de actibus illis minus principalibus, qui non habent malitiam specie vel numero distinctam a malitia actus principalis; alioqui, si haberent malitiam gravem specie vel numero diversam, essent necessario in confessione declarandi, v. g., si quis furetur vel utatur alterius opera ad occidendum, fornicandum, etc.; item, si quis, ad furandum unius pecuniam, alterius scalam subripiat.

Sic 3. multi Doctores existimant eum, qui uno impetu ac fervore iræ et odii, aut alterius passionis, plures blasphemias evomit, vel plures contumelias in aliquem conji-

cit, aut percussiones repetit, vel detractiones multiplicat, unum numero peccatum committere, quia prior voluntas virtualiter perseverat, et in ea actus illi repetiti uniuntur moraliter ad integrandum unum peccatum mortale.

Verum, quidquid sit, in his et similibus casibus, præsertim si actus fuerint valde multiplicati, ordinarie declarandus est numerus actuum, quantum fieri potest, ut confessarius agnoscat statum pœnitentis.

NUMERUS II

De distinctione numerica malitiarum in uno et eodem actu peccaminoso.

PROPOSITIO

32. — *In uno actu peccaminoso tot sunt malitiæ, quot violantur obligationes numero distinctæ, et ut tales cognitæ.* Ita communiter. — (vide Ballerini.)

Namque, sicut unus et idem actus, qui versatur circa plura objecta specie morali diversa, habet plures malitias specie et consequenter numero diversas, ut diximus; sic etiam unus et idem actus, si versetur circa plura objecta diversa numero, violando scilicet diversas numero obligationes, habebit plures malitias solo numero diversas.

Revera, qui uno actu tres homines occidit, qui una detractione tres homines lædit, una contumelia tres offendit, uno scandalo tres ad peccatum inducit, ille tres malitias numero diversas, homicidii, detractionis, contumeliæ et scandali, contrahit; idem dicendum de actu interno voluntatis tres occidendi, de tribus detrahendi; idem de peccato omissionis, ut, si quis uno actu voluntatis velit tria præscripta jejunia prætermittere, in hac una voluntate triplex erit numero malitia in confessione explicanda.

Attamen nec desunt Theologi, qui illud negant. Sed eorum opinio, in ordine ad praxim et obligationem confitendi, in idem recidit. Fatentur enim hi Doctores, in exemplis pro nostra conclusione allatis, has circumstantias esse explicandas et declarandas Confessario, non quod multiplicent numerum malitiarum, uti cum priori opinione dicebamus, sed quia vel putant circumstantias aggravantes

esse aperiendas, vel potius quia sentiunt has non esse proprie circumstantias, sed *pertinere ad ipsam actus substantiam,* ideoque sine illis actum ipsum non posse sufficienter in confessione declarari.

Dixi 1 : *multiplicari numero malitias in uno et eodem actu, quando violantur obligationes numero distinctæ;* quia, quamvis actus respiciat plura physice objecta, si tamen violetur una numero obligatio, tunc una erit tantum malitia; v. g., si quis domum in qua sunt multa cubicula, velit comburere, bibliothecam multis libris conflatam deprædari, magnum gregem animalium, vel ingentem frumenti acervum furari. Similiter, qui uno forto subripuit alicujus pecuniam, equum et vestes simul, unam tantum malitiam contraxit, quia unicum jus et unam numero obligationem violavit.

Dixi 2 : *quando violantur obligationes cognitæ ut numero distinctæ;* quemadmodum enim, si malitia actus invincibiliter ignoretur, tunc non est peccatum, ut diximus, ita, si habeat actus duplicem malitiam, et una tantum cognoscatur, unicam contrahet malitiam.

33. — *Quæritur* an unus et idem actus, quando plures habet malitias, dici possit multiplex peccatum?

Resp. Multis ita videtur, et satis communiter sic loquuntur Theologi; proprie tamen et rigorose loquendo, non videtur ita dicendum, quia, ut Dialectici et Theologi communiter tradunt, ad multiplicationem nominum substantivorum non sufficit multiplicatio *formæ,* sed requiritur multiplicatio *subjecti;* sicut enim multæ albedines in uno subjecto non faciunt multa alba, ita etiam multæ malitiæ in uno actu non faciunt formaliter multa peccata, sed unum peccatum continens multas malitias.

ARTICULUS IV

De Peccatorum causis, effectibus et remediis.

Cum peccatum sit omnium malorum maximum, ut supra ostensum est, n. 21, 22, nec ab homine committatur nisi scienter et libere, vix intelligitur quomodo possibilis sit

voluntaria hujusmodi hominis et Christiani contra Deum rebellio. Quia vero de facto nimium constat, de possibilitate hic non disputandum, sed potius investiganda sunt variæ causæ, effectus et remedia peccatorum.

§ I

De causis Peccatorum.

34. — Per causas peccatorum intelliguntur, quæcunque in peccata directe vel indirecte influunt. Porro evidens est, unicam esse peccati causam directam seu efficientem, nempe voluntatem liberam. Peccandi enim necessitas totam peccati tolleret rationem, quod definiur libera legis transgressio. Causæ autem improprie dictæ seu disponentes ad peccandum aliæ sunt *interiores*, aliæ vero *exteriores*. De quibus dicendum in duplici numero.

NUMERUS PRIMUS

De interioribus causis ad Peccata disponentibus.

Causæ interiores disponentes ad peccata aliæ sunt positivæ, aliæ negativæ.

35. — I. Causæ interiores *positivæ* sub generali *Concupiscentiæ* nomine intelliguntur, unde Jacob. 1, v. 14, 15 : *Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus; deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum;* — et Apost. ad Rom. 6, v. 12 : *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Idem, cap. 7, hujusce concupiscentiæ naturam et vim accuratissime et vivide exponit.

Porro, per concupiscentiam, intelligitur vel *habitualis et inhærens animæ dispositio ad appetenda inordinate, seu vividius quam oportet, objecta quæ sensibilitatem grate afficiunt aut afficere posse videntur;* vel etiam, *motus spontaneus et indeliberatus ex illa dispositione habituali procedens.* « Concupiscentia, ait S. Augustinus, est generale vocabulum omnis cupiditatis, de qua dicitur ab Apost. ad Timoth. I, *radix omnium malorum cupiditas;* » Tract. *de Act. hum.*, n. 21. Quænam sit natura et origo hujusce concupiscentiæ qualis

nunc in homine lapso observatur, jam dictum est in Tract. *de Gratia*, n. 243, 258, 169.

36. — Concupiscentia triplex distinguitur : 1° *Concupiscentia carnis*, quæ est inordinatus appetitus rerum, quæ carnem delectant. 2. *Concupiscentia oculorum*, quæ est tum *curiositas*, qua concupiscitur quidquid aspectu delectabile est, tum cupiditas stricte sumpta sive *avaritia* qua opes et aliæ res exteriores appetuntur, ita ut in eis quæratur non delectatio carnis, sed possessio aut oculorum delectatio. 3. *Superba vitæ*, quæ est honoris et propriæ excellentiæ inordinatus appetitus.

37. — Triplicis hujus concupiscentiæ radix est perversus amor sui. Homo enim, qui deberet seipsum amare modo ordini consentaneo, et suam reponere beatitudinem in Deo, unico et vero bono, seipsum amat modo inordinato, et suam quærit beatitudinem per superbiam in honoribus, per avaritiam in divitiis, per luxuriam et gulam in voluptatibus carnis. Concupiscentiam igitur esse peccatorum fontem uberrimum, ex ipsa ejusdem notione colligitur.

Ad eam referuntur, seu potius sunt diversæ hujus formæ, septem vitia capitalia, quæ cæteras omnes hominis pravas dispositiones comprehendunt, ex quibus oriuntur omnia peccata omissionis et commissionis, sive spiritualia sive carnalia, tum contra Deum, tum contra proximum, tum contra seipsum, sicut ait Scriptura : *Initium omnis peccati superbia;* et alibi : *Unde bella et lites in vobis, nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Item : *Concupiscentia transvertit sensum... Factæ sunt creaturæ in muscipulam filiis hominum... Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Rom. c. 1 et c. 7; Bossuet, *Traité de la Concupiscence;* Olier, *Catéchisme de la vie intérieure*, de Imitatione Christi, lib. 3, c. 54, 55 et passim.

38. — II. Causa interior peccati *negativa* duplex est, ignorantia et inconsideratio. Per ignorantiam et inconside-

rationem hic intelligimus non ignorantiam legis vincibilem aut invincibilem, nec inadvertentiam malitiæ actus, de quibus dictum est in Tract. *de Act. hum.*, n. 17-20, quatenus excusant vel non a peccato; intelligitur ignorantia et inconsideratio circa *motiva*, quæ possent hominem a peccato avertere et inclinare ad bonum, nempe : circa immensam Dei potestatem et majestatem, infinitam ejusdem bonitatem et misericordiam, turpitudinem peccati et virtutis excellentiam, præmia quæ pios, pœnas quæ peccatores manent sive in hac vita, sive in futura, etc. Unde ait Propheta : *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.* Et vero universa Scriptura sive novi, sive veteris Testamenti tota est in revocandis hominum mentibus ad illarum veritatum assiduam meditationem. Vide Tract. *de Act. hum.* n. 86, 96.

NUMERUS II

De causis Peccatorum exterioribus.

Tres peccatorum causæ exteriores vulgo denuntiantur; nempe *diabolus*, *mundus*, et quæ dicuntur *occasiones* peccati.

39. — Certum est 1° *dæmonem aliquo modo esse peccati causam.* Homines enim variis modis sive interne, sive externe ad peccatum inducit, sollicitat, illud ipsis exhibendo ut suave ac jucundum, et sæpe motus inordinatos, mediante corpore, in anima excitando, ut probatum est in Tract., *de Angelis*, n. 119 et seq.

40. — Certum est 2° *mundum esse peccatorum causam*, Per *mundum* autem intelliguntur perversi homines, qui se invicem et justos ad malum, tum verbo et exemplo, tum vi et metu trahere conantur. Unde Christus ait : *Cavete ab hominibus... Non pro mundo rogo... Væ mundo a scandalis : necesse est enim ut veniant scandala ; væ autem homini illi, per quem scandalum venit... Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestris vultis facere... Nunc judicium est Mundi : nunc princeps hujus Mundi ejicietur foras... Pater, Mundus te non cognovit*, etc.

Sexcenta hujusmodi testimonia in Scripturis et Traditione facile colligerentur : duæ enim sunt civitates, juxta S. Augustinum, quæ sibi invicem adversantur et se invicem spoliare laborant : *Mundus*, id est civitas diaboli, et *Ecclesia*, civitas Dei vivi. Porro totus Mundus in maligno positus est; unde singulis ab Apostolis dicitur : *Nolite diligere Mundum, neque ea, quæ in Mundo sunt. — Sapientia hujus Mundi inimica est Deo.*

41. — Certum est 3° *omnes fere creaturas inanimatas vel irrationabiles, hominibus fieri peccandi occasionem sive remotam, sive proximam.*

Occasio peccandi est illud quod ex natura sua, vel ex circumstantiis ad peccandum inducit, Duplex distinguitur : *proxima*, quæ sive ex se, sive per accidens, attenta, scilicet, speciali alicujus hominis fragilitate, ad peccandum propinque inducit; et *remota* quæ remote inducit ad peccatum; Tract. *de Act. hum.* n. 63.

Occasiones remotas vitare non tenemur, alioquin oporteret exire de mundo, cum omnes creaturæ *factæ sint in tentationem animabus hominum;* Sap. 14, v. 2.

Quantum ad occasionem peccandi proximam, consentiunt omnes eam vitandam esse, si vitari possit, ut dictum est in Tract. *de Pœnit.* 197 et seq.

§ II

De Peccatorum effectibus.

Quatuor sunt præcipui peccati effectus, videlicet, animæ macula, pœnæ reatus, ipsa pœna, et pravi habitus vel inducti vel roborati.

NUMERUS PRIMUS

De macula animæ a Peccato inducta.

PROPOSITIO

42. — *Per peccatum in anima producitur macula, quæ, præterito actu peccati, in ea remanet.* De fide est.

Prob. Ex iis *Scripturæ locis*, in quibus peccata dicuntur *sordes, maculæ, inquinamenta*, et peccatores dicuntur *in-*

quinati, sordidi, immundi; justificati autem vocantur a peccato *abluti, mundati, purgati, sine macula.* — Josue 22 : *Peccastis in Beelphegor. et macula hujus sceleris in nobis permanet.* — Ezech. 36, v. 25 : *Effundam super vos aquam mundam. et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* — I Joan. 1, v. 7 : *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Multa alia similia testimonia omitto. Hinc Patres Trid. sess. 5, anathema vibrant in eos, qui dicunt peccatum per Baptisma *tantum radi aut non imputari;* quod manifeste supponit aliquam esse peccati maculam, quæ vere per Baptismum tollitur ac deletur.

43. — *Quæritur* quid sit ejusmodi macula quæ, præterito actu malo, in peccatore remanet?

Resp. Ea de re variæ sunt Theologorum opiniones. 1. Docet Scotus peccati maculam positam esse in *reatu pœnæ,* seu in obligatione pœnam subeundi, cui anima post commissum peccatum obnoxia manet. Verum refellitur ista sententia, quia damnata est a Pio V, hæc Baii propositio 54 :» In peccato duo sunt, actus et reatus : transeunte autem actu, nihil remanet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam. » Atqui, si macula eadem esset cum reatu, reipsa, actu transeunte, solus remaneret reatus. Pœnæ reatus maculam consequitur ac præsupponit; prius est enim maculari animam, quam a Deo pœnis destinari. Ergo macula non est ipse reatus pœnæ.

2. Magister Sententiarum docet peccati maculam esse *quamdam a Deo abalienationem seu aversionem.* Verum abalienatio seu aversio a Deo, quæ est ipsa Dei offensa, maculæ quidem animam inquinantis causa est, non vero ipsamet macula; ideo enim maculatus aliquis efficitur et inquinatus, quia recessit a Deo.

3. Nonnulli opinantur peccati maculam positam esse *in privatione gratiæ sanctificantis.* Sed immerito, 1. Quia inde sequeretur nullam per secundum peccatum mortale contrahi maculam; 2. quia, in ea sententia, omnes mortaliter peccantes, licet modo valde inæquali, eamdem labem contraherent; cum pariter gratia sanctificante exuuntur;

3. quia homines in statu naturæ puræ, si exstitisset, peccati maculam contraxissent; ergo privatio gratiæ sanctificantis peccati maculam non constituit.

4. Alii peccati maculam reponunt in *privatione nitoris et pulchritudinis*, ante peccatum animæ inhærentis, quæ sita est *in rectitudine voluntatis humanæ*. Hanc autem nitoris ac decoris privationem alii *deformitatem* vocant ex peccato resultantem. Hæc opinio, si tamen quid in re adeo obscura definire liceat, verior nobis videtur. Nam, sicut corpus maculatum dicitur, cum caret nitore sibi debito, ita anima maculata et deformis intelligitur, cum munditie, pulchritudine, ac *rectitudine* sibi antea inexistente privatur. Præterea solvuntur in ea opinione difficultates, quæ in præcedente opinioni explicari non possunt; intelligitur, v. g., per multiplicationem peccatorum multiplicari aut augeri maculam, omnes mortaliter peccantes eamdem maculam non contrahere, in statu naturæ puræ potuisse contrahi maculam. S. Th. 1. 2, q. 86, a. 1.)

NUMERUS II

De reatu et pœna Peccati.

44. — Reatus pœnæ est *obligatio quædam pœnæ subeundæ, cui subjacet peccator*. Post peccatum commissum existere vel manere alicujus pœnæ reatum probant hæc verba Christi, Matth. 5 : *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis.*

Pœna duplex distinguitur, alia præsentis vitæ, alia futuræ : istaque iterum duplex, æterna quæ in inferno, et temporalis quæ in Purgatorio luitur.

De vitæ futuræ pœna diximus in Tract. *de Angelis*, n. 59 et seq., et de Purgatorio. Hic quædam solum notanda putamus de *temporali pœna*, quæ consistit in malis corporis vel animæ, quibus peccatores, ratione culpæ, sunt obnoxii.

45. — Certum est divinam justitiam, aliquatenus in hac vita contra peccatores exerceri, licet non ita evidenter, infallibiliter et convenienter, ut non requiratur alia post

mortem vindicta. Pœna autem illa consistit in conscientiæ remorsu, cordis perturbatione et anxietatibus, tædio animæ, et aliquando morbis, calamitatibus et ipsa morte, ut *Scriptura et experientia quotidiana* constat. Unde S. Aug. : « Sic statuisti, Domine, et ita est, ut pœna sibi sit omnis animus inordinatus. »

Cæterum, summum malum jam æstimari debent effectus necessarii peccati, sive mortalis, sive venialis. Per peccatum enim mortale amittuntur amicitia Dei, gratia sanctificans, fructus bonorum operum, merendi possibilitas. Per veniale autem amittitur animi pulchritudo, timor Dei minuitur, crescit animæ tepor, impediuntur gratiæ speciales, et anima ad peccandum mortaliter inducitur, præsertim si ex habitu committitur in eadem materia; quæ quantum sint lugenda, nemo satis dicere potest.

46. — *Quæritur* utrum unum peccatum possit esse pœna alterius?

Resp. Affirmative, quatenus nempe Deus in illius pœnam subtrahit specialia auxilia, quibus homo destitutus in peccata alia voluntaria labitur. Hinc in pœnam superbiæ Gentiles tradidit *Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam*, etc., Rom. 1. v. 24.

47. — Circa pravos habitus, quatenus sunt peccati effectus, plura non minoris momenti dicenda forent, sed non patiuntur præscripti limites. Ideo vide quæ in Tractatu *de Pœnitentia* circa consuetudinarios seu habituatos traduntur, n. 203 et seq.; Tract. *de Virtute castitatis*, n. 11, 67, 112.

§ III

De Peccatorum remediis.

48. — *Remedia* præventiva, seu contra *tentationes*, diversa sunt, prout tentationes sunt graves vel leves. *Si agatur de tentatione gravi*, adhibeantur oratio actualis, crucis contemplatio et signum, simplex et sincera cum Directore conscientiæ collocutio, mentis et attentionis in aliud conversio, virilis fiducia in Deum, et iterata nominum Jesu et Mariæ

invocatio, tandem considerationes circa Dei bonitatem, et peccati turpitudinem, de quibus supra dictum est. n. 58.

Si vero agatur de tentatione levi, sine animi anxietate tentatio contemnatur; actus eliciantur virtutum oppositarum, et præsertim charitatis in Deum, quæ est generalis virtus, quin semper expresse tentatio rejiciatur : sunt enim quædam tentationes velut ignis cineri suppositus, qui fodicatione accenditur magis.

Celebris P. Pinamonti remedia contra tentationem quamlibet ad tria reducit : nempe ad *humilitatem*, qua fit gratiæ locus; ad *orationem*, qua obtinetur gratiæ donum; ad *fortitudinem*, quia gratiæ cooperando consummatur victoria nostra.

Si quis autem infeliciter decertavit, ne concidat animo; sed sincere doleat, strenue ac viriliter acturus in posterum; *Filioli mei, hæc scribo vobis ut non peccetis. Sed si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.* I Joan., 2, v. 1. Qui vero victor exstitit, ne sibi inaniter complaceat vel sibi fidat, sed Deo agat gratias, atque ad nova bella se præparet : non enim cessat ab insidiis suis serpens antiquus; nec ignoramus *multimodam ejus malitiam* et *versutias Satanæ*, qui se aliquando *transfigurat in angelum lucis*. Cum metu itaque et tremore salutem nostram operemur.

49. — *Remedia* autem contra ipsum *peccatum*, varia sunt. Scilicet, quatuor sunt effectus peccati, macula, reatus pœnæ, pœna ipsa et habitus pravi : atqui per pœnitentiæ Sacramentum, vel per contritionem perfectam cum voto Sacramenti, tergitur peccati macula, tollitur reatus pœnæ æternæ; et satisfactione proportionata solvi potest etiam pœna temporalis debita peccato, sive mortali, sive veniali. Tandem iisdem mediis scilicet gratia sacramentali et satisfactione conveniente, nempe jejuniis, orationibus, eleemosynis, et simul constanti particularium virtutum observantia, pravi infirmantur habitus, et anima paulatim in libertatem filiorum Dei restituitur. Quæ in Tract. *de Pœnit.*, n. 359, fusius exponuntur.

CAPUT II

DE PECCATIS IN SPECIE

50. — Omissis divisionibus peccati in genere, in *originale* et *personale*, personalis peccati in *actuale* et *habituale*, actualis autem in *mortale* et *veniale*, de quibus jam supra in hocce Tractatu, vel in alio de *Gratia*, dictum est; agemus in præsenti capite de multiplici divisione peccati actualis sive mortalis, sive venialis : nempe 1. de peccatis cordis, oris et operis; 2. malitiæ, aut infirmitatis, aut ignorantiæ; 3. commissionis, aut omissionis; 4. carnalibus aut spiritualibus; 5. contra Deum, aut contra proximum, aut contra seipsum; 6. capitali aut non capitali.

ARTICULUS PRIMUS

De Peccatis cordis, oris et operis.

51. — Certum est *quædam esse peccata cordis, quædam oris, quædam operis.* Ratio est manifesta, quia, ut ait S. Hieronymus, aut cogitatione, aut sermone, aut opere peccamus. Ideo quotidie confitemur nos peccasse nimis cogitatione, verbo et opere.

Peccata autem *operis* dicuntur ea, quæ ex natura sua tendunt ad opus externum, *et in eo perficiuntur ac consummantur*, v. g., furtum, homicidium, etc. Peccata autem oris dicuntur *quæ ex natura sua postulant consummari in ore, neque ad ulteriorem terminum tendunt*, v. g., detractio, contumelia, mendacium. Denique peccata cordis dicuntur ea, quæ ex genere suo talia sunt, ut perficiantur et consummentur in corde, seu in concupitu, in mente et voluntate sistunt, absque externo seu physico actu, v. g., odium Dei, odium proximi, hæresis, desiderium furti, vindictæ, homicidii, actus internus superbiæ, invidiæ, etc.

Jam vero, de peccatis *oris* vel *operis* agitur ubi de peccatis capitalibus n. 76-109; de Decalogo, de Virtutibus cardinalibus, de Justitia, de Contractibus, de Variis statuum obligationibus; sed etiam, ob materiæ momentum, de peccatis contra castitatem agimus in speciali. Tract. *de*

Virtute castitatis, ubi expenduntur peccata *cordis* contra eamdem virtutem, n. 30-33.

Hic igitur agendum est de peccatis cordis in genere, id est, circa quamlibet materiam, scilicet, de morosa delectatione, de gaudio rei malæ præactæ, de desiderio rei malæ.

§ I

De morosa Delectatione.

52. — *Quæritur* 1° *quid sit Delectatio morosa?*

Resp. Morosa delectatio in genere est *libera complacentia in ipsa re mala cogitata et repræsentata ut præsente, sine ullo desiderio illam assequendi.*

Unde 1. objectum illius delectationis non est quid physicum præsens, aut præteritum, aut futurum, sed quid *intellectu conceptum*, et *cogitationi tantum præsens;* atque in eo voluntas sibi complacet et quiescit uti sic concepto et cogitatione exhibito absque ulteriori desiderio; ita ut delectatio sit *de ipsa re mala cogitata*, quæ *affectum moveat* et *alliciat*, ut ait S. Th., 1-2, q. 74, a. 8; v. g., si quis interius delectetur et sibi complaceat in cogitanda morte inimici; et in hoc differt sive a gaudio de re mala *præacta*, sive a desiderio rei malæ *futuræ*, sive a delectatione de re mala *externa* et *præsenti*, uti in aspectu, osculo, tactu, in actuali furto, homicidio, etc.

2. Illa delectatio dicitur *morosa*, non quidem a temporis *mora* seu duratione complacentiæ, cum unicum instans ad eam sufficiat; sed amora *voluntatis liberæ*, quæ *post advertentiam*, in ea delectatione *quiescit* et *moratur;* v. g., si quis per imaginationem fingat se vindictam sumere de inimico, et in tali actu sic cogitato sibi complaceat, absque ulla intentione illum reipsa perficiendi.

3. Exinde illa delectatio discrepat tum a simplici cogitatione, recordatione, prævisione rei malæ ex fine honesto, v. g., ad docendum, concionandum, ad audiendas confessiones, ad medicinam exercendam; — tum a delectatione de *modo*, quo res mala peracta est, aut peragi potest, quamvis res ipsa in se mala displiceat; sic sæpe delectant narratio-

nes vel aspectus bellorum, furtorum, fraudum, insidiarum, quamvis res ipsa displiceat : et tunc illa delectatio per se non est peccatum; sed in rebus obscenis hoc valde periculosum est; — tum ab ipso sensu delectationis sine in eam consensu : aliud est enim sentire, et aliud consentire. Unde

Triplici signo dignosci potest delectationem esse de re ipsa mala cogitata. Scilicet, 1. si quis *non reflectat supra cogitationem,* id est, si non cogitet se cogitare, signum est delectationem esse de re cogitata, et non de cogitatione. 2. *Si modus et artificium in rebus pïis aut non malis minus afficiat et delectet, quam in rebus malis,* v. g., musica in rebus obscenis, tunc signum est esse turpem affectum circa res ipsas malas, et non tantum circa earum modum. 3. Denique *si non ex bono fine,* v. g., studendi, docendi, *sed ex pravo vel vano fine,* v. g., si turpis affectus, vel vana lectio aut collocutio sint causa cur delectetur aliquis cogitando rem, aut cur moveatur ad permanendum in illa cogitatione, signum est valde probabile delectationem esse de re mala cogitata, non autem de illius duntaxat cogitatione vel modo.

Quod autem diximus de complacentia in re mala, dicendum quoque est de *displicentia in re bona :* v. g., cum quis interius tristatur, et sibi displicet in cogitando bono proximi, vel quia ipsius est bonum, quod pertinet ad odium, vel quia eo putat suum bonum imminui, quod pertinet ad invidiam; idque sine ullo desiderio tollendi vel minuendi bonum illud proximi.

53. — *Quæritur* 2° an morosa delectatio de objecto repræsentato ut mortaliter malo, sit mortaliter mala?

Resp. Affirmative, et certum est. Dicitur enim : « Omni cura serva *cor* tuum... *abominatio* Domini *cogitationes malæ.* » Prov. 4, v. 23; 15, v. 26. — *Perversæ cogitationes separant a Deo;* Sap. 1, v. 3. — « Facti sunt *abominabiles,* sicut ea, quæ *dilexerunt;* » Osee, 9, v. 10. Porro voces *abominatio, abominabiles, separant a Deo,* procul dubio gravem culpam significant.

« Totus homo, inquit S. August., *de Trinit.*, lib. 12,

c. 12, damnabitur, nisi hæc, quæ, sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate *animum talibus* oblectandi, *solius cogitationis sentiuntur esse peccata,* per Mediatoris gratiam remittantur. »

Revera, ut ait S. Th., *de Verit.* q. 13, a. 4, delectatio alicujus operationis et ipsa operatio ad idem genus peccati reducuntur, sicut operatio virtutis et delectatio in eadem virtute reducuntur ad eamdem virtutem : atqui ipse actus, v. g., homicidii, est in genere peccati mortalis; ergo delectatio in cogitatione de homicidio est similiter mortalis.

Aliunde, mera delectatio in omni re mala plerumque est alius subsequentis mali sive interni, sive externi initium ac incitamentum, atque infinitorum malorum primaria causa; et proinde per se valde periculosa ac summopere vitanda.

54. — Itaque 1. peccat, qui delectationem de re mala ab intellectu propositam amplectitur, approbat et amat; 2. qui causam influentem in hujusmodi delectationem libere ponit ex ejusdem intentione; 3. qui causam ponit, ex qua prævidetur secuturum proximum periculum consentiendi in eamdem delectationem, ac simul deficit ratio sufficiens tale periculum incurrendi.

Si vero, ex causa cum sufficienti ratione posita, *indidirecte per accidens* sequatur delectatio de re mala, poterit esse involuntaria ex parte causæ, et ideo non imputanda, ex dictis in Tract. *de Act. hum.*, n. 71.

2. Hujusmodi ratio sufficiens est necessitas aut utilitas ponendi causam ex qua, *per accidens* et *præter intentionem* seu indirecte, sequitur delectatio de re mala; v. g., occasione prædicationis, confessionis, quis experitur delectationem superbiæ, vanæ gloriæ, commotionem carnalem; et, nihilominus, attenta utilitate confessionis et prædicationis, ac *secluso proximo periculo* prædictæ delectationi in casu consentiendi, licet prædicare et confessiones audire; alioquin homines deberent sæpe multa bona opera, et quidem necessaria aut valde utilia, prætermittere.

Extra autem casum necessitatis vel utilitatis, si quis ponat libere causam, etiam remotam et per accidens, ex

qua prævidetur oritura delectatio de re mala, eo ipso erit culpa venialis aut mortalis, prout prævidetur aut prævideri debet periculum remotum vel proximum consentiendi in illam delectationem de re leviter vel graviter mala.

3. At, si, orta delectatione de re graviter mala, voluntas circa eam negative se habeat, nec positive consentiendo, nec dissentiendo, peccat mortaliter, si advertatur, aut adverti possit et debeat grave periculum consentiendi. Peccat enim mortaliter, qui se exponit gravi periculo mortaliter peccandi, licet tale periculum sequeretur ex operibus quantumvis sanctis; a quibus proinde abstinendum esset, si alioquin a proximo consentiendi periculo quis præcavere non posset.

Statim igitur ac quis advertit se experiri delectationem de re mala, adhibere debet aliquem conatum ad illam reprimendam. Posito autem aliquali conatu animum ad alia avocandi, aut directe illam delectationem repellendi, peccatum ordinarie evadit veniale, si supersit aliqua negligentia et semiplenus consensus. Cæterum, haud raro hujusmodi delectatio, etiam repulsa, redit et iterum excitatur, vel etiam aliquo tempore perseverat, repugnante voluntate; Rom. 7, v. 23.

Idem, quod de morosa delectatione, dicendum est de *morosa displicentia*, scilicet, eam esse *mortalem*, quoties ejus objectum, *prout repræsentatur ab intellectu, est mortaliter malum.*

Sic, quando quis tristatur de bono Dei vel proximi, ut est ipsorum bonum, quod pertinet ad odium, vel ut est proprii boni imminutivum, quod pertinet ad invidiam. Item, quando quis tristatur de bono aliquo opere virtutis, v. g., auditione Missæ, eleemosyna, jejunio cogitato non ut est opus difficile, sed ut est opus religionis, vel misericordiæ, vel temperantiæ, is sine dubio peccat contra has virtutes. Denique, quando quis tristatur de obedientia, quam ipse vel alii præstant Superiori, cui ex contemptu parere nollet, peccat mortaliter contra obedientiam.

55. — *Quæritur* 3° an morosa delectatio specificetur ab

objecto quale in mente repræsentatur, vel quale se habet exterius?

Resp. Controvertitur inter Theologos. Alii affirmant illam specificationem procedere ab objecto quale se habet exterius; quia mera delectatio complectitur totum objectum cogitatum, non obstante quacunque præcisione a mente facta. Ita Suarez, Sanchez, Lessius, Antoine, Collet, Dens, etc.

Alii vero sentiunt morosam delectationem specificari ab objecto in mente tantum repræsentato, malitiamque recipere a solo respectu sub quo objectum in mente repræsentatur; et in hoc illam delectationem differre a desiderio, quod per se tendit ad objectum, quale se habet exterius; sic v. g., qui delectatur de occisione inimici in loco sacro, non quatenus ibi facta est, sed quatenus est inimici malum, peccat solum peccato odii, non vero etiam sacrilegii. Ita Layman, Lugo, Azor, Bonacina, Sporer, Vasquez, etc. Hæc sententia nobis videtur probabilior. Intellectus enim potest cogitatione sua separare unam malitiam ab alia, ita ut objectum habens ex se duas malitias, ab intellectu repræsentetur sub una tantum malitia, *qua sola determinetur* morosa delectatio, et quæ ideo sola in tali delectatione intenditur et contrahitur.

56. — *Quæritur* 4° quænam sint remedia contra delectationem, ut non fiat morosa seu voluntaria?

Resp. Remedia ea sunt, quæ opponuntur delectationis causis. Unde, si delectatio proveniat ex imaginatione seu phantasia, compescenda est, ad alia divertendo præsertim in re venerea, quæ *eo magis fovet, quo magis movetur;* si ex objectis aut occasionibus externis, hæc fugiendo, nisi justæ rationes contra militent, aut ab omnibus objectis quis moveatur: si ex complexione, temperamento, mortificando vitium per contrariæ virtutis praxim, nempe, humilitatis contra delectationem superbiæ, dulcedinis et charitatis contra delectationem, iræ vindictæ. Si ex otiositate, quæ reipsa ad omnes malas cogitationes ingressum aperit, eas adeo fovet et incitat, cordisque desideriis omnes laxat habenas, in assidua occupa-

tione instando. Revera, *hæc fuit iniquitas Sodomæ, otium ipsius et filiarum ejus.* Ezech. 16, v. 4. Demum, et in primis, mens die nocteque tota versetur circa divinæ revelationis objectum, nempe, circa Deum, SS. Trinitatem, Jesum Christum crucifixum, divinam ejus Matrem, circa Sanctorum vitam, circa adeo formidanda aut speranda vitæ præsentis novissima. « *Justus* enim *ex fide vivit;* » Rom. 1, v. 17 : id est, intellectus ejus circa revelatas veritates habitualiter versatur. ac secundum easdem movetur ejus voluntas. Vide n. 80, 84, 93, 97, 101, 105, 109; Tract. *de Virtute castitatis*, n. 31, 4°; 24, 26, 29, 68, 103; Tract. *de Act. hum.* n. 24[1].

§ II

De Gaudio de re mala præacta.

57. — *Quæritur* quid sit gaudium de re mala præacta, quænam ejus malitia, species, remedia?

Resp. Gaudium illud est *ipsamet delectatio morosa de re mala* cogitata et repræsentata, non uti in mente præsente, sed uti *jam præacta fuit.*

Proinde talis voluntaria delectatio non solum est per se mala, ut modo dictum est, n. 53; sed insuper eamdem habet malitiæ speciem, ac actus jam præactus, de quo præcise gaudium libere concipitur; siquidem tunc voluntas amplectitur objectum malum, quale revera fuit *antea amplexum per actum peccaminosum.*

Attamen diversa esset malitia gaudii, si quis gauderet tantum de re mala præterita *sub aliquo tantum respectu;* sic, v. g., si quis homicida gaudeat de occisione sui inimici, sed simul reprobet modum quo talem occisionem patravit,

1. Je vous dirai comme aux généraux : *Défendez les avant-postes.* C'est plus sûr; quand la guerre porte sur les derniers retranchements, et qu'il s'agit enfin de vaincre ou de mourir, on est en pleine tragédie. C'est très beau d'être sûr de soi. On en sera encore plus sûr, si on fait comme si on ne l'était pas. Il y a des malheureux qui aimaient la vertu, et qui l'avaient prouvé en plus d'une circonstance, avec un généreux courage, qui se sont oubliés un moment, et se trouvent perdus à jamais. C'est ce qu'entendaient nos aïeux, quand ils disaient : « *Ne jouez pas avec le feu..., Comme cela tient à peu de chose, la moralité des honnêtes gens!* » Jules Simon, *disc. à l'Académie*, 4 avril 1889.

patet illud gaudium non induere speciem malitiæ quam homicidium traxit ex modi circumstantiis.

Item, per se loquendo, non peccat, qui, per simplicem complacentiam, gaudet de aliquo effectu *bono* vel *indifferenti*, qui *ex peccato* secutus est, vel de aliqua circumstantia *bona* aut *indifferenti*, quæ peccatum *comitata* est, *modo gaudium illud* non sit occasio gaudendi *de ipso peccato :* quod maxime cavendum est.

Sic 1. non peccat qui cum Ecclesia delectatur, quod Adami culpa occasio fuerit Incarnationis ; 2. non peccat qui delectatur ex eo quod occasione peccati proprii fuerit correctus, humiliatus et sincere ad Deum conversus; 3. qui gaudet quod alteri ablatæ fuerint furto pecuniæ, quæ ipsi erant occasio peccandi; 4. denique qui gaudet quod, mortuo inimico, ab ejus insidiis deinceps liber sit futurus.

Ad idem gaudium de re mala præacta illicitum revocanda est *jactantia* de peccato commisso, et *displicentia* de malo, data occasione, non patrato, et etiam *tristitia* de bono peracto.

Eadem sunt remedia contra præfatum gaudium ac contra ipsam delectationem morosam, n. 56.

§ III

De Desiderio rei malæ.

58. — *Quæritur* quid sit desiderium rei malæ; quænam ejus species, malitia, remedia?

Resp. 1° Rei malæ desiderium est *actus voluntatis opus malum exoptantis* ob morosam delectationem illius operis cogitatione causatam, *ac complendam per ejusdem operis executionem.*

Unde hujusmodi desiderium continet complacentiam sive in actuali delectatione de re mala ex operis desiderati cogitatione hic et nunc causata, sive in ipso opere desiderato, ad complendam eamdem delectationem. In hoc discrepat a gaudio de re mala præacta, et a simplici delectatione de re mala ex cogitatione objecti repræsentati uti præsentis, absque complementi desiderio.

2° Tale desiderium est absolutum, vel conditionatum.

Si prius, adest hic et nunc intentio id exequendi; si posterius, opus malum non optatur, nisi posita conditione quadam. Porro,

In *absoluto* desiderio rei malæ adest malitia sive morosæ delectationis de re mala, quam supponit uti immediatam causam, sive ipsius operis externi in se desiderati, juxta illud : « Omnis, qui viderit mulierem *ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* » Matth. 5, v. 28. Idem colligitur ex præcepto *non concupisces*, quo prohibetur omnis affectus pravus. Aliunde, turpe est et inhonestum desiderare, quod facere non licet; atque prava desideria sunt immediata causa et initium omnium pravorum operum.

Conditionatum desiderium rei malæ non est peccatum quando ipsa conditio hic et nunc *impedit veram et proprie dictam voluntatem desiderium exequendi*, data facultate et oportunitate; v. g., si non esset infernus, occiderem talem inimicum; si superbia non esset illicita, ab ea non abstinerem. Porro, in his et similibus adjunctis, non adest verum et actuale desiderium patrandi malum. sed tantum propensio et inclinatio naturalis in opus malum, ita ut sensus sit : « Si non timerem Deum, vel nisi me retineret peccati timor, in illud opus impenderem; sed nolo propter Deum. » Quæ igitur propensio non est peccatum; imo sic efficaciter repressa, actus est virtutis. Et tamen, si hujusmodi desideria seu velleitates frequenter admittantur et renoventur, voluntatis habitualiter et etiam actualiter peccaminosæ indicium et affectus merito suspicatur, nec longe abest periculum complacentiæ et desiderii practici.

Conditio autem ex ultimo fine seu ex ipso Deo non desumpta, sed ex aliquo contingenti, non excludit omnem desiderii malitiam, sed sub aliquo respectu tantum; v. g. : « Si non essem sacerdos, tale furtum committerem; » patet conditionem sacerdotis excludere in casu circumstantiam aggravantam, non vero ipsius furti desiderium.

3° Desiderium rei malæ specificatur ex objecto externo desiderato, Tale enim desiderium in hoc objectum sicut in finem et terminum tota virtute tendit : porro actus moralis ex proprio fine in primis suam speciem desumit, ex dictis

in Tract. *de Act. hum.*, n. 39; ergo illud desiderium ex objecto externo desiderato specificatur, juxta omnes. Sic, qui desiderat furtum in loco sacro perpetrare, eo ipso vult non solum furtum, sed et sacrilegium. Unde in confessione varias hujusmodi species desiderii declarandæ sunt.

4° Remedia contra desiderium rei malæ eadem sunt, ac pro delectatione morosa, n. 56.

ARTICULUS II

De Peccatis ex Ignorantia, Infirmitate et Malitia.

64. — *Quædam sunt peccata ex ignorantia, quædam ex infirmitate, et quædam ex malitia.*

Etenim omne peccatum committi potest, vel 1. ex plena electione et libertate voluntatis, absque ignorantia in intellectu, et sine passione in appetitu sensitivo, et tunc adest peccatum ex malitia, de quo dicitur Job 34, v. 37 : *Quasi de industria recesserunt ab eo* (a Deo.) Vel 2. committitur peccatum propter ignorantiam, eam tamen vincibilem et culpabilem, de qua Act. 3. v. 17, dicitur : *Scio quia per ignorantiam fecisti :* et I Tim. 1. v. 13 : *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci.* Vel 3. denique committitur aliquod peccatum propter passionem aliquam, quæ si abesset, non fieret peccatum; unde Daniel 13, v. 56, dicitur : *Concupiscentia subvertit cor tuum :* et hoc dicitur peccatum ex passione seu infirmitate, quia passiones sunt veluti animæ ægritudines.

Peccatum ex infirmitate per quamdam accommodationem dicitur esse contra Deum Patrem, cui appropriatur potentia. Peccatum vero ex ignorantia dicitur esse contra Filium, cui appropriatur sapientia. Denique peccatum ex malitia dicitur esse contra Spiritum Sanctum, cui appropriatur bonitas.

Hoc posito, superest solum ut de singulis illis dicamus quod magis notatu dignum est.

65. — Statuitur 1° : *Peccatum ex malitia inter illa tria peccatorum genera est gravissimum;* quia cum plena libertate fit. Notum enim est libertatem in homine duobus mo-

dis minui vel tolli posse, scillicet vel ex parte intellectus, et id facit ignorantia; vel ex parte appetitus sensitivi, et id facit passio : si igitur absit ignorantia et passio, erit peccatum ex plena electione et mera voluntatis malitia, quod nullam excusationem meretur.

66. — Hinc ad peccata ex malitia revocantur omnia, quæ insignem et manifestam continent nequitiam, ut sunt ea quæ in cœlum clamare, seu ultionem a Deo veluti postulare dicuntur, scilicet, homicidium voluntarium, sodomia, oppressio pauperum et defraudatio mercedis operariorum. Item ad peccata ex malitia revocantur sex peccata, quæ specialiter esse dicuntur contra Spiritum Sanctum, eo quod contemnant et rejiciant id, quo Spiritus Sanctus hominem a peccato revocare solet : præsumptio de misericordia divina et impunitate peccati, desperatio, impugnatio agnitæ veritatis, gratiæ fraternæ invidia, obstinatio, et impœnitentia. Denique ad illud genus peccati revocantur omnia peccata quæ fiunt ex habitu, et consuetudine voluntarie acquisita et non retractata.

67. — Statuitur 2° : *Peccatum ex infirmitate tunc solummodo tale dicitur, quando passio antecedit voluntatem,* ipsamque excitat et movet, ac veluti extorquet ejus consensum; nam, si sit passio consequens, et ab ipsa voluntate libere excitata, ut promptius et ferventius peccare possit, non minuet, sed augebit voluntarium, neque peccatum inde consequens erit tantum peccatum ex passione, sed ex malitia.

Passio autem antecedens duplici modo trahere potest voluntatem ad peccatum : 1. trahendo, seu divertendo voluntatem a consideratione honestatis vel inhonestatis objecti, efficiendo scilicet ut intellectus simul cum imaginatione sic applicetur ad considerationem vehementem objecti sensibilis, ut levissime et aliquando etiam nullatenus apprehendat honestatem vel inhonestatem hujus objecti; 2. alliciendo, inclinando, trahendo, ac veluti suo pondere rapiendo voluntatem ad sequendam inclinationem appetitus sensitivi in objectum sensibile et rationi contrarium; uter-

que autem hic modus exprimitur postremis verbis hujus sententiæ S. Jacobi Epist. 1, v. 14 : *Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus.* Tract. *de Act. hum.* n. 21-24.

68. — Statuitur 3° : *Ignorantia invincibilis excusat ab omni peccato, non solum a tanto, sed etiam a toto, saltem secundum quod invincibiliter ignoratur in actu.* Cum, v. g., quis cum hujusmodi ignorantia interficit hominem, ignorans invincibiliter esse Sacerdotem, hic a sacrilegio excusabitur, quamvis non ab homicidio. Et hæc doctrina intelligi debet de omni ignorantia invincibili, non solum si sit ignorantia facti, sed etiam si sit ignorantia juris, sive positivi, sive etiam naturalis.

Sed ignorantia vincibilis non excusat a peccato, saltem a toto, cum sit voluntaria ratione negligentiæ. Imo, *si ignorantia vincibilis sit affectata et directe volita, non excusat ullatenus a peccato,* neque a toto, cum non tollat voluntarium, neque etiam a tanto, cum tunc non minuat, sed augeat voluntarium. *Si vero sit tantum indirecte volita,* vel provenit ex magna et notabili negligentia, diciturque negligentia crassa seu supina et lata, tunc minuet quidem voluntarium et peccatum, sed non tollet ab eo malitiam gravem et mortalem : vel provenit ex parva et levi negligentia, non adhibendo eam omnem diligentiam, quam studiosiores solent afferre, et tunc dicitur ignorantia levis aut levissima, quæ minuet peccatum, tollendo ab eo gravem malitiam. Tract. *de Act. hum.*, n. 17-20.

ARTICULUS III

De Peccatis commissionis et omissionis.

Circa peccata commissionis et omissionis tria imprimis quæri possunt : 1° utrum dentur; 2° quando committantur; 3° quomodo sint in confessione declaranda.

69. — 1° *Omnia peccata vel sunt commissionis, vel omissionis,*

Nam, ut ait S. Aug., tota justitiæ ratio est ut declinantur

mala, et fiant bona : ideo omnis lex vel est negativa et prohibet malum, vel affirmativa et præcipit bonum; cum igitur omne peccatum sit transgressio legis seu præcepti, sequitur omne peccatum vel esse commissionem mali contra præceptum negativum, vel omissionem boni contra præceptum affirmativum, per quod bonum faciendum præcipitur. Hinc peccatum commissionis definitur : transgressio legis præcepti directe et per se negativi: peccatum omissionis definitur : transgressio legis seu præcepti directe et per se affirmativi.

Porro hæc est differentia inter commissionem mali et omissionem boni, quod omissio non sit semper illicita, sed solum pro eo tempore, quo urget præceptum affirmativum, ita ut peccatum omissionis sit proprie carentia actus ex præcepto debiti, quo tali tempore, quo urget præceptum affirmativum; at vero commissio mali semper est illicita, quia præceptum negativum semper et pro omni tempore obligat ad non faciendum malum prohibitum.

70. — 2° *Peccata commissionis et omissionis non solum imputantur ad culpam, quando exterius libere fiunt et consummantur, et quando habetur eorum volitio; sed etiam quando voluntarie ponitur causa, unde probabiliter esse secutura prævidentur, etiamsi de facto postea per accidens non inveniant, neque exterius consummentur.* Constat satis ex iis quæ superius dicta sunt.

Observandum circa omissionem quod, quamvis disputent Theologi an, absolute loquendo, possit esse aliqua omissio pure libera, sine ullo actu voluntatis, omnes consentiunt tamen illam adesse, saltem communiter et ordinarie, cum aliquo actu, qui sit ejus causa : v. g., nemo libere omittit audire Missam, nisi vel quia vult expresse omittere Missam per aliquem actum voluntatis, et ita fit ordinarie, vel quia vult exercere aliquam actionem incompossibilem, v. g., ludere, studere. Jam vero hic actus, sive internus, sive externus, licet per se sit bonus aut indifferens, accipit tamen aut participat malitiam omissionis, cujus est causa, et ideo est verum peccatum omissionis formaliter et moraliter, quamvis materialiter et physice non sit omissio, sed potius commissio, sicut consilium vel jussio homicidii habet malitiam homicidii, quamvis materialiter et physice non sit homicidium,

71. — 3° *Non est ordinarie necesse in confessione præter omissionem accusare actum, qui fuit ejus causa;* ratio est, quia hic actus est unum specie et numero peccatum cum ipsa omissione : unde confitendo omissionem, peccatum sufficienter declaratur.

Dixi : *ordinarie*, quia declarandus erit talis actus, si specialem et propriam habeat malitiam, vel ex objecto, ut si quis omittat Sacrum ex intentione furandi aut se inebriandi, vel ratione finis ultimi qui in eo constituitur, ut si quis omittat Sacrum ex inordinato amore studii supra Deum.

ARTICULUS IV

De Peccatis carnalibus et spiritualibus, et contra Deum, proximum et ipsum peccantem.

72. — 1° *Peccata recte dividi possunt in carnalia et spiritualia.*

Etenim dicitur : *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus.* I Cor. 7, v. 1.

Revera omnia peccata vel in carne consummantur, et habent pro objecto carnalem aliquam delectationem, ut peccata gulæ et luxuriæ; vel non in carne, sed in anima, neque habent pro objecto carnalem delectationem, sed solum spiritualem, ut peccata superbiæ et invidiæ. Porro, si prius, dicuntur peccata carnalia; si posterius, vocantur peccata spiritualia. Hinc S. Gregorius dixit ex septem capitalibus vitiis esse carnalia duo, quinque vero spiritualia.

Cæterum peccata carnalia, quantum ad infamiam et adhæsionem ad creaturam, sunt aliis majora; graviora autem sunt spiritualia, quantum ad aversionem a Deo.

73. — 2° *Omnia peccata sunt specialiter vel contra Deum, vel contra proximum, vel contra ipsum peccantem.*

Nam nullum est peccatum quod non sit vel contra virtutes quæ nos *specialiter ordinant ad Deum*, ut sunt fides, spes, charitas, religio; vel contra virtutes quæ nos specialiter *perficiunt in ordine ad proximum*, ut charitas et justitia; vel denique contra virtutes quæ nos specialiter *perficiunt in ordine ad nos;* quales sunt temperantia et fortitudo.

Igitur omne peccatum vel est specialiter contra Deum, vel contra proximum, vel contra ipsum peccantem.

ARTICULUS V

De Peccatis capitalibus.

74. — *Quæritur* 1° quid sit peccatum *capitale?*

Resp. Capitale peccatum illud est, *propter quod multi patrantur actus peccaminosi;* et ita fit causa seu fons aliorum peccatorum, ad hæc movendo, sicut caput movet alia membra. Sic, v. g., propter superbiam, homo non solum elicit innumeros actus amoris vitiosi erga seipsum, sed et ad alia peccata inducitur, ut sunt actus inobedientiæ, hypocrisis, pertinaciæ, etc. Unde *vitia* potiusquam peccata proprie dicta nuncupanda sunt, si in genere considerentur capitalia peccata.

Equidem nullum est vitium, quod directe vel indirecte ad plura peccata non inducat, et quod proinde non sit *capitale*. Ea tamen sola sic nuncupant Theologi, quæ versantur circa res, quibus insunt *primariæ quædam rationes movendi appetitum*. S. Th. 1, 2, q. 84, a. 1.

Peccata igitur capitalia non sunt eo ipso mortalia. Aliud est enim esse mortale, et aliud esse causa aliorum peccatorum,

75. — *Quæritur* 2° quotnam sint peccata seu vitia capitalia?

Resp. Septem ordinarie numerantur, scilicet, *Superbia, Gula, Luxuria, Avaritia, Acedia, Invidia, Ira.*

Et vero, homo peccat vel bonum inordinate appetendo, vel ab ipso bono inordinate se avertendo propter aliquod malum adjunctum, vel malum prosequendo propter bonum reale aut apparens conjunctum.

Porro 1. bonum, quod homo inordinate optare potest, triplex est, nempe, bonum *animæ*, quod sola apprehensione mentis rationem habet appetibilitatis, sicut excellentia laudis vel honoris, et hoc inordinate persequi *Superbia* est. *Bonum corporis*, quod vel pertinet ad conservationem *indi-*

vidui sicut cibus et potus, et hoc inordinate prosequitur *Gula;* vel pertinet ad conservationem *speciei*, et ad hoc inordinate tendit *Luxuria*. Tandem *Bonum exterius*, scilicet, *divitiæ*, et his inordinate adhæret *Avaritia*.

Eadem quatuor vitia inordinate fugiunt quatuor opposita, scilicet, contemptum vel oblivionem, esuriem et sitim, continentiam, et tandem paupertatem.

2. Tripliciter etiam homo bonum ipsum inordinate aversatur propter aliquod *malum conjunctum*, vel malum prosequitur *propter bonum* reale aut apparens conjunctum, scilicet, respectu *boni proprii*, quando tristatur de bono spirituali propter laborem corporalem adjunctum, et tunc est *Acedia;* respectu boni *alieni*, quando quis tristatur de bono alterius, in quantum est impedimentum propriæ excellentiæ, et tunc est *Invidia;* denique quando quis inordinate insurgit in alterum, ad repellendum quod sibi noxium est, aut ad vindictam injuriæ acceptæ, et tunc est *Ira* (S. Th. 1. 2, q. 85, a. 4).

Quæ vita S. Gregor. vocat « *exercitium diaboli*, cui ut regina quædam imperat superbia; » *Moral* 31, c. 15. Eadem capitalia peccata recensent omnes Theologi, etsi non eodem ordine exponant.

Patet septem illa vitia ex unico generali vitio originem trahere, nempe, ex *amore sui inordinato*, quo quis suam reponit beatitudinem non in Deo, sed in honoribus per superbiam, in voluptatibus carnis per gulam et luxuriam, in divitiis per avaritiam, in otio et fuga laborum per acediam; et consequenter invidet irasciturque proximo suo, quando illum reputat suæ felicitati obstaculum afferre aut protulisse.

Cujusque illorum vitiorum breviter exponemus naturam, gravitatem, filias et remedia.

§ I

De Superbia.

76. — *Quæritur* 1° quid sit superbia, et quotuplex?

Resp. Superbia, a vocibus *super velle*, id est, super velle

videri quam quis est, S. Th. 2, 2, q. 162, a. 1, definitur : *amor inordinatus propriæ excellentiæ.*

Dicitur 1 : *amor* seu appetitus, desiderium, complacentia voluntaria; unde hujus vitii subjectum proprium est voluntas.

Dicitur 2 : *inordinatus* seu rationi contrarius; hoc enim habet ratio recta, ut voluntas uniuscujusque feratur in id, quod est proportionatum sibi : superbus autem vult supergredi, quod est; et ideo talis voluntas est rationi contraria seu inordinata.

Dicitur 3 : *excellentiæ*, id est, valoris personalis aut meriti, ratione cujus æstimationem et honorem ut bonum sibi debitum quis vindicat.

Dicitur 4 : *propriæ*, non alienæ; unde, si quis appetat excellentiam alterius, absque respectu ad seipsum, non erit eo ipso superbus.

Duplex est superbia, *perfecta* et *imperfecta*. Prior ea est, *qua quis bona, quæ a solo Deo habet gratuito, æstimat a semetipso habere, vel pro suis meritis accepisse*, ac proinde *independentiam* affectat tum a Deo, tum ab humanis superioribus, qui sunt divinæ auctoritatis ministri.

Posterior est ea, *qua quis agnoscens quidem se omnia Deo debere, cæteris plus æquo se effert*, vel bona, *quæ vere non habet, arrogat sibi*, sive in sua, sive in aliorum opinione, aut *in iis nimium complacet*. S. Th. 2, 2, q. 162, a. 4.

77. — *Quæritur* 2° quale peccatum sit superbia?

Resp. 1. Superbia *perfecta* est peccatum mortale *ex genere suo*, juxta illud Prov. 8, v. 13 : *Arrogantiam et superbiam detestor*. Ratio est, quia repugnat justitiæ, et charitati Dei, qui per superbiam contemnitur; unde Apostolus, Rom. 1, v. 20, 32, de *superbis et elatis* ait : *Qui talia agunt, digni sunt morte;* et in Prov. 16, v. 5 : *Abominatio Domini est omnis arrogans.*

2. Superbia *imperfecta* est solum venialis *ex genere suo* quia charitati non graviter repugnat : fit tamen mortalis, si adsit gravis superiorum contemptus, vel grave proximi

detrimentum, v. g., si quis propriam excellentiam quærat per proximi detractionem, aut calumniam.

3. Superbia *perfecta* est peccatorum omnium *gravissimum*, si spectatur ratione *aversionis a Deo*.

Etenim aversio a Deo, quæ ad alia peccata spectat *ex consequenti* tantum, *per se* ad superbiam spectat, ut docet S. Thom. 2. 2, q. 162, a. 6, dicens : « In aliis peccatis homo a Deo avertitur, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, sive propter desiderium cujuscunque alterius boni. Sed superbia habet aversionem a Deo, ex hoc ipso quod non vult Deo, vel ejus regulæ subjici. » Ratio est, quia superbia perfecta in eo consistit, quod quis ita extollatur, ut Deo et superioribus a Deo constitutis eorumque legibus nolit subjici.

4. Superbia omnium peccatorum est *initium*, juxta illud Eccli. 10, v. 15 : *Initium omnis peccati est superbia;* et illud D. Aug. Serm., *in Ps.* 18 : « Non est majus peccatum quam apostatare a Deo, quod est initium superbiæ hominis. » Quare idem S. Doctor in expositione in eumdem Psalmum dicit : « Magnum hoc delictum est, et caput et causa omnium delictorum. Scriptum est enim : *Initium omnis peccati superbia.* »

Unde superbia est *primum peccatum* in triplici sensu : 1. quia illud vitium est primum in nobis nascens, et ultimum moriens; 2. quia est fons et origo cæterorum peccatorum; nullum enim existit peccatum, quod non contineat superbiam, id est, aliquam a Deo impendentiam et contra eum rebellionem; 3. tandem quia primum fuit peccatum commissum, tum ab Angelis, qui, superbia dæmones facti sunt; tum a protoparente, qui, ut similis Deo fieret, fructum prohibitum comedit.

5. Superbia est vitiorum omnium *periculosissimum*, 1. quia est in homine quasi *secunda natura*, et cum *incessanter* inclinat; 2. quia in ipsas virtutes grassatur, et ex bonis operibus data occasione nascitur : unde a S. Isidoro, lib. 11 *Sentent.*, c. 38, vocatur, *ruina omnium virtutum;* et de ea S. Aug. *Epist.* 211, dixit : « Alia quæcumque iniquitas in malis operibus insidiatur, ut pereant. » Ideo justi

perpetuo vigilare debent, ne in suis actibus obrepat superbia; quæ ex eodem D. Aug. *Epist.* 118, « etiam in recte factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. »

Et hoc verum est, proportione habita, de ipsa *superbia imperfecta*, quæ multorum malorum causa fieri potest, ut ex mox dicendis patebit.

78. — *Quæritur* 3° quæ et quot filiæ superbiæ?

Resp. Tres recensentur, scilicet *præsumptio, ambitio*, et *vana gloria*. Et vero superbus, qui inordinate appetit propriam excellentiam, naturaliter confidit in suis viribus quas facile majores, quam sunt, æstimat; naturaliter etiam exoptat dignitates, quas sibi pro merito deberi putat, et in quibus clarescere poterit ejus excellentia; tandem naturaliter optat, ut illa excellentia cæteris innotescat, ut exinde confirmetur bona, quam habet de se, æstimatio. Porro

1° *Præsumptio* est *inordinatus appetitus aliquid, quod vires proprias superat, aggrediendi.*

Est mortalis, 1. cum ex ea imminet periculum Deo injuriam inferendi : sic peccavit mortaliter Lucifer cum dixit : *Similis ero Altissimo;* 2. cum ex ea imminet periculum sibi ipsi aut proximo damnificandi : sic peccat mortaliter, qui sine sufficienti scientia, præsumit exercere, aut quærere offficium Medici, Superioris, Judicis, Theologiæ Professoris, etc.; 3. cum ex ea imminet grave periculum peccandi, v. g., dum quis suam cognoscens ad venerea proclivitatem, feminarum se conversationi, absque necessitate, ingerit, in quibus suam sæpe expertus est fragilitatem.

2° *Ambitio* est *inordinatus bonorum et dignitatum appetitus.*

Est *per se* tantum venialis. Fit tamen mortalis, 1. *ratione affectus mortaliter illiciti;* ut si quis mallet peccare mortaliter, quam honorem aliquem non adipisci, vel amittere. 2. *Ratione medii graviter mali;* ut si quis quærat honorem per detractionem de competitore. 3. *Ratione finis*, ut si quis appetat honorem et dignitatem, ut graviter nocere possit inimicis. 4. *Ratione damni proximo inferendi;* ut si

quis appetat officium Judicis carens scientia competenti. — *Vana gloria* est *inordinatus laudis humanæ appetitus.* Dicitur *vana* vel ex parte rei, de qua quis gloriam quærit, puta cum quis quærit gloriam de eo quod non est gloria dignum, sicut de aliqua re fragili et caduca; vel ex parte ejus, a quo quis gloriam quærit, v. g., hominis, cujus judicium non est certum; vel ex parte ipsius, qui gloriam quærit, qui, videlicet, appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, nempe ad honorem Dei, vel proximi salutem[1].

79. — Vana gloria habet etiam suas filias numero septem, scilicet, *jactantia, inventio novitatum, hypocrisis, pertinacia, discordia, contentio, inobedientia,*

Revera, vitia, quæ de se nata sunt ordinari ad finem alicujus vitii capitalis, dicuntur filiæ ejus : porro, cum finis vanæ gloriæ sit manifestatio propriæ excellentiæ, ad hoc homo tendere potest directe, vel indirecte.

Et quidem *directe,* sive per verba, stulte propriam excellentiam prædicando, et sic est *jactantia;* sive per facta, et sic, si vera sint, habentia aliquam admirationem, est *inventio* seu *præsumptio novitatum*, quas homines solent magis admirari, v. g., quando aliquis novitates præsumit excogitare sive in opinionibus, sive in modo loquendi, sive in cibis aut vestibus, et his sibi proposuit sui admirationem apud alios excitare. Si facta falsa sint, est *hypocrisis* quæ propterea dicitur *mendacium facti.*

Indirecte autem, ostendendo se non esse alio minorem, et hoc quadrupliciter, nimirum, quoad *intellectum* per *pertinaciam*, per quam homo innititur suæ sententiæ, nolens credere sententiæ meliori; quoad *voluntatem,* per *discordiam,* dum non vult a propria voluntate discedere, ut aliis concordet; quoad *locutionem,* per *contentionem,* cum aliquis

1. « A voir comme les hommes aiment la vie, pourrait-on soupçonner qu'ils aimassent quelque autre chose plus que la vie, et que la gloire qu'ils préfèrent à la vie, ne fût souvent qu'une certaine opinion d'eux-mêmes, établie dans l'esprit de mille gens, ou qu'ils ne connaissent point, ou qu'ils n'estiment point? » La Bruyère, *Des Jugements.*

verbis clamose contra alium litigat; quoad *factum*, per *inobedientiam*, cum aliquis non vult exsequi superioris præceptum, quatenus præceptum est. S. Th. 2. 2, q. 132, a. 3.

Jam vero vana gloria est mortalis, si quis gloriam quærat ex re mortali, v. g., fornicatione, duello, etc.; vel si in gloria humana ponatur finis ultimus. Alias est solum venialis, cum ex se non repugnet essentialiter charitati erga Deum et proximum.

Jactantia est per se venialis; mortalis vero, si charitati Dei et proximi sit graviter contraria, qualis fuit jactantia Pharisæi dicentis : *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri*, etc. Luc. 18, v. 11.

Inventio novitatum est per se venialis; fit tamen mortalis ratione circumstantiarum, nempe, si fidei, bonis moribus, vel pudicitiæ adversetur; si pariat scandalum, vel grave damnum proximo.

Hypocrisis eadem ratione venialis aut mortalis est, prout scilicet graviter aut leviter repugnat charitate Dei vel proximi.

Pertinacia est solum venialis *per se;* fit tamen mortalis, quando est contra honorem Dei, vel bonum grave proximi.

Discordia et *contentio* sunt per se peccatum mortale, sicut et alia peccata contra charitatem; unde, ad Galat. 5, v. 20, contentiones et dissensiones numerantur inter opera carnis a regno Dei excludentia.

Inobedientia gravis est, si violetur præceptum superioris ex contemptu, seu quatenus præceptum. Tunc enim ipsamet auctoritas contemnitur.

80. — *Quæritur* 4° quænam sint superbiæ *remedia?*

Resp. Inter innumera, hæc afferri solent : 1. *notitia sui;* vix enim possibile est, ut sibi ipsi non vilescat, qui defectus suos tum *physicos*, tum *morales*, sincere coram Deo pensabit.

2. Diligens inspectio brevitatis eorum, quibus mens superbire solet; nam quicunque sis, *pulvis es, et in pulverem reverteris*. Genes. 3, v. 19.

3. Frequens meditatio spiritualium pœnarum superbiæ,

et humilitatis præmiorum; nam Matth. 23, v. 12 : *Qui se exaltaverit, humiliabitur, et qui se humiliaverit, exaltabitur.*

4. Libens cum humilibus conversatio, atque imitatio Christi, qui *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem;* quique omnibus prædicat : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*

5. Susceptio ministeriorum vilium, v. g., hospitalia visitare, pauperibus et ægrotis ministrare, infimum locum eligere, etc.

6. Consideratio *malorum* etiam *temporalium*, quæ ex superbia etiam imperfecte oriuntur, et *bonorum* quibus ditatur humilitas, privatur autem superbia.

§ II

De Gula.

81. — *Quæritur* 1° quid sit *gula?*

Resp. Gula est *inordinatus appetitus cibi et potus. Appetitus* quidem, eo quod non solum inordinata comestio, sed etiam desiderium inordinate comedendi et bibendi est vitiosum.

Cibi et *potus*, ut indicetur proprium objectum hujus vitii, cujus actus *comessationes* vocantur, et sic gula differt ab ebrietate, cujus malitia maxime provenit ex perturbatione rationis, quam causat, et ex specialibus effectibus.

Demum *inordinatus*, ita ut quis sumat cibum aut potum præcise ob delectationem, vel propter concupiscentiam cibi delectabilis, scienter excedat mensuram in edendo aut bibendo.

Porro inordinatio illius concupiscentiæ ex duplici parte evenire potest, scilicet vel ex parte cibi aut potus, vel ex parte ipsius sumptionis. Ex parte *cibi* aut potus quoad substantiam seu speciem, si quærat aliquos cibos *lautos*, id est pretiosos : quoad qualitatem, si quærat cibos nimis accurate præparatos, id est, *studiose;* quoad quantitatem, si excedat *nimis* in edendo.

Ex parte *sumptionis* ipsius, si, ob concupiscentiam, præveniat tempus comedendi, quod est *præpropere* comedere; vel si non servet modum debitum comedendi, quod est

ardenter comedere aut bibere. Quinque illi inordinationis modi sequenti versiculo continentur :

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

82. — *Quæritur* 2° *quale* peccatum sit gula?

Resp. Gula simpliciter est peccatum ex genere suo mortale. Nam S. Paulus non solum ebrietatem, sed et commessationes recenset inter opera, quæ excludunt a regno cœlorum. Attamen, ut gula sit peccatum mortale, requiritur, quod quis delectationi gulæ inhæreat tanquam fini, atque adeo paratus sit contra præcepta Dei agere, ad hujusmodi delectationem assequendam.

Unde peccatum veniale est, si quis non ita delectationes ciborum concupiscit, ut propter hoc faceret aliquid grave contra legem Dei. Tunc enim non contrariatur charitati Dei.

Ex circumstantiis gula potest etiam fieri mortalis, scilicet : 1. dum homo, ob gulam, impotens fit ad munia sua obeunda, debita solvenda, familiam sustentandam, gravem necessitatem patienti opitulandum, etc. 2. Dum ob eamdem versatur in periculo sanitatem corporis et animæ amittendi. 3. Ratione scandali, vel periculi graviter peccandi.

Eadem, cum proportione, sunt dicenda de potu nimio, independenter ab ebrietate consummata, de qua infra.

Controvertitur autem an sit mortale comedere et bibere usque *ad vomitum*, præcluso scandalo ac gravi damno. Negant Salmanticenses, Navarrus et alii, quia, inquiunt, in tali casu adest simplex peccatum gulæ, de quo jam diximus quod sit *per se leve*. Sed communius affirmant Theologi post S. Antoninum, et S. Augustinum, qui Serm. 294, ait : « Frequenter usque ad vomitum ingurgitare se non erubescunt... pejores animantibus judicandi sunt...; atque utinam vel potum tantummodo perderent, et non etiam ipsi perirent! » Et revera, si quis ob solam voluptatem se ingurgitet cibo et potu usque *ad vomitum*, aut vomitum excitet, ut *iterum ad voluptatem edat*, ille graviter offendit naturam rationalem, et plus quam bestialiter agit, ut loquitur S. Augustinus.

83. — *Quæritur* 3° quænam sint *filiæ* gulæ?

Resp. Quinque sunt, nempe *hebetudo mentis, inepta lætitia, multiloquium, scurrilitas* et *immunditia*. Etenim filiæ illius vitii accipi possunt ex parte animæ, vel ex parte corporis. Ex parte animæ, quadrupliciter : scilicet, quoad *rationem*, cujus acies *hebetatur* ex immoderatione cibi et potus, sicut e contrario abstinentia confert ad sapientiæ perceptionem : « Cogitavi in corde meo abstrahere *a vino* carnem meam, *ut animum meum transferrem ad sapientiam.* » Eccl. 2, v. 3.

Quoad *appetitum*, qui deordinatur per *lætitiam ineptam*, qua, videlicet, homo gaudet de illis, quæ nullam delectationem ex se nata sunt causare secundum judicium rectæ rationis : *Vinum omnem mentem convertit in securitatem et jucunditatem;* III Esdræ, 3, v. 20.

Quoad *verbum*, quod fit immoderatum seu *multiloquium*.

Quoad *actum*, qui se exerit per *scurrilitatem* seu jocularitatem quamdam provenientem ex defectu rationis, quæ, sicut non potest cohibere verba, ita nec potest cohibere exteriores gestus.

Ex parte corporis, ponitur *immunditia* sive impuritas verborum et factorum : *luxuriosa enim res vinum.* Unde S. Hieron., Epist. ad *Ocean.* : « Venter cibo meroque distentus despumat in libidines. »

His omnibus addo corporis infirmitates : *In multis escis* erit *infirmitas*, et aviditas appropinquabit usque *ad choleram;* « Eccl. 37, v. 33. Unde axioma omnibus notum : *Plures occidit gula, quam gladius. — Gulæ pone metas, et erit tibi longior ætas.*

84. — *Quæritur* 4° quænam sint gulæ *remedia?*

Resp. Quinque assignari possunt, 1. diligens attentio *ad mala* quæ exinde sequuntur, sive ex parte mentis, sive ex parte corporis, sive ex parte familiæ, præsertim si de ebrietate agatur.

2. Fuga occasionum, scilicet, eorum hominum qui ventri dediti, ad id, quod ipsi amant, alios alliciunt.

3. Optimum erit in mense aliquid quotidie propriæ

voluptati subtrahere, et illud præsertim quod est palato gratius.

4. Præstabit meditari frequenter Dominum Jesum, qui in vita cibo vulgari usus est, et in morte, aceto et felle voluit potari.

5. Tandem meminisse oportet nihil in Scripturis frequentius commendari quam sobrietatem.

85. — *Quæritur* 5° quid de *ebrietate* tenendum?

Resp. 1. Ebrietas *est excessus voluntarius in potu, usque ad rationis privationem.* Dicitur voluntarius, sive *expresse*, ut quando quis directe vult sese inebriare; sive *indirecte*, ut dum quis vult bibere quantum potest, non curans de ebrietate secutura, vel advertere cum possit ac debeat proximam et imminentem ebrietatem, nihilominus bibere non desistit.

2. Tres sunt ebrietatis gradus. *Primus*, dum ipsa non pervenit nisi ad quamdam rationis obnubilationem. *Secundus*, dum non pervenit nisi ad organorum turbationem et cordis aggravationem. *Tertius*, dum pervenit ad rationis subversionem.

3. Ebrietas *in primo gradu* est *de se* peccatum veniale tantum, nisi ex circumstantiis fiat mortalis. *In secundo gradu*, longe gravior et sæpe mortalis est, dum scilicet notabilis fit organorum disturbatio et cordis aggravatio. *In tertio* autem *gradu, mortalis est ex toto genere suo.* Etenim Isai. 5, v. 2, dicit : *Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum, usque ad vesperam!* atqui particula, *væ*, indicat peccatum gravæ. S. Paulus. ad Gal. 5, v. 21, ebrietatem recenset inter opera, quæ a regno cœlorum excludunt. « Ubi ebrietas, ibi diabolus; » ait S. Chrys. *Homil.* 57.

Revera, per ebrietatem, homo violenter se privat usu rationis, et ea utendi *proxima potestate*, quæ est præstantissimum in homine bonum, et jus naturale, de quo nemo cedere potest, nisi gravem injuriam naturæ suæ inferendo. Insuper ebrietas hominem brutis animantibus inferiorem reddit, impellit ad turpia, et ex ea plerumque sequitur de-

formitas actionum, gestuum, et motum corporis, cum summo humanæ dignitatis dedecore.

86. — Hinc 1. ebrietas, omnibus graviter prohibita, majori adhuc vituperio digna est in feminis, qui majori periculo se exponunt; item in Clericis, in Religiosis, et in iis omnibus, quibus aliorum cura incumbit, ratione sequentis inde scandali.

87. — Hinc 2. lethaliter peccant, qui quocunque motivo amicos ad bibendum incitant, præscii eos ad ebrietatem esse perducendos; etenim digni sunt morte juxta Apostolum, non solum qui talia faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

88. — Hinc 3. si quis advertenter sumat tantam vini quantitatem, quæ sit apta ad ebrietatem producendam, non excusabitur a mortali, etiamsi, antequam sensibus destituatur, somno se tradat, atque vini vim effugiat. Tunc enim potatio est de se intrinsece mala, cum de se apta sit ad privandum hominem usu rationis, et non sit nisi per accidens, quod ipse per somnum sensibus destituatur.

Item peccant graviter qui die noctuque potantes, ebrietatis periculo se exponunt; item qui experti se inebriari in certis consortiis, tamen adhuc in iis versantur; item qui prætextu patrii moris, aut boni affectus, convivas urgent, ac quasi ad bibendum necessitant, cum certo ebrietatis periculo; secus, si tantum liberalior potus offeratur. Ita communiter Theologi.

89. — Hinc 4. cum ebrietas perfecta mala sit intrinsece, nullo prætextu potest *directe intendi* et nequidem ut medium ad aliud bonum, v. g., ad operationem chirurgicam; non enim *facienda sunt mala, ut eveniant bona.*

Non tamen damnatur praxis medicorum, qui *opium* exhibent sensus sopiendi causa : et idem dicendum videtur de æthere aspiratione hausto, quo fit ut tanto sopore obtorpescant nervi, ut infirmus dolorosissimas atque importabiles chirurgicas operationes sustinere possit, quin vel minimam molestiam patiatur, imo quin vel *ipsos sensus*

amittat. Ita communiter recentes Theologi, qui de hoc miro invento loquuntur. (+ This is not so. — vide Lehmkuhl. —

Cæterum facile intelligitur status hujusmodi vel somni, vel insensibilitatis nervorum, multum ab ebrietate differre. Etenim, in uno casu adest *simplex suspensio* actuum rationis et motuum corporis, vel sensibilitatis physicæ, remanente potentia ratiocinandi proxima; sine ulla deordinatione in actibus internis vel externis; in alio autem casu, scilicet in ebrietate, nec interna, nec externa activitas suspenditur, sed tantum amittitur usus rationis, qua illa regi debet; unde in obscena, ut diximus, et in noxia sibi vel aliis agenda ebrius inducitur. Adde sanitatis detrimentum, quod ordinarie ex ebrietate sequitur.

Tandem, gravitas peccatorum quæ ab ebrio committuntur, accipi debet juxta mensuram advertentiæ et voluntarietatis illorum *in causa*, scilicet in ebrietate. Unde inculpabilis est ebrietas respectu illius, qui nescit potum esse immoderatum, aut inebriare potentem, ut contigit justo Noe; et venialis esse potest in eo, qui advertit quidem potum esse paulo immoderatum, sod rationabiliter existimat non esse inebriativum.

§ III

De Luxuria.

Hujusmodi vitium sub omni respectu expendimus in speciali Tract. *de Virtute castitatis.* Hic igitur indicare tantum possumus summa capita, quæ ibidem fuse absolvuntur. Scilicet,

90. — *Quæritur* 1° quid sit luxuria, et quænam sint ejus species?

Resp. 1. Luxuria, quoad rem, est *inordinatus oppetitus* et *usus venereorum.*

2. Duplex est generalis species luxuriæ respectu virtutis castitatis, cui opponitur, nempe, *extra conjugalis,* seu opposita castitati relativæ in matrimonii statu servandæ.

Luxuria autem contra castitatem absolutam est interna vel externa.

Luxuria *interna* triplex est, nemper, vel inordinata *delectatio morosa* de re venerea, vel inordinatum *gaudium* de eadem re præacta, vel inordinatum *desiderium* de re eadem, n. 52, 57, 58.

Externa luxuria est vel non consummata, vel consummata.

Non consummata luxuria externa consistit in turpi *osculo* et *amplexu*, in turpi *tactu*, in turpi *aspectu* et *ornatu*, in turpi *auditu* per sermonem, lectionem, auditionem.

Consummata luxuria extra matrimonium, si sit secundum naturam, fit per simplicem *fornicationem* vel transitoriam, vel habitualem seu *concubinatum, vel publicam* seu meretricium; aut per fornicationem implicatam *stupro, raptu, incestu, sacrilegio.*

Si sit contra naturam, fit per *pollutionem, sodomiam, bestialitatem.*

Luxuria contra castitatem *conjugalem*, est etiam *interna*, vel *externa*, ut modo dictum est; sed prædictis peccatis addit violationem *juris alterius conjugis* et *adulterii* speciem cum propriis consectariis.

91. — *Quæritur* 2° an luxuria ex genere suo sit *graviter mala?*

Resp. Affirmative. Hoc de luxuria interna generatim probatum est, n. 52, 57, 59. Insuper omnes luxuriæ species sic expresse respuuntur : « Neque *fornicarii*, neque *adulteri*, neque *molles*, neque *masculorum concubitores regnum Dei possidebunt;* » I Cor. 6, v. 10. — « Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt *fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*... qui talia agunt, regnum Dei non consequentur; » Galat. 5, v. 19. — « *Fornicatio* autem et *omnis immunditia* nec *nominetur* in vobis, sicut decet sanctos; omnis *fornicator* aut *immundus*, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei; » Eph. 5, v. 3; Levit. 20, v. 15, 16. S. Th., 2. 2, q. 153, a. 3.

Revera, nihil luxuria, pro natura humana abjectius et exprobrabilius; nihil pro morum puritate periculosius; nihil pro individuo, familia et societate exitiosius et calamitosius, ex dictis in Tract. *de Virtute castitatis*, n. 9, 10, 11.

Ibidem, n. 13, 14, 15, probatum est in re venerea *directe* intenta non dari *parvitatem materiæ* excusantem a mortali peccato; sed idem peccatum fieri posse veniale vel quatenus indirecte volitum, positis ponendis, vel defectu pleni consensus.

92. — *Quæritur* 3° quænam sunt filiæ luxuriæ?

Resp. Ex D. Thom. q. 153, art. 5, sunt octo, nempe, quatuor ex parte intellectus, et quatuor ex parte voluntatis; harum enim facultatum præcipuæ operationes impediuntur ac deordinantur per luxuriam.

1. Filiæ luxuriæ, *ex parte intellectus*, sunt :

Cæcitas mentis, *qua debiti finis, quem sibi quisque in agendo præfigere debet, consideratio impeditur.*

Præcipitatio, qua impeditur consilium de mediis ad finem illum consequendum eligendis.

Inconsideratio, qua impeditur sanum de agendis judicium; luxuriosus enim ordinarie nec modum, nec statum rerum considerat.

Inconstantia, qua impeditur imperium rationis circa exsecutionem agendorum... Hæ quatuor filiæ luxuriæ sunt mortales, quando propter illas præceptum aliquod in re gravi violatur.

2. Filiæ luxuriæ, *ex parte voluntatis*, sunt :

Incredulitas, seu amissio fidei. Hoc enim malum inter frequentiores et magis exitiosos luxuriæ effectus computandum esse nimis constat ex historia et quotidiana experientia.

Affectus præsentis seculi, quo quis ita voluptatibus corporeis inhæret, ut aliam beatitudinem non quæreret, si eis semper perfrui posset. Hic Sap. 2, v. 8, 9, refertur, dicens : *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra; nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ; ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors*[1].

Horror et desperatio futuri seculi; eo quod, ex *una parte* nihil ibi luxuriosus expectet, nisi gehennam luxuriosis præparatam; *ex alia parte*, obscenas voluptates deferre, sibi quasi impossibile reputet... Hæ quatuor filiæ sunt semper mortales.

93. — *Quæritur* 4° quot sunt remedia contra luxuriam?

Resp. Sequentia vulgo assignantur : 1. *oratio fervens* ac frequens, ad implorandum divinum auxilium. *Quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det*, ait Sapiens, 8, v. 21.

2. *Custodia sensuum*, tam internorum, quam externorum; ut enim ait Jeremias 9, v. 21, *Mors intrat per fenestras*, præsertim aures, quia *corrumpunt bonos mores colloquia prava*, I Cor. 15, v. 33; et per oculos, ut dicitur, Eccli. 9, v. 5, 9 : *Virginem ne*

1. « J'ai vu dans ma vie bien des jeunes gens, et, je vous le déclare, je n'ai jamais rencontré de tendresse de cœur dans un jeune homme débauché; je n'ai jamais rencontré d'âmes aimantes que les âmes qui ignoraient le mal ou qui luttaient contre lui. » LACORDAIRE.

conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius..., propter speciem mulieris, multi perierunt : et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit; prout expertus est David, oculos conjiciendo in Bethsabee.

3. *Fuga otii*, ita ut nos semper diabolus inveniat occupatos, ne et otiositate nostra aditum ad animas nostras valeat invenire.

4. *Carnis macerationes* et *jejunia*, dicente Christo, Matth. 17, v. 20 : *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi per orationem et jejunium.*

5. *Assidua piorum librorum lectio*, munimen sanctarum cogitationum, meditatio novissimorum ; scriptum est enim, Eccli. 7, v. 40 : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.*

6. *Vitatio occasionum*, quales sunt frequentatio improborum, familiaritates inter personas diversi sexus, lectio librorum amatoriorum, etc. Nam D. Aug. ait : « Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. »

7. Optimum et probatissimum remedium pro consuetudinariis in materia venerea, ait doctor Dujardin, in lib. de Officio Sacerdotis, p. 266, *est ut pro uno eodemque semper utantur Confessario, viro docto, pio et prudenti*, ejusque monitis fideliter et constanter obtemperent. Talis enim remedia suggeret, quæ pœnitenti erunt utiliora, et huic tentationi superandæ aptiora. Vide fusius Tract. *de Virtute castitatis*, n. 24, 25, 29, 31, 4°, 68, 114.

§ IV

De Avaritia.

94. — *Quæritur* 1° quid sit avaritia?

Resp. Avaritia est *inordinatus appetitus divitiarum*, Est autem inordinatus, 1. *ratione objecti*, dum nempe aliena concupiscimus; 2. *ratione finis*, cum finem nostrum constituimus in divitiis; 3. *ratione excessus*, dum ita opes congerimus, ut nullum eis congerendis modum statuamus. Unde avarus non est, sed providus, qui divitias appetit quantum satis est ad vitam honeste transigendam, prolem educandam, familiam sustentandam, etc., quia in hoc nihil est inordinati. Qui vero divitas amat et quærit, ut illas adhibeat ad usus superfluos aut ad illicitas voluptates sibi procurandas. eas quidem amat modo inordinato, sed non vocatur avarus, bene vero cupidus, vel etiam prodigus.

95. — *Quæritur* 2° quale sit peccatum avaritia?

Resp. 1. Cum avaritia charitati vel justitiæ adversetur, est mortalis ex genero suo; nam *neque fures, neque avari, regnum Dei possidebunt*, ait Apost., I Cor 6, v. 10. Item Eccle. 10, v. 9, 10 : *Avaro nihil scelestius : nihil est iniquius quam amare pecuniam; hic enim animam suam venalem habet.* — Matth. 6, v. 24 : *non potestis servire Deo et mammonæ.*

2. Si inordinatio amoris *divitiarum* intra hoc sistat, ut scilicet homo, quamvis superflue divitias amet, non tamen præferat earum amorem amori divino, nec propter divitias velit aliquid facere contra Deum et proximum, talis avaritia est peccatum veniale. Ratio est, quia tunc potius illiberalitas quam proprie dicta avaritia censetur.

Cæterum peccatum avaritiæ est *turpissimum*, quia, ut ait S. Thom. 2. 2, q. 118, a. 5 : « Cum bonum exteriorum rerum sit infimum inter humana bona, turpius est illi subesse per avaritiam, quam subesse cæteris bonis, qualia sunt bona animæ et corporis. » Est etiam *periculosissimum*; ait enim Apost., I Tim., 6, v. 9, 10 : *Qui divites fieri volunt, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.* Insuper avari difficillime convertuntur, et vitium illud quasi roboratur homine senescente. Tandem et ipsi pauperes possunt vitio illo infici.

96. — *Quæritur* 3° quot sint filiæ avaritiæ?

Resp. Septem numerantur, scilicet, *durities cordis* erga miseros, *inquietudo* animi, *violentia, fallacia, perjurium, fraus, proditio.*

Etenim, cum avaritia sit superfluus amor habendi divitias, in duobus ideo excedit, nempe superabundat in *retinendo*, et exinde oritur *obdurati* contra misericordiam. Sed etiam superabundat in *accipiendo*, et quidem dupliciter, scilicet, quoad *affectum*, et sic ex avaritia oritur *inquietudo*, in quantum ingerit homini sollicitudinem et curas superfluas : *avarus non implebitur pecunia;* Eccl. 5, v. 9. Sed

etiam quoad *effectum*, et sic in acquirendo aliena, utitur quandoque vi, quod pertinet ad *violentiam;* quandoque autem dolo, qui quidem, si fiat in verbo, *fallacia* erit quantum ad simplex verbum; *perjurium,* si addatur confirmatio juramenti : si dolus committitur opere, quoad res erit *fraus*, et quoad personas, *proditio,* ut patet de Juda, qui ex avaritia prodidit Christum. S. Th., 2. 2, q. 118, a. 8.

97. — *Quæritur* 4° quænam sint remedia avaritiæ?

Resp. Præcipua sunt : 1. attendere omnia prorsus in morte dimittenda, et relinquenda hæredibus non raro ingratis, dissipatoribus, imo sæpe inde damnationis occasionem sumpturis : *Stulte,* ait Christus, *hac nocte animam tuam repetent a te; quæ autem parasti, cujus erunt?* Luc. 12, v. 20.

2. Animadvertere *quam difficile* sit *confidentes in pecuniis in regnum Dei introire; facilius esse camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei;* Marc. 10, v. 24, 25.

3. Meditari paupertatem Christi, qui *cum dives esset, propter nos egenus factus est;* II Cor. 8, v. 9.

§ V

De Acedia.

98. — *Quæritur* 1° quid sit acedia?

Resp. Acedia est *tristitia et tædium de bonis divinis ut ad nos pertinentibus;* ut si quis doleat quod Deus sit beatitudo nostra, *eo quod hæc beatitudo sine voluptatis fuga, et difficili virtutum exercitio obtineri non possit.* Vel, ut ab aliis definitur : *Animi remissio voluntaria in implendis officiis spiritualibus, ob laborem seu molestiam et difficultatem his adjunctam.*

Dicitur 1 : *animi remissio,* sive illa procedat ex tædio, desidia, tepiditate, tristitia, aut ex alia simili causa.

Dicitur 2 : *voluntaria;* nam remissio involuntaria, seu tædium quod invite experimur in implendis officiis, nedum sit peccatum, est meriti occasio.

Dicitur 3 : *in implendis officiis;* qui enim promptus est in

exsequendis officiis et remissus in servandis consiliis vel peragendis operibus *sibi non stricte præscriptis*, non est proprie acediosus, quamvis sæpe exponatur periculo acediæ, ut omnes fatentur.

Dicitur 4 : *in officiis spiritualibus;* iis nempe quæ spectant Deum, vel homines; nam utraque in conscientia obligant, et sub hoc respectu spiritualia sunt.

Dicitur 5 : *ob laborem et difficultatem his adjunctam;* quia laboris aversio seu repugnantia ad vim sibi inferandam est quasi character proprius acediæ. Acediosus refugit et ægre fert bonum divinum, non quidem quatenus est divinum, sed quatenus est sibi imperatum et per conatus difficiles consequendum.

99. — *Quæritur* 2° quale sit peccatum acedia?

Resp. Est mortale *ex genere suo*, juxta illud Apost. II, Cor. 7, v. 10 : *Tristitia seculi mortem operatur*. Nam graviter charitati Dei repugnat, cum per eam parvipendantur amicitia Dei et æterna beatitudo, atque indigne reputentur, quæ difficili virtutum exercitio comparentur. Ideo Christus ait, Matth. 11, v. 12 : *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud;* et Apost. II ad Tim. 2, v. 5 : *Non coronatur, nisi qui legitime certaverit*. Alia hujusmodi in Scripturis fere innumera leguntur. Vide Tract. *de Decalog.*, n. 72.

100. — *Quæritur* 3° quot sint filiæ acediæ?

Resp. Sex assignantur, nempe : *desperatio, pusillanimitas, torpor circa præcepta, rancor, malitia, mentis evagatio.*

Revera, sub impulsu tristitiæ, homo recedit a contristantibus, et ad alia transit, in quibus delectatur; sic illi, qui non possunt gaudere in spiritualibus delectationibus, transferunt se ad corporales : nullus enim diu absque delectatione potest manere cum tristitia.

Porro, in fuga tristitiæ, homo primo fugit contristantia, secundo etiam impugnat ea, quæ tristitiam ingerunt; ergo, per *desperationem*, fugit spiritualia bona, de quibus tristatur, et quæ sunt tanquam finis; per *pusillanimitatem*, fugit media ardua, quæ subsunt consiliis; *per torporem circa præ-*

cepta, fugit media, quæ pertinent ad communem justitiam, et quæ ideo cadunt sub præcepto.

Impugnatio autem contristantium bonorum spiritualium fit per *rancorem*, contra homines, qui ad bona spiritualia inducunt; vel se extendit ad ipsa spiritualia bona, in quorum detestationem aliquis adducitur; et hoc est proprie *malitia*.

Tandem propter tristitiam a spiritualibus aliquis transfert se ad delectabiliora exteriora, per *evagationem mentis* circa illicita. S. Th. 2, 2, q. 35, a. 4.

Jam vero præfata desperatio et malitia sunt peccata mortalia ex genere suo. Idem dicendum est de torpore circa præcepta, si præceptum sit grave; de rancore etiam, juxta illud : « Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, *repentinus ei superveniet interitus*. » Prov. 29, v. 1.

Evagatio mentis est de se quidem venialis : sed mortalis evadit, si fiat eo tempore quo *ex præcepto* requiritur mentis attentio in re gravi. Hinc concludere est quanta sit Ecclesiæ calamitas Sacerdos acediosus. Super parochiam illius curæ commissam pronuntiatur hæc Scripturæ lamentatio : *Per agrum hominis pigri transivi : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant faciem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat*. Prov. 24, v. 31.

101. — *Quæritur* 4° quot sunt remedia acediæ?

Resp. Præcipua sunt : 1. meditatio noctis illius æternæ, *quando nemo potest operari;* Joan. 9, v. 4, et istius Joannis comminationis : *Jam securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur*. Matth. 3, v. 10.

2. Consideratio laborum, *quos filii hujus seculi suscipiunt*, ut ad corruptibilem coronam perveniant; unde concludemus totis viribus gloriæ æternæ adeptioni esse incumbendum.

3. Recordatio laborum, et passionum Christi, et Sanctorum, brevitatis laborum, et æternitatis præmiorum fervidæ charitatis, etc.

4. Constantia in peragenda oratione mentali, cæterisque

spiritualibus exercitiis adhibendis, ita ut nunquam omittantur sine gravi causa : « Certa viriliter; consuetudo consuetudine vincitur; » ut dicit libellus *de Imitatione Christi*. Vide etiam opus cui titulus : *Combat spirituel*, c. 20, *De la manière de combattre le vice de la paresse*.

§ VI

De Invidia.

102. — *Quæritur* 1° quid sit invidia?

Resp. Invidia est *tristitia de bono proximi, quatenus ei propriæ excellentiæ imminutivum*. Unde, si quis de bonis proximi tristetur ex alio motivo, non erit invidia.

Hinc 1. si quis tristetur de bonis proximi, quia ipsi est inimicus, erit *odium*, non invidia.

2. Si tristetur de bonis prodigi ea dilapidantis, aut avari ea turpiter recondentis, erit *justa indignatio*, non invidia.

3. Si tristetur de bonis temporalibus peccatorum, quia illis sunt indigni, erit tantum *zelus inordinatus*, cum omnia divinæ Providentiæ decretis, quæ adorare debemus, eveniant.

4. Si tristetur de bono alterius, v. g., de adepta potestate, non quia proximo bonum est, sed quia damnum sibi aut alteri tertio inde imminet, est *justus timor*.

5. Si tristetur de bono alterius, non quia ille bonum possidet, sed quia sibi deest, ita tamen ut minime cupiat alterum illo privare, est *æmulatio*, non invidia.

Æmulatio autem est laudabilis, quando pro nobis exoptamus bona spiritualia, et etiam bona temporalia, quæ rationabiliter desiderare licet, quamvis ista adipisci non possimus, quin iisdem alii careant ut fit, v. g., in *concursu*.

6. Si quis tandem non tristaretur de bono alieno, sed cum zelo cæteros excluderet *a bono, quod ipse possidet*, et valde tristaretur, quando timeret ne suum proprium bonum ab aliis haberetur, non esset invidia, sed zelotypia, gallice *jalousie*, quæ est legitima, modo intra justitiæ limites coarctetur.

Itaque hic est proprius invidiæ character, quod quis tris-

tetur de bono alieno quatenus est alienum, et alios sibi plus minusve coæquet, vel superextollat; unde patet invidiam originem habere a superbia.

103. — *Quæritur* 2° quale peccatum sit invidia?

Resp. Est peccatum mortale *ex genere suo*, quia opponitur charitati erga Deum; qui enim amat Deum, gaudet, cum illum conspicit dona hominibus largentem, ut illos ad se trahat. Adversatur charitati erga proximum; hujus enim charitatis proprium est de bono proximi gaudere, et de illius malo dolere; hinc ad Gal. 5, *invidia* dicitur excludere *a regno Dei*.

Ad judicandum utrum invidia sit peccatum mortale necne, ad tria præsertim est attendendum : 1. ad naturam boni, de quo habetur tristitia; quod, si sit spirituale, sæpius erit invidia gravis, quia tunc diabolum imitatur; 2. ad naturam tristitiæ, quæ habetur; si tristitia sit gravis, in mente permanens, in materia gravi, mortale peccatum erit; secus, si sit transitoria et levis; 3. ad effectus qui ex illa tristitia prodeunt, est enim evidenter peccatum mortale, quando illi effectus sunt mala gravia ut, v. g., odium, calumniæ, detractiones.

104. — *Quæritur* 3° quot sint filiæ invidiæ?

Resp. Quinque numerantur, videlicet, *susurratio, detractio, exultatio in adversis, afflictio in prosperis proximi, odium*.

Etenim in conatu invidiæ distingui potest, quod est principium, aut medium, aut terminus. Principium est, ut aliquis diminuat gloriam alterius, vel in occulto per *susurrationem*, vel manifeste per *detractionem*.

Medium autem est, quia aliquis, intendens diminuere gloriam alterius, vel potest, et sic est *exsultatio in adversis* proximi; vel non potest, et sic est *afflictio in prosperis* proximi.

Denique terminus est in *odio* proximi. Sicut enim bonum delectans causat amorem, ita tristitia causat odium. De his filiabus dicemus in Tract. *de Decalogo*. S. Th., 2, 2, q. 36, a. 4.

105. — *Quæritur* 4° quænam sint invidiæ remedia?

Resp. Sequentia numerantur : 1. attente meditari nullum esse vitium, quod nos similiores reddat diabolo, juxta illud Sap. 2 : *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum : imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.*

2. Honorem humanum contemnere : *non efficiamur* ait Apost. ad Gal., 5, *inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes. invicem invidentes.*

3. Persuasum habere invidiam soli invidenti nocere, qui ea immaniter ac inutiliter cruciatur; quæro enim an invisus per invidiam suis spolietur bonis? An invidens per invidiam ditetur bonis invisi, etiamsi ipsis spoliari contingat? Respondeat, qui diabolico illo cruciatur vitio.

§ IV

De Ira.

106. — *Quæritur* 1° quid sit ira?

Resp. Ira est *inordinatus appetitius vindictæ, aut quasi vindictæ.*

Dicitur 1 : *appetitus inordinatus;* quod ex duplici capite oriri potest; *ex parte objecti,* cum nempe quis optat vindictam ei qui non meruit, vel majorem quam meruit, vel inferendam sine justa auctoritate; vel tandem qui eam, etsi justa sit, non ut justam appetit, sed ut satiativam *malevoli cordis. Ex parte modi,* ut si quis nimis ardenter irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa iræ, ait S. Thomas, 2, 2, q. 158, a. 2.

Hinc, dum ira nec modum excedit, nec in objecto deficit, sed ad finem honestum tendit, qui est, ait ibidem S. Thom., conservatio justitiæ et correctio culpæ, vitium non est, sed virtus, juxta illud Psalmistæ : *Irascimini, et nolite peccare.* Differt ergo ira ab invidia, quæ est tristitia de bono proximi, etsi nullam iste intulerit injuriam; differt etiam ab odio, quod sæpe concipitur absque ulla injuria, de qua ultio sit sumenda.

Dicitur 2 : *vindictæ, aut quasi vindictæ :* nec enim ad iram necesse est, ut vindicta feratur in eum, *a quo quis se læsum putat;* sed quilibet potest vere et inordinate irasci in

res inanimatas; ut scriptor in calamum, pictor in penicillum, etc. Merito quidem observant plures differre iram ab *impatientia*, quæ non appetit *ultionem*, sed simpliciter *dolet* de incommodis sive exterioribus, sive internis, et ea repellit. Attamen impatientia sæpe vocatur ira, quia vir impatiens quandoque videtur quasi ultionem velle sumere ab ipsis creaturis inanimatis.

Ira diversa est in diversis personis; sunt in quibus ira procedit naturali ex vivacitate, facile excandescit, facile extinguitur. In aliis est magis deliberata, ex odio procedit, et perdurat, aliquando est quasi furor, cui nulla requies, quin ultio habita fuerit.

107. — *Quæritur* 2° quale sit peccatum ira?

Resp. 1. Ira ex *parte objecti* inordinata, est peccatum mortale ex genere suo, cum sit contra charitatem et justitiam; unde Gal., 5, *ira* numeratur inter *opera carnis, quæ qui agunt, regnum Dei non consequentur;* et apud Eccli. 27, v. 33 : *furor et ira execrabilia sunt.* Vide Tract. *de Decal.*, n. 198.

2. Ira ex *parte* tantum *modi* inordinata, *secundum se* non habet ex genere suo rationem peccati mortalis, ait S. Thom. ibidem; potest tamen esse mortalis *per accidens*, nempe ratione scandali, convitii, blasphemiæ, maledicti, etc., quæ ex nimia iræ commotione oriuntur : vel ratione aliorum effectuum, sive in anima sive in corpore : nam ira excandescens infert agitationem et inordinationem aliquando gravem in intellectu, in corde, in corpore; unde, Eccli. 30, v. 26 : *Zelus et iracundia minuunt dies.*

108. — *Quæritur* 3° quæ et quot sint filiæ iræ?

Resp. Sex numerantur, scilicet : *indignatio, tumor, clamor, blasphemia, contumelia, rixæ.*

Etenim ira considerari potest secundum quod est in corde, in ore, aut in facto. 1. Quatenus est in corde, ex ira procedit *indignatio* contra hominem, contra quem irascitur, et quem ira incensus reputat indignum sua familiaritate, colloquio, aut sublevamine in necessitate. Sed etiam

ex ira nascitur *tumor*, quo quis excogitat vias vindictæ, et talibus cogitationibus animum suum replet.

2. Quatenus in ore, ex ira duplex inordinatio procedit, nempe *clamor*, quo quis per inordinatam et confusam locutionem iram suam demonstrat; sed etiam verbum injuriosum, quod quidem, si sit contra Deum, erit *blasphemia;* si autem contra proximum, *contumelia*. Demum quatenus in facto, ex ira nascuntur *rixæ*, seu omnia nocumenta quæ facto proximis inferuntur ex ira. S. Th., 2, 2, q. 158, a. 7.

109. — *Quæritur* 4° quænam sint remedia iræ?

Resp. Præcipua sunt : 1. meditari mansuetudinem Christi, qui *cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur;* I Petri, 2, v. 23.

2. Considerare quantum ira sit injusta et perniciosa, quæ tot induxit clades, bella, duella, homicidia, etc.

3. Resecare iræ causas, quæ sunt superbia, amor vitæ commoditatum, nimia in proprio judicio confidentia et in voluntate tenacitas, melancolia, etc.

4. Nihil facere in motu iræ; sed solum postquam sedatus erit.

5. Elicere frequenter actus charitatis, humilitatis, patientiæ, et mansuetudinis, qui iræ maxime adversantur.

FINIS TRACTATUS DE PECCATIS.

TRACTATUS
DE CENSURIS

OBJECTUM, UTILITAS, DIVISIO TRACTATUS

1. — Actus moralis ille est, qui laude aut vituperio, mercede aut pœna dignus est, ex dictis in Tract. *de Act. hum.* n. 32. Aliunde talis conditionis est homo, ut nisi sanctione legis excitaretur, eam plerumque non servaret.

Porro, in Tract. *de Gratia et Gloria*, n. 354 et seq., dictum est de *æterna* sanctione divinis legibus apposita. In Tract. autem *de Pœnit.* et *Purgatorio*, diximus de *pœna sacramentali* a ministro sacramenti pœnitenti imponenda, et etiam de pœna *temporanea* a Deo post hanc vitam, justis, quibus aliquid luendum superest, retribuenda. Cæterum, de pœnis *civilibus*, quæ in Codice pœnali statuuntur, non agendum habemus. Igitur de pœnis tantum *ecclesiasticis*, quæ *Censuræ* vulgo nuncupantur, disserendum superest.

Duplex erit caput : 1° de Censuris in genere; 2° de Censuris in specie [1].

CAPUT PRIMUM

DE CENSURIS IN GENERE

Dicemus 1° de censuræ notione et speciebus; 2° de Censurarum auctore, subjecto, causa, conditionibus; 3° de causis a censura excusantibus; 5° de modo et potestate tollendi censuras.

1. Circa præsentem Tract. consuli possunt Suarez, *de Censuris*, S. Ligor. lib. 7, *de Censuris*, et varii auctores qui de Jure canonico fuse disseruerunt.

ARTICULUS PRIMUS

De notione et speciebus Censuræ.

2. — *Quæritur* 1° quid sit *censura?*

Resp. — *Censuræ* nomine Romani significabant sententiam Censoris mores corrigentis, aut pœnas decernentis; hinc censuræ vox a Scriptoribus ecclesiasticis translata est ad pœnam illam spiritualem designandam, quam Ecclesiæ Prælati fidelibus contumacibus infligunt.

Censura autem, qualem intelligimus, recte definitur : *Pœna ecclesiastica et medicinalis, per quam homo baptizatus, delinquens et contumax privatur usu quorumdam bonorum spiritualium.*

Dicitur 1 : *pœna*, id est, punitio et vindicta criminis; et per hanc vocem censura convenit cum aliis pœnis ecclesiasticis, v. g., depositione, degradatione, etc. Differt vero a *cessatione a divinis*, quæ non est proprie pœna, sed signum luctus et tristitiæ; item differt ab irregularitate *ex defectu* quæ sine culpa contrahitur; imo et ab irregularitate quæ *ex delicto* oritur, quia illa non tam est pœna, quam inhabilitas quædam ad sacrum altaris ministerium, ex delicto proveniens.

Dicitur 2 : pœna *ecclesiastica;* qua voce indicatur *auctor* pœnæ, de qua agitur, nempe potestas ecclesiastica, cujus solius est privare subditos bonis spiritualibus.

Dicitur 3 : *medicinalis*, id est inflicta ut reus emendetur et resipiscat : talis est *finis* illius pœnæ. Hinc de ratione censuræ est, ut sit vinculum solubile, et per absolutionem solvendum statim ac peccator emendatus fuerit, atque, si opus est, sufficienter scandalum reparaverit. Exinde censura differt a meris pœnis, quæ infliguntur ad punitionem delinquentis, v. g., a depositione et degradatione; quia ab his ordinarie non absolvuntur peccatores, etiam post emendationem.

Dicitur 4 : *per quam homo baptizatus, delinquens et contumax;* quibus significatur *subjectum* illius pœnæ. Et quidem 1. homo *baptizatus;* Ecclesia enim pœnam infligere nequit nisi suo subdito seu baptizato; 2. *delinquens*, quia

pœna supponit delictum; 2. *contumax*, id est, qui formaliter contemnit auctoritatem Ecclesiæ; item, qui, cum sufficienter noverit legem aliquid vetantem et censuram qua sancita fuit, eam nihilominus culpabiliter violat. Potest tamen ferri suspensio vel interdictum, non vero excommunicatio, in aliquod corpus morale, nempe in aliquam communitatem, n. 11.

Dicitur 5 : *privatur usu quorumdam bonorum spiritualium;* quibus innuitur censuræ objectum. Scilicet, bona inter fideles communia triplicis sunt generis : alia sunt mere *interna* atque immediate procedunt vel a Christo capite, nempe gratia actualis et habitualis, vel a privatis fidelibus, nimirum, horum orationes et suffragia; alia mere *externa*, videlicet, convictus fidelium in rebus politicis et civilibus, v. g., in contractibus, negotiis, testimoniis; alia sunt *mixta* atque immediate procedunt ab Ecclesia, cui Christus illa commisit ab ipsa fidelibus communicanda, uti sunt sacrificium, sacramenta, publica Ecclesiæ suffragia, jurisdictio spiritualis, beneficia, officia divina, indulgentiæ. Porro censura privat tantum usu bonorum mixtorum, quæ immediate habemus ab Ecclesia; tamen quasi indirecte et in ordine ad spiritualia privat censura usu bonorum mere externorum. Unde

1. Censura non tollit ipsam facultatem et potestatem, v. g., titulum Beneficii, ut faciunt depositio et degradatio; sed censura tollit saltem licitum exercitium et usum potestatis.

2. Nec censura privat omnibus donis spiritualibus, etiam communibus; imo non datur aliqua censura, quæ possit privare hominem bonis spiritualibus privatis, v. g., charactere, aut bonis spiritualibus gratiæ et virtutum, v. g., fidei, spei et charitatis, vel merito bonorum operum. Ideo contingit interdum, ut, qui liber est apud Deum, ecclesiastica sit censura innodatus; et qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, ut ait Innoc. III.

3. Censura est pœna *spiritualis* tum ex parte potestatis a qua infligitur, tum ex parte finis seu emendationis spiritualis, tum ex parte subjecti seu animæ quæ immediate illa pœna afficitur, tum ex parte objecti seu boni, quo privat,

3. — *Quæritur* 2° quænam sint censuræ *species?*

Resp. Censura *in se* est vel excommunicatio, vel suspensio, vel interdictum, de quibus speciatim dicemus.

Quoad *modum* censura est *latæ*, vel *ferendæ sententiæ, a Jure* vel *ab homine.*

1° Censura *latæ sententiæ* ea est, quæ *incurritur statim ipso facto, seu crimine admisso, et absque ulla Judicis sententia.* Signa autem censuræ latæ sententiæ sunt 1. istæ vel similes voces : *Ipso facto, ipso jure, eo ipso, sine alia sententia,* etc. 2. Verbum præsentis, vel præteriti temporis, v. g., *Excommunicatur. Excommunicationis sententia duximus innodandum. Noverit* se *excommunicatum*, etc.

Censura *ferendæ sententiæ*, quæ dicitur etiam comminatoria, est ea, quam jam comminatam *reus non incurrit ipso facto et eo ipso quod crimen admisit, sed quæ per Judicis sententiam infligi debet.*

Signa censuræ ferendæ sententiæ sunt 1. verba comminatoria, v. g. : Præcipimus *sub pœna* excommunicationis, *sub interminatione* anathematis. 2. Verbum futuri temporis v. g., Qui hoc fecerit, *excommunicabitur;* vel, *Statim erit excommunicandus.* 3. Verba quæ Judicis actionem exigunt, ut, *Excommunicetur, Suspendatur*, etc.

Quando fertur censura per modum imperativi, v. g., *anathema sit, excommunicatus sit*, censura est *ferendæ* sententiæ, si lex prædictis formulis præcipiat judicibus inferioribus ut pœnam infligant; est vero *latæ* sententiæ censura, si lex ipsa pœnam contumacibus applicet, uti ordinarie evenit, præsertim quoties censura in materia de hæresi a Conciliis statuitur sub formula, *anathema sit.*

Quando verba sunt ambigua, et dubitatur utrum censura sit latæ sententiæ, an ferendæ, tum, secundum sententiam communem, existimanda est censura sententiæ ferendæ, donec aliter a Superiore præscriptum sit, juxta hanc regulam 48 Juris in Sexto : *In pœnis, benignior est interpretatio facienda.*

2° Censura *a Jure* dicitur illa *quæ per legem seu statutum perpetuum fertur generaliter in omnes subditos, qui legem illam fuerint transgressi.*

Censura *ab homine* dicitur ea, *quæ per sententiam Judicis ecclesiastici, vel per mandatum, seu præceptum temporale ac transitorium Prælati, fertur extraordinarie, ex causa et facto particulari, vel in personas determinatas.*

Unde 1. *censura a Jure* semper generalis est, et omnes subditos capaces afficit : at vero *censura ab homine est particularis*, et fertur, saltem ordinarie, in personas determinatas, vel ex causa particulari determinata, v. g., Petrus excommunicationi subjaceat, nisi intra annum restituat; vel : Qui nuper orto incendio quidpiam abripuit, excommunicatus sit, nisi intra triduum restituat; vel : Qui talem incendiarium non indicaverit, sit excommunicatus.

2. Censura *a Jure* respicit delictum futurum præcavendum, et ideo vocatur *præservativa*, nec habet effectum retroactivum. Censura vero *ab homine per modum sententiæ*, respicit delictum commissum, quod sub judicio cadere potest, et vocatur *curativa*, ut delinquens, mediante censura, ad mentem redeat, et sanetur a vulnere peccati.

3. *Censura* a Jure *est* perpetua, et durat quandiu lex illam imponens non est abrogata : at vero *censura* ab homine cessat per mortem Superioris, vel per ejus amotionem, si eveniat, antequam contrahatur; sed jam contracta manet etiam post ejus mortem, donec tollatur per absolutionem.

4. Censura *a Jure est reservata* Papæ aut Episcopo, vel *nemini reservata*, prout Superior ejus absolutionem sibi reservavit, vel ordinariis ministris ab ea absolvere permisit; dum censura *ab homine* semper reservatur.

3° Censura ab homine est *justa* vel *injusta*, *valida* aut *invalida* seu nulla.

Justa censura dicitur, *quæ ex omni parte legitime lata est, adeo ut ferenti censuram nihil exprobari possit.* Talis est censura lata 1. ab habente potestatem; 2. in hominem subditum; 3. ex causa sufficienter probata; 4. servato Juris ordine substantiali et accidentali. Hujusmodi censura semper est valida in foro exteriori; sed aliquando potest esse nulla coram Deo, ut si feratur adversus eum, qui juridice convictus fuit de crimine, quod reipsa non admisit.

Censura *injusta* ea est, *cui deest aliqua ex enumeratis conditionibus.*

Injusta censura potest esse *valida* aut *invalida. Valida* est, cum adsunt omnia *ad essentiam* censuræ requisita, deestque tantum aliquid accidentale, puta si feratur ex perverso motivo, si omittatur trina monitio, si paulo gravior imponatur pœna, etc. Censura *injusta* est simul *invalida* seu nulla, quando ipsi deest aliquid *substantiale*, sive ex parte Judicis, qui jurisdictione caret, sive ex parte subjecti, cujus culpa vel evidenter nulla est, vel non sufficienter probata; sive ex parte Juris, cujus ordo substantialis omissus est.

ARTICULUS II

De Censurarum auctore, subjecto, causa, conditionibus.

§ I

De Censurarum auctore.

PROPOSITIO PRIMA

4. — Est in Ecclesia potestas ferendi censuras. De fide est, vel saltem fidei proximum.

Prob. 1° *Script.* Christus enim dixit Apostolis : *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo.* Eadem etiam verba dixit soli Petro, Matth. 16, 18. Porro, 1. generalis locutio, *Quæcunque ligaveritis*, per se extenditur ad omnia, quæ exigit necessarium vel utile regimen Ecclesiæ : revera, metaphora verbi *ligandi*, optime accommodatur ad ecclesiasticam censuram, quæ est vinculum quoddam seu ligamen; 2. verba, *erunt ligata et in cœlis*, significant vinculum spirituale et superioris ordinis, sicut est censura; 3. denique in illo textu sermonem esse de potestate fori contentiosi, satis declarant antecedentia verba : « Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam *ethnicus* et *publicanus;* » id est, separetur ut indignus ecclesiastica communicatione et fructu. Ergo, etc.

Illa potestate usus est S. Paulus, dicens : « Ego autem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est... *tradere hujusmodi*

Satanæ in interitum carnis; » I Cor. 5, v. 3; I Tim. 5, v. 19.

2° *Traditione* constanti et universali constat præfatam potestatem Ecclesiæ competere. Vide Conc. Trid. sess. 25, c. 3, *de Reform.*

Præcipua difficultas est de censuris latæ sententiæ. Synodus Pistoriensis asseruit « hujusmodi sententiam non aliam vim habere, nisi seriæ comminationis sine ullo actuali effectu; » prop. 47 : porro hæc propositio a Pio VI, Const. *Auctorem fidei*, damnata est tanquam falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ potestati injuriosa, erronea; ergo traditione certum est Ecclesiam posse statuere censuras etiam ipso facto incurrendas.

3° *Ratione.* Quælibet societas, ut coerceat subditos, jus habet illos privandi *bonis propriis*, vel *privilegiis societatis;* Ergo Ecclesia, quæ est societas a Christo instituta, jus idem habet in subditos suos : hoc autem jure utitur per censuras. Et revera, Ecclesia bona quædam habet *sibi propria*, quæ omnino ab ipsa pendent, quia propria ipsius actione producuntur, v. g., *orationes publicæ;* alia vero, quæ a Christo accepit, sed ab *ipsa dispensanda*, ut sunt Sacramenta; potest igitur et *efficaciter* et *juste* ista et illa bona contumacibus denegare.

Equidem inconveniens esse videtur privare peccatorem mediis salutaribus, quibus juvaretur ad resipiscendum. At 1. nunquam per censuras privatur bonis, in quibus consistit vita spiritualis, aut a quibus hæc necessario pendet; 2. aliquando magis prodest quorumdam bonorum spiritualium pœnalis privatio, ut fideles salutari timore perculsi, a malo avertantur atque præcaveant, ut satis ex se manifestum est, et experientia constat.

Cæterum, ut animadvertit Conc. Trid., sess. 25, c. 3, *de Reform.*, sobrie magnaque circumspectione exercendus est censuræ gladius : cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, et perniciem potius parere, quam salutem.

PROPOSITIO II

5. — *Censuræ ferri possunt ab omni et solo Ecclesiæ Præ-*

lato vel ejus delegato, id est, a Clerico habente jurisdictionem ordinariam vel delegatam in foro externo.

Prob. propositio quoad Prælatos, ex cap. *Transmissam*, de Electione; et ex cap. *Cum ad Ecclesiarum*, de Officio Judicis ordinarii. Quoad delegatum vero, ex cap. *Præterea*, de Officio Judicis delegati; item ex omnium Doctorum consensu, et ex usu Ecclesiæ.

6. — Nomine autem *Prælati* ecclesiastici hic intelligitur *omnis Clericus habens jurisdictionem in foro externo;* qualis est, 1. Sum. Pontifex in tota Ecclesia; 2. *Episcopus* in sua Diœcesi, eorumque *Vicarii Generales et Officiales;* 3. *Capitulum* Ecclesiæ Cathedralis aut Vicarius capitularis, sede vacante; 4. etiam *Prælati regulares*, respectu subditorum suorum.

At vero Parochi non intelliguntur nomine Prælatorum, quia non habent jurisdictionem in foro externo; unde censuras ferre non possunt.

Adde quod Concilia tum generalia, tum nationalia, tum provincialia, ferre possint censuras, ut omnes norunt.

Dixi : *a Clerico*, quia laicus non potest ferre censuram, ut patet ex cap. *Decernimus*, de Judiciis : quocirca delegati a Prælatis, jure ecclesiastico debent esse Clerici.

Ut autem hæc potestas ferendi censuras valide exerceatur a Prælatis, requiritur 1. *ut jurisdictio non sit impedita*, v. g., ut ferens censuram non sit publice et nominatim excommunicatus, aut suspensus. cap. *audivimus*, causa 24, q. 1. Requiritur 2. *ut ferens censuram libere agat*, et consequenter habet usum actualem rationis.

§ II

De subjecto Censuræ.

PROPOSITIO

7. — *Censuræ ferri possunt in solos et omnes homines baptizatos, viatores et doli capaces, subditos.* Certum est.

Et quidem 1. *homines*, quia soli sunt capaces et delicti admittendi et bona spiritualia participandi.

2. *Baptizatos*, quia Ecclesia nullam habet jurisdictionem in non baptizatos, etiamsi sint Catechumeni. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* ait S. Paulus, I. Cor. 5, v. 12. *Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit*, v. 13. Habet tamen Ecclesia jurisdictionem in Hæreticos, Apostatas, Schismaticos, Excommunicatos, aliosque hujusmodi baptizatos, cap. *De Judæis*, dist. 45.

3. *Viatores*, quia mortui nec amplius subsunt Ecclesiæ, nec esse possunt contumaces, aut emendari; et proinde non possunt directe censura affici. Quando ergo in Jure dicuntur mortui excommunicari, illud vel intelligi debet de quadam exsecratione ac detestatione, vel declaratione excommunicationis, quam ante mortem incurrerant, et a qua non sunt ante mortem absoluti; vel de excommunicatione *indirecta* qua Ecclesia præcipit vivis, ne ipsis exhibeant officia solita reddi fidelibus, ex cap. *Neque*. dist. 88, et ex cap. *Si quis Episcopus*, de Hæreticis. Sic autem dicuntur absolvi ab excommunicatione, quando, propter eorum pœnitentiam fidelibus conceditur licentia dandi eis sepulturam ecclesiasticam, ipsisque suffragia Ecclesiæ applicandi, cap. *A nobis*, de Sent. excomm.

4. *Rationis ac doli capaces*, quia infantes, vel perpetuo amentes, sunt incapaces peccati, ac proinde præcepti et censuræ; possunt tamen insani, furiosi, ebrii vel dormientes, incurrere censuram propter delictum vigente usu rationis commissum, scilicet secuto effectu. Quoad *impuberes* autem, id est, puellas annis 12, aut mares annis 14, probabilior opinio est, eos censuris a *Jure* latis vere subjici, sed eorum absolutio non reservatur S. Pontifici; licet censuris *ab homine* possint absolute ligari, iisdem tamen de facto non affici, ideoque eos excommunicationem non incurrere, si consequenter ad monitorium non revelent, nisi constaret contrariam esse Superioris intentionem.

5. *Subditos*, quia censura est actus jurisdictionis quæ non potest exerceri nisi a Superiore in subditos, cap. *Ut animarum*, de Constitutionibus, in Sexto.

Ex c. 4, tit. 11, lib. 5, in 6, Episcopi et alii superiores Prælati non incurrunt interdicti vel suspensionis sententiam

ipso jure, nisi in ipsa de Episcopis expressa mentio habeatur; incurrunt autem excommunicationem et alias pœnas ipso jure latas, tametsi de illis nulla mentio fiat.

8. — *Quæritur* 1° an advenæ et peregrini ligentur censuris locorum, per quæ transeunt sine animo ibi manendi?

Resp. Negative, quoad censuras latas ab Episcopo pro futuris delictis, juxta probabiliorem sententiam; censura enim non fertur nisi in subditos et contumaces, n. 7, 11 : atqui peregrini, licet constituantur subditi ratione peccati, tamen, cum ante peccatum non fuerint subditi, nequeunt dici contumaces. Si tamen contingat, ut peregrinus aliquod crimen ibi committat, eo ipso fit subditus ratione delicti, et quia legem naturalem violavit, coerceri potest, prout incola et advena, officio judiciis ubi deliquit, si antequam inde discederet, citatione præventus fuerit. S. Ligor. lib. 6, n. 591, lib. 7, n. 26; d'Annibale, *de Censuris*, n. 306.

9. — *Quæritur* 2° an diœcesani extra Diœcesim existentes ligentur censuris sui Episcopi?

Resp. 1. Ex communi sententia, *ii non ligantur censuris per statutum latis, si crimen commiserint extra Diœcesim existentes;* quia statutum non obligat extra territorium, cap. 2 *de Constitutionibus*, in Sexto.

Subditi tamen, quamvis extra Diœcesim existentes, censentur *aliquando* delinquere in propria Diœcesi, seu ibi consummare peccatum sub censura prohibitum, ideoque censuram incurrere : sic, v. g., Clerici, ubicumque sint, cogi possunt per censuras ad residendum, vel ut veniant ad Synodum, etc., cap. *Ex tuæ devotionis,* de Clericis non resident.; tunc enim proprie in eo loco consummatur omissio, in quo fieri debent quæ oportet, juxta hanc regulam : *Qui alicubi non facit quod facere deberet, videtur facere adversus ea, quæ non facit.* Incurrunt etiam censuram, quamvis extra Diœcesim existentes, si lata sit sub conditione et respectu ad delictum præteritum, patratum tempore prioris domicilii; v. g., si dicatur : Nisi qui furatus est, restituerit; nisi qui talem rem novit, revelaverit, ante mensem

sit excommunicatus : tunc enim non revelans, vel non restituens, elapso mense, incidet in censuram, licet interea mutaverit domicilium, quia manet subjectio in ordine ad talem causam, utpote inceptam : cap. *Proposuisti*, de Foro competenti.

2. *Doctores communiter affirmant diœcesanos, extra Diœcesim existentes, ligari censuris ab homine latis; quia censura ab homine immediate et per se afficit eos, quibus hæret, quocunque secesserint.*

10. — *Quæritur* 3° an censura jam ligati, possint adhuc ligari alia censura, non solum diversa, sed etiam ejusdem rationis, v. g., an excommunicatus possit iterum excommunicari?

Resp. Ex omnium sententia, illud potest fieri, idque satis expressum est in Jure : ratio est quia, ut ait S. Thomas, *pœnæ et medicinæ iterantur, quando causa id exigit.* Revera, quis potest privari Ecclesiæ communione sub pluribus absolutionibus, aut una generali pluribus æquivalente. Unde, qui successive percuteret plures Clericos, vel unum pluries cum morali interruptione, plures etiam excommunicationes incurreret, cap. *Cum pro causa*, de Sent. Excomm. Nisi ita esset, qui una censura ligaretur, jam posset impune, ex parte Ecclesiæ, scelera iterare.

§ III

De causa Censuræ.

PROPOSITIO

11. *Censuræ non infliguntur, nisi ob pecatum, externum, mortale et enorme, consummatum in sua specie, certum, cum contumacia contra Ecclesiam.* Certum est.

Et quidem 1. *nisi ob peccatum*, quia sunt pœnæ, eæque medicinales, ut diximus : est tamen inter diversas censuras hoc discrimen, quod excommunicationem, utpote pœnam gravissimam, nemo possit incurrere nisi propter culpam personalem, ut statuitur cap. *Romana*, de Sent. excomm., in Sexto. Suspensio vero et interdictum ferri possunt in

Communitatem, ob ipsius Communitatis culpam, quamvis in ea aliqui sint innocentes, ut patet ex cap. *Si sententia*, de Sent. excomm., in Sexto.

2. *Externum;* nam Ecclesia de iis sententiam ferre nequit, de quibus judicare non valet, uti sunt actus mere interni, ut supponitur cap. *Tua nos*, et cap. *Sicut*, de Simonia : unde censura contra Hæreticos lata, non ligat eos, qui nulla hæresis signa dederunt.

3. *Mortale et enorme*, si agatur de censura *ferendæ* sententiæ; *multo gravius* et *execrabilius*, si infligatur censura *latæ* sententiæ. Ita Bonifacius VIII, et Conc. Trid, sess. 25, c. 3, *de Reform.* Vide etiam Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 10, c. 1, n. 2. Censuræ enim, saltem præcipuæ et totales, sunt gravissimæ pœnæ, quibus ideo proportionatum debet esse delictum. Dixi : *saltem præcipuæ et totales* censuræ; quia debet excipi excommunicatio minor quæ statui posset, uti revera viguit ob aliquid veniale peccatum, v. g., propter communicationem cum excommunicato, quæ enim communicatio interdum est solum veniale peccatum. Item excipitur aliqua suspensio ab uno tantum actu Officii, seu Beneficii, v. g., a dando suffragio, quæ suspensio infligi potest ob peccatum veniale.

Cæterum, multa sunt per se loquendo indifferentia, quæ tamen ad bonum commune, vel decentiam status clericalis vel ad vitanda animarum scandala et damna, sicut et varios et perniciosos abusus, censentur esse magni momenti; ideoque stricte et sub gravi censura possunt præcipi, vel prohiberi. Quando aliquid a Superiore prohibitum est aut præceptum sub gravi censura, semper præsumendum est illud esse grave et magni momenti, quia Judicis ecclesiastici est judicare utrum causa, ob quam infligitur, gravis sit, nec ne : ita Suarez, disp. 4, sect. 6.

4. *Consummatum in sua specie.* Quando enim de censuris agitur, verba sunt strictæ seu benignioris interpretationis, juxta juris regulam : *Odiosa restringi convenit.* Hinc non sufficit peccatum sub censura prohibitum, si effectus non sequatur; imo neque sufficit peccatum inchoatum exterius, nisi sit consummatum. Une censuram latam con-

tra homicidas non incurret, qui grave vulnus infligeret, si ex eo mors non sequeretur.

5. *Certum* sive ratione *juris*, quatenus extra dubium sit tale crimen certe commissum, certo sub censura cadere; sive ratione *facti*, quatenus constet tale crimen certo sub censura cadens, fuisse certo commissum cum omnibus requisitis, ut reipsa sub censura cadat; ex jam allato principio, quod censura, utpote odiosa, est strictæ interpretationis. Vide Institut. Canon., Tract. 1, n. 105, 106, 113.

6. *Cum contumacia Ecclesiæ*, seu inobedientia, ita ut peccator sit pertinax. Nam, ex usu Ecclesiæ, censuræ non incurruntur nisi ab eo, qui Ecclesiæ monitiones spernit, ut indicant Christi verba : *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. Matth. 18, v. 17.

Notat Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 10, c. 1, n. 5, non semper congruum reputari, ut quæ a Jure communi sunt vetita, atque interdum sub censurarum comminatione interdicta, iterum ab Episcopo prohibeantur, statuta in transgressores censura latæ sententiæ.

§ IV

De conditionibus seu formalitatibus servandis in ferendis Censuris.

PROPOSITIO PRIMA

12. — *Censuræ ferri non debent sine prævia aliqua monitione, et etiam citatione.* Certum est,

1° *Monitione. Prob.* ex cap. *Sacro*, de Sententia excommunicationis; et ratio est quia, cum censuræ sint medicinales, ferri non possunt nisi in contumaces : at contumax esse non potest, nisi qui, præcedente monitione et censuræ comminatione, Ecclesiæ seu Superiori recusat obedire.

Cæterum, in omnibus censuris *a Jure*, imo et in censuris ab homine *pro culpis futuris*, non requiritur admonitio distincta ab ipsa lege, vel prohibitione, cum ista lex et Superioris præceptum satis et quasi continue moneant; hujusmodi monitio dicitur *solemnis*. At vero in censuris *ab homine*

pro culpa præterita vel præsenti, præcedere debet *canonica*, id est, jussio desistendi vel satisfaciendi pro delicto sub censura prohibito, in cujus monitionis seu jussionis contemptu consistit contumacia,

Triplex quidem ordinarie debet præcedere admonitio canonica, saltem ut licita sit et justa censura; si tamen urgens sit necessitas, una peremptoria facta monitione, infligi censura potest, juxta cap. *de illicita*, causa 24, quæst. 3, ex cap. *Reprehensibilis*, de Apellat.

Si omnino deficiat monitio, invalida est censura; si una tantum facta fuerit monitio, nec sit sufficiens ratio duas alias omittendi, injusta quidem erit censura, sed tamen valida. Nulla autem requiritur monitio, si agatur de simplici punitione.

2° *Citatione.* Jus enim canonicum præscribit ut judex non ferat sententiam, quin prius reum citaverit, nisi delictum sit usque adeo notorium, ut certissimum sit nullam superesse reo exceptionem, seu defensionem.

In hoc autem monitio differt a citatione, quod prior datur ut subditus caveat a re vetita, aut, si mandatum transgressus sit, ab inobedientia resipiscat, ne pœnis plectatur; posterior vero supponit, sin delictum patratum, saltem suspicionem de delicto, et reus vocatur ut judici respondeat, ac se defendendi locum habeat, si sit innocens a violatione legis, alioquin pœnas condignas expendet.

PROPOSITIO II

13. — *Necesse est censuram ferri talibus signis seu verbis aut scriptis, quæ sufficienter exprimant hanc vel illam censuram infligi in tales personas.*

Namque præceptum seu voluntas Superioris de ferenda censura sufficienter declarari debet. Dixi : *verbis aut scriptis*, quia scripta requiruntur quidem ad licitatem non vero ad validitatem censuræ; ita communius.

Denuntiatio autem illius, qui censuram contraxit, fieri non potest, *nisi auctoritate Superioris legitimi, aut ab ipso delegati* et post sententiam declaratoriam; juxta morem

receptum cujusque Diœcesis, *fieri debet*, ut colligitur ex 1 de Sent. excomm., in Sexto, et satis constat ex usu et praxi Ecclesiæ.

ARTICULUS III

De causis excusantibus a Censuris.

Generatim statui potest a censuris excusare, quidquid excusat a peccato, quod quidem multipliciter contingere potest. Itaque excusat

14. — 1° *Ignorantia invincibilis aut vincibilis venialiter tantum culpabilis, sive legis, sive censuræ.* Et quidem 1. *ignorantia legis* sub censura præcipientis aut prohibentis; ita omnes. Talis enim ignorantia tollit peccatum grave, propter quod fertur censura.

2. *Ignorantia censuræ* etiam posita cognitione legis; ita communiter. Censura enim, cum per se primo ordinetur ad emendationem rei, vel ad cogendum peculiari modo ne committatur peccatum, ideo, ut incurratur, requirit peculiarem modum contumaciæ et inobedientiæ : quæ porro contumacia particularis non est in eo, qui ignorat censuram legi, quam infrangit, appositam; ergo ignorantia censuræ, ab ea excusat. Confirmatur ex cap. *Ut animarum* de Const., in Sexto. Unde, qui percutit sacerdotem, putans esse laïcum, non incurrit censuram latam contra percussores clericorum, n. 53.

Idem verum est, etiamsi ignorantia sit *mere concomitans*, v. g,, quando quis occidit clericum nesciens esse clericum, sed ita paratus animo, ut si scivisset, nihilominus occidisset. Talis enim non contemnit actu censuram, et ideo non est actu contumax.

Non excusat autem ignorantia vincibilis *graviter* culpabilis, sive sit affectata, sive crassa et supina; talis enim ignorantia non impedit peccatum mortale et contumaciam, virtualiter saltem volitam. Constat ex cap. *Ut animarum*, de Constit., et cap. 2. *de temporibus* ordinat., in Sexto.

Attamen excusat ignorantia *crassa* aut *supina*, si in decreto censuræ dicatur : « Qui hoc fecerit *scienter, consulte*,

qui præsumpserit ausu temerario, etc. » Hæc enim et similia significant graviorem contumaciam.

An idem verum sit de ignorantia *affectata*, negat sententia communior, quam tenent Suarez, Sanchez, Concina, S. Ligor., *de Censuris*, n. 48. In morali enim æstimatione scienter violat legem, qui legis cogitationem aliquam et suspicionem habuit, quam noluit discutere, ne veritatem apertius detegeret, sed ut liberius violaret legem.

Alii tamen sat probabiliter affirmant, inter quos De Lugo, Bonacina, Schmalzgrueber, Salmant. Ignorantia enim affectata in rigore non est vera scientia, qualis requiritur in materia pœnarum, quæ stricte sunt intelligendæ. Aliunde, qui peccat ex ignorantia affectata, etsi velit ignorare ut liberius peccet, tamen demonstrat aliquam reverentiam erga legem, dum quærit ipsam ignorare ex timore, quod, si ipsam sciret, retraheretur a peccando.

Quidam contendunt adesse *ex gravi negligentia* ignorantiam *graviter* culpabilem, quæ non sit crassa aut supina, quatenus non involvens negligentiam summam, et quæ ideo excusat a censura. Plerique autem hujusmodi distinctionem rejiciunt.

15. — 2° *Dubium* sive juris, sive facti, si supersit post adhibitam diligentiam, id est, an existat lex sub censura imposita, anne casus sub censura cadat, ex dictis, n. 11, ad 5.

Si vero dubitetur an judex limites suæ jurisdictionis excesserit, an formas præscriptas servaverit, censura servanda est, juxta illud : *In dubio, præsumptio stat in favorem superioris*, ex dictis in Tract. *de Act. hum.*, n. 136.

16. — 3° *Metus gravis, saltem si res prohibita sit solo Jure ecclesiastico, nec incutiatur ille metus in contemptum Ecclesiæ*. Patet, quia qui legem mere ecclesiasticam omittit ex gravi metu, puta amittendi vitam, famam, fortunam, vere non peccat, cum leges humanæ cum tanto incommodo obligare non soleant; ergo nec censuram incurrit.

Dixi 1 : *metus gravis;* si quippe levis sit, non excusat a peccato; ergo nec a censura.

Dixi 2 : *saltem si solo jure ecclesiastico res sit prohibita;* etenim, si jure divino aut naturali etiam prohibita esset, juxta plures incurreretur censura : quia, cum in eo casu metus non excuset a peccato, non præsumitur Ecclesia velle tunc a præceptis suis dispensare, quæ ab eodem peccato efficacius homines retrahere possunt. Communius tamen negatur, quia in casu deest contumacia; v. g., qui, metu ne ipse occidatur, occidit clericum, peccat quidem contra legem naturalem et divinam; sed, ob casus angustiam, non censetur contumax contra censuram ab Ecclesia tali peccato adnexam, et ideo eam non incurrit.

Dixit 3 : *nec incutiatur metus in contemptum Ecclesiæ;* alias enim incurritur censura, quia tunc grave peccatum admittitur, dum fit id quod vergit in contemptum Ecclesiæ et Religionis. Ita communiter.

17. — 4° *Impotentia moralis implendi quod sub censura præceptum est,* quia ex regula 6 Juris, « *Nemo potest ad impossibile obligari :* » aliunde impotentia excusat a peccato; ergo et a censura. Talis autem adest impotentia, quando censura est occulta, et servari non potest absque gravi detrimento rei, v. g., movendi contra seipsum gravem suspicionem, vel absque aliorum scandalo : v. g., si populus exinde inducendus sit ad murmurandum graviter, vel ad temere judicandum de presbyteris, aut ad aliquid simile.

18. — 5° *Censuram conditionalem suspendit appellatio legitime interposita ante lapsum temporis ad implendam conditionem concessi; non item, si fiat a censura absolute lata, aut post statuti lapsum temporis.* 1ª Pars constat cap. *Præterea,* 4 de Appellat. Unde, qui ab inferiori Judice excommunicatur, nisi intra mensem satisfaciat, appellatione ad Superiorem interposita, censuram suspendit. 2ª pars prob. cap. *Pastoralis,* 53 de Appellat., et ratio est, quia talis censura plenum statim effectum sortitur, et tandiu ligat, donec ligatus absolvatur; devolutivum ergo tunc duntaxat effectum habet, non suspensivum, appellatio legitima.

Dixi : *appellatio legitime interposita,* ad quod tres potissimum requiruntur conditiones ; 1ª est *causa sufficiens* et

probabilis, quia *appellationis remedium non est ad defensionem iniquitatis, sed præsidium innocentiæ institutum*, ex cap. 61 de Appell. 2ª Est ut appellatio sit ab inferiori Judice ad *superiorem*, causa 2, quæst. 6, cap. 28 : unde frivola et nulla est appellatio ab Ecclesia dispersa, ad Ecclesiam in Concilio congregatam. 3ª Ut appellatio fiat *tempore statuto*, id est, ex præsenti Jure, intra 40 dies a publicatione sententiæ. Vide Institut. canon., Tract. 8, n. 72-76.

19. — 6° *Censura injusta simul et evidenter palamque nulla non ligat, nec obligat*, v. g., si lata est post appellationem legitime interpositam, vel contineat errorem intolerabilem, ut si diceretur : *Excommunico te, quia eleemosynam tali pauperi trabuisti, quia debitam Principi fidem infringere noluisti*. Prob. ex Gelasio, relato caus. 11, q. 3, cap. 46; et ratio est quia, cum nulla sit coram Deo et hominibus, nullum effectum habere potest.

Dixi 1 : *injusta simul et nulla;* si enim esset simpliciter injusta, v. g. quia Superior ex ira vel odio excommunicat, vel quia accidentales quasdam omittit formalitates, vere ligat, plenumque sortitur effectum. Unde sic loquitur S. Greg. Magnus, Hom. 26 in Evang. : « Is qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel injuste. »

Dixi 2 : *evidenter palamque nulla*, ex defectu sive potestatis in ferente, sive formæ, sive materiæ seu justæ causæ; si enim nullitas non esset publica et notoria, tunc ad vitandum scandalum, servanda esset censura coram iis, quibus explorata non esset censuræ nullitas : violatio tamen hujus censuræ irregularitatem non induceret, *cum ipsi desit secundum rei veritatem* canonicum fundamentum.

Cæterum, ea in re, proprio standum non est judicio, sed consulendi viri prudentes ab omni studio partium alieni, atque in dubio pro Superiore semper præsumendum.

ARTICULUS IV

De absolutione a Censuris.

Dicemus 1° de notione, speciebus, 2° necessitate, 3° auctore, 4° conditionibus absolutionis a censuris.

§ I

De notione et speciebus absolutionis a Censuris.

20. — *Quæritur* quid sit absolutio a censuris, et quotuplex?

Resp. Censuræ absolutio est *hujus pœnæ relaxatio vi ecclesiasticæ jurisdictionis facta;* in hoc differt a dispensatione, qua tollitur *ipsius legis* aut *præcepti* vinculum.

Multiplex est censuræ absolutio, prout consideratur ratione fori, conditionis, aut reservationis.

1° Ratione *fori*, absolutio a censura conceditur vel in foro *externo* seu ad publicam corporis fidelium utilitatem; vel in foro *interno* seu *conscientiæ, animæ*, ad privatam utilitatem fidelis cujusque. Hæc posterior est *pœnitentialis, sacramentalis* seu intra confessionem, vel *extra-pœnitentialis* seu extra confessionem; et ideo, qui habet potestatem absolvendi a censura in foro interno, ea uti potest intra vel extra confessionem, juxta sententiam hodie communem. S. Ligor., lib. 7, n. 126.

Potestas absolvendi a censuris in foro interno, defluit a potestate ab eis absolvendi in foro externo. Censura enim est pœna fori externi, n. 2, 3, atque a sola potestate ecclesiastica in foro externo fertur, n. 3; ergo ad eamdem per se pertinet censuras tollere; sed, propter salutem animarum, absolutio a censuris etiam in foro interno dari potest, quandiu ad externum forum deductæ non fuerint.

Censuræ absolutio in foro externo. valet semper in foro interno; data in foro interno *toleratis*, prodest in foro externo, quin tamen impediat quominus contra eos agi possit; *vitandis*, quando talibus concedere licet, uti in jubilæo, in periculo mortis, non prodest in foro externo; si censura sit publica, absolutio autem occulta, hæc ne tolerato quidem prodest coram judice ecclesiastico et fidelibus, quandiu hos latet datam fuisse.

Demum, cum peccatorum absolutioni obstet excommunicatio, n. 34, concessa alicui facultate in foro pœnitentiali absolvendi a peccato, cui adnexa est illa censura, eo ipso

eidem conceditur potestas absolvendi a dicta excommunicatione. Institut. canon., Tract. 2, n. 9-14.

2° Ratione *conditionis*, absolutio censuræ concedi potest vel absolute, vel sub conditione ordinaria, aut ad reincidentiam, aut ad cautelam.

Sub conditione *ordinaria*, vel de præterito, « si jam satisfecisti; » vel de præsenti, « si possum absolvere; » vel de futuro, « si satisfacies in posterum, nunc pro tunc te absolvo; » ista conditio nonnisi ex gravi causa licita est; n. 30, 3°, n. 89, 90. 107-110, 113.

Ad *reincidentiam* in eamdem censuram, nisi intra certum tempus aliquid præstiterit censuratus. Unde censura per reincidentiam non est eadem a qua absolvitur, sed verius *nova*, licet ejusdem speciei; et ideo non incurritur sine nova culpa et contumacia; ac proinde, si absolutus reincidentiam ignoraverit, eam non incurrit; n. 25, 4°, 5°, n. 26.

Ad cautelam, quatenus absolutio datur ad tollendam, vel ad suspendendam censuram, si qua sit. Talis est ea, quæ datur ante peccatorum absolutionem, vel ante collationem Ordinum, Beneficiorum, etc., ad removendum impedimentum censuræ forte oblitæ, vel cum ignorantia affectata aut crassa graviter culpabili incursæ, n. 14, Institut. canon., Tract. 2, n. 52, 53, 89; Tract. *de Ordine*, n. 57, 58. Si absolutio detur tantum ad tollendum aliquem censuræ effectum *particularem*, v. g., privationem vocis activæ in electione canonica, adest absolutio improprie dicta, seu potius dispensationis species.

3° Ratione *reservationis*, absolutio fit a censura vel nemini reservata, vel reservata S. Pontifici, aut Ordinario. Censura reservatur S. Pontifici vel *speciali modo*, vel *simpliciter;* in utroque casu reservatio censuræ immediata et principalis est, reservatio autem peccati est mediata et accessoria; et ideo quidquid excusat a censura, excusat a reservatione etiam peccati.

Ordinariis autem censuræ reservantur vel a jure canonico (reservatæ *nobis*), vel ab ipsis Ordinariis (reservatæ *a nobis*). Ex sententia communiori, in reservatis ab Ordina-

rio (*a nobis*), utraque reservatio, censuræ nempe et peccati, est principalis, ita ut quod excusat a censura aut a reservatione censuræ, *non excuset* etiam *a reservatione peccati;* juxta autem minus communem, sed *certe probabilem*, et, ut videtur, veriorem sententiam, in hujusmodi reservatis censuræ reservatio est principalis, peccati vero accessoria, sicut in censuris reservatis S. Pontifici; et ideo hic etiam quidquid excusat a censura aut a censuræ reservatione, excusat etiam a reservatione peccati. Tract. de *Pœnit.*, n. 330, 2°; S. Ligor., lib. 6, n. 582. Cæterum concessa alicui facultate absolvendi a peccato reservato, eo ipso conceditur facultas absolvendi ab excommunicatione etiam reservata, si tali peccato sit adnexa, quia validitati absolutionis peccati obstat illa censura, n. 34.

An vero quæ excusant a censura, uti ignorantia, metus, ut supra, n. 14-19, excusent etiam a reservatione censuræ? Juxta omnes, metus non excusat a reservatione. De ignorantia reservationis, cognita censura, non constat. Quidam affirmant; alii plures et graviores negant. Priorum sententia est certe probabilis, et licet procul dubio ea uti. Tract. *de Pœnit.*, n. 333; d'Annibale, *de Pœnit.*, n. 187.

Tandem reservationes, quatenus odiosæ confessariis, quorum jurisdictionem adimunt, et pœnitentibus onerosæ, sunt strictissimæ interpretationis, ita ut in dubio sint restringendæ. Institut. Canon., Tract. 1, n. 106, 113.

4° Exinde colligitur discrimen inter absolutionem a peccatis et a censuris. Prior reconciliat cum Deo; se extendit ad omnia peccata; non conceditur nisi contritis et volentibus; per se absolute, aliquando indirecte, nonnisi præsentibus, a solo sacerdote, et quidem cum jurisdictione in foro sacramentali. Posterior vero restituit ea, quæ sunt propria civium Ecclesiæ militantis; ad unam censuram restringi potest; ipsis contumacibus et invitis aliquando datur, n. 29[1], 3°; sæpe sub conditione, ex die in diem, ad reincidentiam, ad cautelam, ad effectum particularem, etc.; nonnisi directe, etiam absentibus, et etiam a simplici clerico, debita facultate pollente. Institut. Canon., Tract. 2, n. 49, 89.

§ II

De necessitate absolutionis a Censuris.

21. — *Quæritur*, scilicet, an censuræ stricte dictæ, semel incursæ, non tollantur, nisi per absolutionem a viro ecclesiastico ad hoc competente collatam?

Resp. Affirmative. Censuræ enim a sola autoritate ecclesiastica imponuntur, n. 4, 5; ergo ab ea solum tolli possunt vi auctoritatis jurisdictionalis.

Revera, nullus alius superest modus, quo tolli aut desinere possint censuræ. Non quidem 1. per *mortem rei*, ut patet ex cap. *A nobis*, ex cap. *Sacris*, de sentent. excomm. : quare etiam mortuus privatur Ecclesiæ suffragiis et ecclesiastica sepultura.

2. Nec per solam *rei emendationem* et *cessationem contumaciæ*, ex cap. *Cum desideres*, ex cap. *Quamvis*, de sent. excomm., et ex hac propositione ab Alex. VII damnata : « Quoad forum conscientiæ, *reo correcto*, ejusque *contumacia cessante*, cessant censuræ. »

3. Nec per *amotionem* aut *mortem ferentis;* nam, post amotionem aut mortem excommunicantis, excommunicatus remanet ligatus, ex cap. *Pastoralis*, de offic. Judic. ordin. Ergo per solam absolutionem seu vi jurisdictionalis auctoritatis tolluntur censuræ.

Dixi : *censuræ stricte dictæ;* quia censuræ quædam, v. g., suspensiones et interdicta, feruntur interdum ad certum tempus, in modum mere pœnæ, potius quam censuræ : ideoque sine alia absolutione tolluntur post elapsum tempus, vel per superioris dispensationem, n. 92, 100. Sed hujusmodi pœnæ non sunt censuræ proprie dictæ; et, sicut non supponunt necessario contumaciam, non requirunt præviam monitionem, ita non tolluntur per absolutionem sicut censuræ proprie dictæ.

Similiter, juxta multos, censura irrogata sub conditione resolutiva, hac impleta, cessat ipso jure. D'Annibale, *de Censuris*, n. 335, *nota* 6.

§ III

De iis, qui a Censuris possunt absolvere.

Dicemus de absolutione 1° a censuris non reservatis, ab homine inflictis, a reservatis in genere; 2° a reservatis S. Pontifici; 3° a reservatis Ordinariis.

NUMERUS PRIMUS

De absolutione a Censuris non reservatis, ab homine inflictis, a reservatis in genere.

22. — I. *A censuris stricte dictis, et nemini reservatis, quivis confessarius valide et licite potest absolvere.* Certum est.

Colligitur ex cap. *Nuper* 29, ex communi Ecclesiæ praxi, ex S. Th. Suppl. q. 24, a. 1. Eo ipso enim quod auctor censuræ hujus absolutionem sibi non retinuit, aliis relaxandi facultatem concessit.

Et id verum est non solum de censuris jure statutis, sed etiam a judice declaratis et non reservatis; aut ab homine latis per generalem sententiam aut præceptum generale, et non reservatis, eo quod istæ æquiparantur censuris jure statutis; aut de censuris dubie reservatis, eo quod reservatio, utpote odiosa, est strictæ seu benignioris interpretationis, haud secus ac ipsa censura, n. 15, 20, 3°; Tract. *de Pœnit.*, n. 333; S. Ligor., lib. 7, n. 13.

Dicitur 1 : *a censuris stricte dictis*, quæ, nempe, pendent ab emendatione et contumacia; secus vero quæ feruntur in modum pœnæ et ideo ad tempus definitum; n. 21, 92, 100.

Dicitur 2 : *confessarius*, qui scilicet, est approbatus et jurisdictionem habet in censuratum. Idem absolvere potest etiam diœcesanos, qui in aliena diœcesi forte illas censuras contraxerunt, et peregrinos in sua. Eadem facultate pollet simplex sacerdos erga quemlibet in mortis periculo.

Idem verum est *pro utroque foro*, ita ut illa absolutio dari possit tam intra, quam extra confessionem, et valeat etiam pro foro externo, non contentioso, n. 20, 1°, quia decreta S. Pontificum præcipue forum externum spectare solent. S. Ligor., lib. 7, n. 70.

Censuræ ex jure communi nemini reservatæ infra recensentur, n. 75-83, 91, 111, 112. Censuræ vero ex jure communi non alicui, sed sub aliqua tantum conditione reservatæ, referuntur n. 71, 89, 90, 107-110, 113.

23. — II. *A censura ab homine inflicta per sententiam particularem, in personam determinatam, absolvere nequit, nisi ille, qui eam tulit, vel ejus successor aut superior, vel horum delegatus.* Certum est.

Namque ordo judiciorum requirit, ut proprius judex, qui causam incepit, aliquam *personam* censura plectendo, sive per modum sententiæ judiciariæ, sive per modum præcepti, eamdem causam prosequatur ac terminet. Idem potest illius judicis successor, cum gaudeat iisdem juribus; item ejusdem judicis superior, cujus potestas ab inferiore restringi nequit; item ab iisdem delegatus, ut patet. Aliunde præfata confirmantur cap. *Nuper;* cap. *de Major. et obedientia;* cap. *Ad reprimendam.* S. Ligor. lib. 7, n. 72.

Unde Ordinarius etiam in alieno territorio, potest suos subditos absolvere in utroque foro, modo id fiat absque judiciali strepitu. Si vero quis in alieno territorio deliquerit, et ab illius loci Episcopo personaliter excommunicatus fuerit, a proprio Episcopo absolvi nequit, sine Episcopi loci licentia. Institut. canon., Tract. 2, n. 14; Tract. 8, n. 39. S. Ligor. lib. 7, n. 72.

24. — III. *A censuris jure reservatis nullus absolvere potest, nisi is cui sunt reservatæ, aut ejus successor, vel superior, vel ad hoc rite delegatus.* Certum est.

Constat ex c. *Nuper* 29, ex Conc. Trid. sess. 14, c. 7. Si secus, prorsus vana et illusoria esset reservatio. Jus autem hujusmodi reservationis statuitur in Tract. *de Pœnit.*, n. 331.

Dixi 1 : *Superior quoad hoc;* nam Archiepiscopus non potest Suffraganeorum suorum subditos absolvere, c. 7, tit. 11, lib. 5, in 6, nisi in casu appellationis, aut visitationis, ubi est in usu. Instit. Canon., Tract. 4, n. 5.

Dixi 2 : *Vel ad hoc rite delegatus.* De hujusmodi delega-

tione dicendum superest, prout agitur de censuris S. Pontifici, aut Episcopis aliisque quasi-episcopali jurisdictione gaudentibus, reservatis. Itaque.

NUMERUS II

De absolutione a Censuris jure S. Pontifici reservatis, per delegatum.

Hujusmodi absolutio per delegationem considerari potest vel ante decretum S. Officii, 30 jun. 1886, n. 26, vel post illud decretum.

PUNCTUM PRIMUM

De absolutione a Censuris S. Pontifici jure reservatis, ante decretum S. Officii 30 jun. 1866.

25. — Censuræ de quibus agitur, sunt S. Pontifici jure reservatæ vel *speciali modo*, vel *simpliciter*, n. 20. 3°.

1° A censuris S. Pontifici jure *speciali modo* reservatis, nemo absolvere potest absque delegatione *speciali*, quæ nempe, de illis casibus *expressam* mentionem faciat, etiamsi casus sint *occulti*. Ita ex Constitut. *Apost. Sedis*, n. 39. Hujusmodi censuræ recensentur n. 40-51[2] 88, 106[2]. Imo censura relata n. 49, est *specialissimo* modo reservata quatenus de ea in delegatione expressa mentio requiritur[1].

2° A censuris S. Pontifici *simpliciter* reservatis absolvere possunt, quicunque pontificia pollent delegatione *simplici* seu ad absolvendum a reservatis in genere. Hujusmodi casus recensentur n. 52-71, 101-106.

De iisdem casibus, si sint *occulti*, exstat specialis dispositio, de qua infra, n. 28.

3° Attamen, ut animarum saluti sufficienter provideatur, 1. posito impedimento adeundi S. Pontificem aut ejus delegatum *perpetuo*, id est, in tempus indefinitum, aut saltem ad quinquennium, Episcopus ejusve delegatus, licet nulla urgeat necessitas, ab omnibus S. Pontifici reservatis

1. Ex decreto S. Congreg. de Propaganda, 4 apr. 1871, in facultatum concessione, « ubi mentio fit de casibus in Bulla *Cœnæ* reservatis, substituuntur censuræ *speciali modo* in Bulla *Apostol. Sedis* R. Pontifici reservatæ, excepto casu *Absolventes complicem*, » n. 49.

absolvere potest, et quidem *absolute,* seu absque onere pro pœnitente se sistendi S. Pontifici aut ejus delegato, si quando commode poterit; cap. *Nuper* 29.

2. Idem potest Episcopus aut ejus delegatus, posito *diuturno,* seu ultra sex menses, impedimento adeundi S. Pontificem, ex cap. *Nuper;* sed cum onere, si agatur de càsibus *speciali modo* S. Pontifici reservatis, adeundi S. Pontificem aut ejus delegatum, quando commode poterit pœnitens, non quidem ut iterum absolvatur, sed ut monita, pœnitentias, remedia salubriora recipiat, si superiori videbitur, ex Constit. *Apost. Sedis;* nec adest pœna reincidentiæ, ut infra, 5°.

Probabilius illud onus se sistendi superiori non subest, quando Episcopus aut ejus delegatus absolvit a censuris S. Pontifici *simpliciter* reservatis, posito impedimento *diuturno*[1].

3. Posito impedimento *brevi,* id est, citra sex menses, adeundi S. Pontificem aut ejus delegatum, ut supra, atque si adsit absolvendi gravis causa, nempe, vitandi periculum gravis scandali vel infamiæ, aut ea, quæ excusat a materiali integritate confessionis, Episcopus aut ejus delegatus *directe* a non reservatis S. Pontifici absolvit; et *indirecte* tantum *a reservatis;* a quibus ideo pœnitens directe absolvendus est a S. Pontifice aut ejus delegato, cessante impedimento. Unde confessario non delegato in hoc casu non tenetur pœnitens reservata confiteri; n. 27, 3°.

4. Præfata omnia, sed sub iisdem conditionibus, potest quivis confessarius, posito perpetuo, aut diuturno aut brevi impedimento pro pœnitente *personaliter* adeundi, tum S. Pontificem aut ejus delegatum, tum Episcopum ejusve delegatum, ex cap. *Nuper* 29.

4° *In mortis periculo,* « ne hac occasione aliquis pereat,

1. Revera, Constitut. *Apost. Sedis* illud onus esse firmum expresse voluit pro casibus *speciali modo* S. Pontifici reservatis, posito diuturno impedimento; ejusdem autem oneris pro casibus *simpliciter* reservatis nequidem meminit; ergo opinionem illud onus antea affirmantium tacite exclusit; atque S. Pœnitentiaria hac de re interrogata, ad probatos auctores remisit, 21 nov. 1873. Vide d'Annibale, *de Censur.,* n. 343; Bucceroni, *Enchiridion morale,* 1887, p. 227.

cessat omnis reservatio, » ut ait Conc. Trid., Tract. *de Pœnit.*, n. 7; ergo, in hisce circumstantiis, quivis sacerdos ad confessiones audiendas approbatus, et, hujus defectu, sacerdos etiam non approbatus ad audiendas confessiones, ab omnibus reservatis, etiam ab homine, n. 23, absolvere potest, etiam præsente superiore.

Communius asseritur sic absolutum teneri, ubi convalescit, adeundi S. Pontificem aut ejus delegatum, si fuerit absolutus a casibus *speciali modo* reservatis S. Pontifici, si adeundi superiorem non adsit perpetuum impedimentum. At tale onus superesse negant Gury, Ballerini, Bucceroni, *de Censuris*, § 65-78, an. 1885. Nam, ut aiunt, in Constitut. *Apostolicæ Sedis* præscribitur quidem prædictis absolutis *standi mandatis Ecclesiæ :* at alia est obligatio parendi mandatis Ecclesiæ, alia adeundi superiores. Vide d'Annibale, *de Censuris*, n. 350.

5° Qui *personaliter* adire nequit superiorem aut ejus delegatum, non tenetur per *epistolam* aut *internuntium*, quamvis commode possit [1].

Tandem, an onus adeundi superiorem ejusve delegatum, sit sub pœna *reincidentiæ* in eamdem censuram, intra certum tempus, omnino cum aliis negat d'Annibale, *de Censur.*, n. 348. « Nam, ut ait, Constit. *Apost. Sedis* obligationem adeundi superiorem firmam esse voluit; censuram vero reincidentiæ huic obligationi adjectam, quæ duo profecto diversa sunt, silentio præteriit. »

PUNCTUM II

De absolutione a Censuris S. Pontifici jure reservatis, post S. Officii decretum 30 jun. 1886.

26. — Cujusmodi decretum seu potius responsum sic se habet :

« Attenta praxi S. Pœnitentiariæ, præsertim ab edita Constit.

1. Ita juxta sententiam communem, ait S. Ligor., lib. 6, n. 563, lib. 7, n. 89; atque S. Officium ea de re interrogatum, ad S. Ligor. remisit, 18 jul. 1860; imo, ipsa S. Pœnitentiaria de eadem re respondit nihil fuisse innovatum post Constitut. *Apost. Sedis*, ut refert Bucceroni, *Enchiridion morale*, 1887, p. 224. Vide etiam d'Annibale, *de Censuris*, n. 341.

Apost. Sedis, an. 1869, 1. tuto adhuc teneri nequit sententia docens ad *Episcopum*, aut ad quemlibet *sacerdotem approbatum*, devolvi absolutionem *casuum* et *censurarum etiam speciali modo* Papæ reservatorum, quando pœnitens versatur *in impossibilitate personaliter adeundi* S. Sedem; — 2. recurrendum est, *saltem per litteras*, ad S. Pœnitentiariæ Præfectum *pro omnibus casibus Papæ reservatis*, nisi Episcopus habeat *speciale* Indultum, *præterquam in articulo mortis*, ad obtinendum absolvendi facultatem; — 3. in casibus urgentibus, in quibus absolutio differri nequit absque *periculo gravis scandali vel infamiæ*, super quo confessariorum conscientia oneratur, dari potest absolutio, injunctis a jure injungendis, a censuris etiam *speciali modo* S. Pontifici reservatis, sub pœna tamen *reincidentiæ* in easdem censuras, nisi, saltem *infra mensem*, *per epistolam, et per medium confessarii*, absolutus recurrat ad S. Sedem. »

Itaque, post illud responsum 1. onus se sistendi S. Pontifici ejusve delegato imponitur absolutis a jure reservatis sive *speciali modo*, sive *simpliciter*, et etiam posito impedimento *perpetuo;* dum antea illud onus incumbebat solummodo absolutis a reservatis *speciali modo*, et posito *brevi* aut *diuturno* impedimento adeundi S. Pontificem aut ejus delegatum; n. 25, 3°.

2. Abrogatur simul eadem obligatio, quæ, juxta multos, contra quosdam, antea urgebat, pro absolutis in *periculo mortis* a reservatis *speciali modo*, se sistendi S. Pontifici aut ejus delegato, si convalescerent, nec adesset se sistendi impedimentum perpetuum; n. 25, 4°; siquidem, in dicto responso, de tali obligatione pro illis convalescentibus nullo modo agitur; dum eadem obligatio expresse signatur pro absolutis ab omnibus reservatis S. Pontifici, sine delegatione, ad vitandum periculum *gravis scandali, vel infamiæ*.

3. Ille delegatus non constituitur nisi ex *speciali* Indulto; antea autem, posito impedimento perpetuo aut diuturno adeundi S. Pontificem aut ejus delegatum, ipso jure casus papales fiebant episcopales, n. 25, 3°.

4. Absolutio a reservatis data a non delegato ad vitandum periculum *gravis scandali* aut *infamiæ*, extra mortis

periculum, et etiam posito impedimento duntaxat *diuturno* aut *brevi*, est *directa;* dum antea talis absolutio erat tantum indirecta, n. 25, 3°.

5. Onus adeundi superiorem, in casu absolutionis ad vitandum gravis *scandali* aut *infamiæ* periculum, urget saltem *per epistolam;* antea autem non urgebat, nisi quando absolutus se *personaliter* sistere posset, n. 25, 5°.

6. Idem onus imponitur sub pœna *reincidentiæ* in eamdem censuram intra mensem a die absolutionis; dum antea nunquam urgebat sub pœna reincidentiæ, n. 25, 5[1].

27. — Quæ cum ita sint, hæc notanda videntur. 1° A casibus S. Pontifici reservatis, sive cum censura, sive absque censura, de quibus agitur in præfato S. Officii responso, ordinarie quivis confessarius, etiam ad hoc non delegatus, potest et debet *sacerdotem* pœnitentem absolvere, eo quod pro sacerdote absolvendo ordinarie urget periculum *gravis scandali vel infamiæ*. Subest tamen in hoc casu onus adeundi superiorem ejusve delegatum saltem per epistolam.

In primis, per hujusmodi epistolam, mediante confessario, et tacito pœnitentis nomine, recurrendum est ad respectivum Ordinarium, qui plerumque speciali ad hoc Indulto potitur; et quidem, non ut iterum absolvatur pœ-

1. Præfatum igitur decretum, quatenus ampliat vel restringit jus antea vigens, est legis *extensivum* seu novæ legi æquivalet, ut fatetur S. Officium, cum declarat hujusmodi jurisprudentiam ortam esse ex praxi S. Pœnitentiariæ ab edita Constitut. *Apost. Sedis*. Porro, ex una parte decisiones Rom. Congregat. *extensivæ* vim legis non obtinent, nisi sint auctoritate seu in nomine S. Pontificis editæ, et in forma *specifica* seu ipsis legibus propria promulgatæ, juxta omnes; Tract. *de Legib.*, n. 36, 42, 43; Institut. canon., Tract. 3, n. 15, 57, 68, 79; ex alia vero parte, prædictum responsum nec fuit editum in nomine S. Pontificis, nec promulgatum in forma specifica, sed in forma communi seu tali modo, ut simpliciter innotescat; vide Bucceroni, *Enchiridion morale*, p. 225, 227.

At promulgationi proprie dictæ æquivalet ipsa legis executio, per quam moribus introducitur; Tract. *de Legib.*, n. 43, in fine; et extra dubium videtur, quod S. Officium prædicti responsi executionem generalem prosequetur. « Cæterum, ut hic addit d'Annibale, *de Censuris*, n. 349, *nota* 40, idem responsum semper sic accipiendum est, *si fieri possit cifra omne prorsus non improbabile evulgationis periculum*. »

nitens, sed ad recipienda monita, pœnitentias, remedia salubriora [1].

2° Quoad *fideles*, cum censuræ, et multo magis casuum reservatio ab eis plerumque ignorentur, raro etiam incurruntur; n. 14, 15; Tract. *de Pœnit.*, n. 333.

3° Præter casum vitandi periculum *gravis scandali* vel *infamiæ*, in quo quivis confessarius a reservatis *directe* absolvit, n. 26, si adsit alia absolvendi gravis causa, qualis ea est, quæ a materiali integritate confessionis excusat, Tract. *de Pœnit.*, n. 241-246, quivis confessarius absolvere potest *directe* a non reservatis, et *indirecte* a reservatis, a quibus ideo pœnitens directe absolvendus est a superiori ejusve delegato, quando commode poterit; et tunc confessario ad hoc non delegato non tenetur reservata confiteri [2].

4° Absolutio a reservatis S. Pontifici, extra mortis aut gravis scandali vel infamiæ vitandum periculum, data a facultatem non habente, per se invalida est; per accidens tamen potest esse valida, quatenus, ob errorem communem de confessarii competentia, Ecclesia jurisdictionem supplet; sed, ex parte absolventis, talis absolutio est plerumque illicita. Tract. *de Pœnit.*, n. 327, 328; Institut. canon., Tract. 2, n. 22-32.

5° Cessat reservatio per confessionem habenti facultatem factam, sed *invalidam* aut etiam *sacrilegam*, in qua *reservatum accusatur*, aut *validam*, in qua tamen pœnitens *re-*

1. Hujusmodi epistola his aut æquivalentibus verbis, vulgari aut latino idiomate, concipi potest : « Absque delegatione, sed ob periculum gravis scandali vel infamiæ (vel extra illud periculum, sed ob aliam gravem causam, vel ob errorem communem de mea competentia) absolvi pœnitentem, qui semel, aut bis, ter, talem vel talem casum papalem (aut episcopalem) incurrerat. » (Indiquer l'adresse du confesseur en langue vulgaire).

2. Contrarium tenent S. Th., suppl. q. 9, a. 2, Suarez, disp. 31, sect. 5. Pœnitens enim absolvi nequit a non reservatis, nisi sit circa omnia peccata etiam reservata bene dispositus : hoc autem dignoscere non potest confessarius, nisi totam causam cognoscat. Negant alii, quia alias teneretur pœnitens bis peccata reservata confiteri. S. Ligor., lib. 6. 265, 585. Ad hoc incommodum præcavendum, peccata sive non reservata, sive reservata confiteatur pœnitens, absolvatur directe a non reservatis, si adsit causa gravis. ac postea, obtenta facultate a superiori, ab ipsis reservatis directe ab eodem confessario absolvatur.

servatum inculpabiliter obliviscitur. Id enim, si velit, potest superior aut ejus delegatus : atqui de facto talem esse suam intentionem, nisi contrarium aliunde constet, expresse declarat ille superior vel delegatus, cum dicit in absolutionis forma : *In quantum possum et tu indiges*. S. Ligor. lib. 6, n. 598; d'Annibale, *de Pœnit.*, n. 189. Tempore jubilæi prior casus excipitur; Tract. *de Indulg.*, n. 48.

NUMERUS III

De absolutione a Censuris jure communi Ordinariis vel ab ipsis Ordinariis reservatis.

28. — Post supra exposita de jurisdictione Episcopali quoad casus *papales*, sive ante, sive post responsum 30 jun. 1886, duo expendenda supersunt, nempe, 1° de absolutione ab *occultis* casibus S. Pontifici *simpliciter* reservatis; 2° de absolutione a censuris jure communi *ipsis Ordinariis* reservatis, vel *ab ipsis* Ordinariis reservatis. Itaque,

1° *De absolutione ab occultis casibus S. Pontifici simpliciter reservatis.*

Ex decreto Conc. Trid., sess. 24, c. 6, confirmato a Constitut. *Apost. Sedis*, 1869, casus, sive cum censura, sive absque censura, S. Pontifici *simpliciter* reservati, n. 25, 2°, n. 52-71, 101-106, Tract. *de Pœnit.*, n. 332, dum remanent *occulti*, devolvuntur ad Episcopos, « qui per se, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ, suos subditos, et in sua diœcesi ab illis casibus possunt absolvere » (in locis, ubi receptum est Conc. Trid.)

Et quidem 1. *Episcopi* qui habent diœcesim, vel alii quasi-episcopali jurisdictione pollentes, qui habent territorium; non vero præbati regulares, ex decis. S. Pœnitent., 5 dec. 1873.

2. *Aut per Vicarium specialiter deputandum ad id*, scilicet, ad casus, ut quidam sentiunt; vel ad personas, ut communiter asseritur; vel forte ad Vicarium Episcopi generalem, ut aliqui putant. S. Ligor., lib. 6, n. 594.

3. *In foro conscientiæ*, seu intra seu extra confessionem, non tamen in foro externo, n. 20, 1°.

4. *Suos subditos*, et ideo etiam vagos, advenas, peregri-

nos, sed hos in foro sacramentali tantum, in quo subditi efficiuntur; S. Ligor., lib. 6., n, 393.

5. *In diœcesi sua.* An vero hæc verba pertineant ad absolventem, an ad absolvendum, non constat; et ideo satis erit alterutrum in ea versari, ut aiunt Lugo, Salmant., d'Annibale, *de Censur.* n. 340.

Imo, cum in decreto Conc. Trid. dicatur : « In quibuscunque casibus occultis, *etiam* Apost. Sedi reservatis, » exinde colligitur, ne particula *etiam* inutiliter opponatur, concedi insuper Episcopis facultatem absolvendi a censuris *occultis,* quas *alii Episcopi* sibi reservarunt. Excipiuntur censuræ per sententiam particularem latæ, ex dictis n. 23.

Casus autem dicuntur *occulti,* quandiu non sunt formaliter notorii, nempe, notorietate *juris,* id est, per rei confessionem, aut per definitivam sententiam; vel notorietate *facti,* seu commissi in loco publico et coram multis, vel tot personis noti, ut fieri non possit quod apud plerosque non divulgentur. Institut, canon. Tract. 8, n. 43, 44, 51, 69.

Jam vero S. Officii responsum, 30 jun. 1886, n. 26, non respicit illos casus *occultos* S. Pontifici *simpliciter reservatos,* et ad Episcopum jure devolutos, tum quia illud responsum innititur praxi S. Pœnitentiariæ ab edita Constitut. *Apost. Sedis :* atqui S. Pœnitentiaria nihil innovavit circa illos casus ab an. 1869; tum eo quod præfata delegatio ad casus occultos est privilegium reale seu dignitati factum, quod non revocatur nisi per expressam revocationis privilegiato significationem nomine ipsius legislatoris factam. Tract. *de Legib.*, n. 116, 117.

2° *De absolutione a censuris jure communi ipsis Ordinariis reservatis,* vel ab *ipsis Ordinariis reservatis.*

1. Ex ipsa Constitut. *Apostolicæ Sedis,* quatuor censuræ infra recensitæ, n. 72, 73, 74, 110, directe reservantur simpliciter Episcopis sive Ordinariis, qui quasi episcopali jurisdictione pollent, et quam pro illis casibus delegare possunt etiam universaliter, in utroque foro, etiamsi illi casus fiant notorii; nec illas censuras respicit responsum

S. Officii 30 jun. 1886, n. 26, in quo agitur tantum de casibus *jure* reservatis *S. Pontifici*.

2. Censuræ per modum *statuti* seu per sententiam generalem *ab Ordinariis* et *ipsis* reservatæ, recensentur in statutis diœcesis aut Ordinis cujusque. Ex dictis n. 20, 3°, et in Tract. *de Pœnitentia*, n. 330, 2°, juxta minus communem, sed certe probabilem et in praxi satis tutam sententiam, in reservatis *ab* Ordinariis cum censura, hujus reservatio est immediata ac principalis, peccati autem reservatio est mediata et accessoria, sicut in reservatis censuris a jure communi; et ideo quidquid excusat a censura aut a censuræ reservatione, excusat etiam a reservatione peccati.

Si, ob impedimentum *perpetuum* aut *diuturnum*, n. 25, 3°, pœnitens Episcopum ejusve delegatum *personaliter* adire nequeat, quivis confessarius a casibus Episcopis reservatis absolvere potest, etiam absque onere pro pœnitente se sistendi Episcopo aut ejus delegato, quando commode poterit.

Si vero impedimentum sit ad *breve* tempus, seu citra sex menses, indirecte tantum ab illis casibus absolvit confessarius ad id non delegatus.

Tandem in periculo mortis quivis confessarius aut, hujus defectu, simplex sacerdos etiam præsente Episcopo ejusve delegato, directe et absolute ab iisdem casibus absolvit, n. 25, 3°, 4°, 5°, n. 27.

29. — *Quæritur* quandonam simplex confessarius a reservatis absolvere possit *extradiœcesanum?*

Resp. 1. Simplex confessarius absolvere potest extradiœcesanum, ligatum in propria quidem diœcesi, non autem in diœsesi confessarii. Reservatio enim directe afficit confessarium; ergo, quando non est restricta confessarii jurisdictio, ea uti potest etiam in peregrinum, ex universali consuetudine.

Excipitur casus innodatus censura *ab homine* per sententiam particularem et in personam determinatam, n. 25. Excipitur etiam, si pœnitens eo unico fine principali ex propria diœcesi alio se contulerit *in fraudem reservationis*,

seu ut alibi facilius absolvatur, ex Bulla *Superna* Clement. X.

2. Si vero casus sit reservatus in *loco confessionis*, non vero in diœcesi pœnitentis. iste subjacet quidem reservationi locali, sed non ligatur censura reservata jure illius diœcesis extraneæ, eo quod non sit subditus illius diœcesis in foro externo, nec contumax, n. 7, 11; imo nequidem ille subjacet reservationi locali, si sit adnexa censuræ, juxta sententiam certe probabilem, n. 28, 2° 2.

Tandem reservationes episcopales, cum censura aut absque censura, raro cognoscuntur a diœcesanis, multo minus ab extradiœcesanis; et ideo raro aut rarissime ab his aut illis incurruntur. Tract. *de Pœnit.*, n. 333.

§ IV

De conditionibus absolutionis a Censuris.

30. — *Quæritur* quænam sint a censuris absolutionis conditiones ex parte absolventis, causæ motivæ, personæ absolvendæ, pluralitatis censurarum, formæ?

Resp. 1° Ex parte *absolventis*, præter potestatem ordinariam aut delegatam, de qua dictum est n. 23-29, requiritur *libera voluntas*, ita ut invalida sit absolutio metu gravi et injusto extorta. Si metus non sit injustus, sibi imputet, qui eum patitur; v. g., si nolit eum absolvere, qui recessit a contumacia, et satisfecit parti læsæ, et absolutionem humiliter petit. S. Ligor., lib. 7, n. 119.

2° Ex parte *causæ motivæ*, necesse est quod hæc sit vera, quia absolutio danda est *scienter*, alioquin irrationabilis est et invalida; v. g., si absolventi, falso persuaseris te clericum percussisse justæ defensionis causa, vel parti læsæ satisfecisse. S. Ligor., n. 132.

3° Ex parte personæ *absolvendæ*, requiritur absolutionis humilis petitio, a contumacia recessio, acceptatio conditionum generalium, et specialium adimpletio.

1. *Humilis petitio absolutionis, et a contumacia recessio.* Equidem, ob bonum publicum, aliquando a censuris absolutio da'ur etiam inscio et invito censurato; sed hoc nunquam fieri potest in foro sacramentali, in quo semper requiritur libera confessarii electio, et vera contritio ex parte

pœnitentis absolvendi. In foro autem externo, censurarum absolutio regulariter non datur nisi eam humiliter petenti, et dummodo a contumacia recesserit, alioquin censura non esset medicinalis, nec salutaris ejus absolutio : quod est a legislatoris voluntate alienum; ac talis absolutio est illicita, et etiam ex parte delegati invalida.

2. *Acceptatio conditionum generalium*, quæ sub hac formula exprimuntur : *Injunctis de jure injungendis*, n. 26. Videlicet, ut reus scandalum, propter quod censuræ subjacebat, meliori, quo potuerit, modo reparaverit; et, si quem læserat, satisfecerit parti læsæ, vel, si in præsens satisfacere nequeat, promiserit, cum primum poterit, satisfacturum; atque, si crimen sit de atrocioribus, aut de clericorum percussione, juraverit, nisi sit impubes, se nunquam in illud relapsurum; ac tandem, si censuræ absolutio sit sub onere se præsentandi superiori ejusve delegato saltem per epistolam, promiserit, in foro externo etiam cum juramento, standi mandatis Ecclesiæ, n. 26.

3. *Adimpletio conditionum specialium* in Rescripto delegationis injunctorum, et quidem sub pœna nullitatis actus, quando exprimuntur sub forma *substantiali*, quæ, nimirum, sic aut æquivalenter se habet : *Non aliter; si secus fiat, sit irritum*. Institut. canon., Tract. 2, n. 91, 3°.

Demum, qui censura est irretitus, tenetur absolutionem exposcere, cum primum id poterit absque gravi incommodo; secus, peccat. Obligatus enim ad finem, seu ad pœnitentiam, emendationem, reparationem scandali et injustitiæ, tenetur ad media, quæ in casu contrahuntur in absolutione et in conditionibus, quas implicat. Multo magis peccat, si censura sit impedimentum, quominus satisfacere possit præcepto confessionis vel communionis animæ, vel audiendi missam diebus festivis.

4° Ex parte *pluralitatis censurarum*. Equidem in foro sacramentali nefas est, vel una censura non absoluta, a peccatis absolvere, exceptis his quæ pœnitens dolo retinuit, ne fraus ei prosit. At, extra forum sacramentale, ab una tantum vel altera reus absolvi potest, pro absolventis voluntate; et hæc voluntas apparere debet ex verbis, quibus

absolvens usus est, alioquin proinde erit, ac si non esset data ulla absolutio.

5° Ex parte *formæ* nulla requiruntur certa verba ad validitatem absolutionis, sed sufficit ut absolventis voluntas aliquo signo sensibili manifestetur; nec unquam præsumendum est, quod absolutio data fuerit ipso facto, v. g., communicationis ex parte superioris cum vitando. Licite ex urgenti causa datur absenti per litteras vel internuntium. In foro sacramentali, confessarius absolvat juxta formam communem, de qua in Tract. *de Pœnit.*, n. 91, 98, 99.

CAPUT II

DE CENSURIS IN PARTICULARI

Tres sunt species censurarum, scilicet, Excommunicatio, Suspensio, Interdictum : prima et tertia omnes fideles spectant, secunda solos Clericos.

ARTICULUS PRIMUS

De Excommunicatione.

Dicemus 1° de notione et speciebus excommunicationis, 2° de ejus effectibus, 3° de excommunicationibus in particulari.

§ I

De Excommunicationis notione et speciebus.

31. — *Quæritur* quid sit excommunicatio et quotuplex?

Resp. 1° Excommunicatio, secundum vim nominis, dicitur quasi *ejectio extra communionem Ecclesiæ.*

Excommunicatio, in genere, prout majorem et minorem complectitur, definitur : *Censura privans externa communione fidelium, seu usu bonorum spiritualium omnibus fidelibus communium, vel totaliter, vel eorum partialiter.*

Dicitur 1 : *censura*, quæ vox generis locum tenet ac stricte accipienda est, juxta supradicta, n. 2.

Dicitur 2 : *privans externa communione*, id est privans communicatione, participatione ac usu aliquorum *bonorum*

spiritualium[1] ex voluntate ac dispensatione Ecclesiæ pendentium, et omnibus fidelibus *communium*, qualia sunt : 1. sacramenta, 2. publica Ecclesiæ suffragia, 3. convictus fidelium, sive in rebus sacris, v. g., Officiis divinis, sepultura, jurisdictione; sive etiam in rebus politicis et civilibus, v. g., contractibus, negotiis, testimoniis.

Per hoc autem excommunicatio differt a suspensione et interdicto, quæ non privant participatione illorum omnium; quod si suspensio et interdictum privant aliquando participatione quadam illorum bonorum, solum privant in quantum bona illa sunt vel ministerium ecclesiasticum, vel participatio rerum sacrarum ut sic, seu quatenus sunt sacræ; excommunicatio autem his bonis privat in quantum sunt materia et fundamentum externæ unionis ac societatis fidelium inter se; quæ unio significatur communione Sanctorum in Symbolo, et per hoc ultimum, excommunicatio differt a suspensione et interdicto.

Dicitur 3 : *privans communione, vel totaliter, vel partialiter*, ut major excommunicatio distinguatur a minore : major enim privat communione totaliter, minor autem ex parte tantum.

2° Excommunicatio vulgo dividitur in *majorem* et *minorem*. *Major* ea est, *quæ omnino separat a communione fidelium, et privat participatione tam activa, quam passiva sacramentorum*, id est, facit ut excommunicatus nec possit recipere sacramenta, nec ministrare.

Ex usu Ecclesiæ, censura excommunicationis majoris significatur nomine *anathematis*, id est, maledicti, execrabilis. Vide Suarez, *de Censuris*, disput. 8, sect. 2, n. 4.

Excommunicatio *minor* ea est, *quæ privat tantum participatione passiva sacramentorum*, efficitque ut excommunicatus non possit recipere sacramenta. Cæterum, quando

1. Proscripta est a Pio VI in Const. *Auctorem fidei*, propositio Synodi Pistoriensis, n. 46, « *effectum excommunicationis exteriorem duntaxat esse, quia tantummodo* « *natura sua excludit ab exteriori communicatione Ecclesiæ;* quasi excommunicatio « non sit pœna spiritualis, ligans in cœlo, animas obligans, » proscripta est, inquam, tanquam « falsa, pernitiosa, in art. 23 Lutheri damnata, ad minus erronea. »

fertur excommunicatio simpliciter et sine addito, id de excommunicatione majori intelligendum esse statuit Gregorius IX, cap. *Si quem*, de Sent. excomm.

§ II

De Effectibus Excommunicationis.

Cum, ex dictis, duplex sit excommunicatio, utriusque effectus hic sunt referendi.

32. — *Quæritur* 1° quinam sint effectus excommunicationis minoris?

Resp. Excommunicatio minor facit, ut excommunicatus non possit recipere sacramenta, nec assumi ad aliquod beneficium, ex c. 10, tit. 27, lib. 5 Decret. Nulla jam exstat minor excommunicatio jure communi lata fidelium communitate, post Constit. *Apostolicæ sedis*, 12 oct. 1869, ex decis. S. Officii, 5 dec. 1883, ut infra, n. 39.

33. — *Quæritur* 2° quotuplicis generis sint excommunicati excommunicationi majori?

Resp. Duplicis generis; alii scilicet sunt *vitandi*, seu denuntiati; alii vero non sunt denuntiati, et *ab Ecclesia tolerantur*.

Olim, ante Concil. Constantiense, omnes excommunicati erant vitandi, dummodo in excommunicationem eos incidisse ita constaret ut nulla tergiversatione celari posset, vel aliquo juris suffragio excusari. At Conc. Constantiense, approbante Martino V, prohibuit communicationem cum excommunicatis tantum, qui *publice* ac *nominatim* sunt denuntiati. Nunc vero, post Constit. *Apostolicæ Sedis*, in duplici tantum casu communicatio cum excommunicatis nominatim denuntiatis sub censura prohibetur, ut infra, n. 67, 68, 89; et ideo in illo tantum duplici casu nominatim excommunicati ex jure canonico sunt *vitandi;* in cæteris casibus excommunicati dicuntur ab Ecclesia *tolerati*, nisi aliter præscribatur in excommunicatione ab homine. Jure tamen naturali et divino persæpe tenemur vitare consortium excommunicatorum etiam toleratorum : scili-

cet, quando ex eorum convictu et conversatione oritur scandalum, vel periculum subversionis nostræ; aut quando spes est fore ut, eos vitando eorumque fugiendo consortium, contumaciam deponant, et ad Deum convertantur.

Quamvis autem fideles non teneantur excommunicatos toleratos vitare, ipsi tamen excommunicati tenentur aliorum vitare consortium tam in rebus civilibus, quam in divinis, donec absolvantur, ut patet ex eadem Extravag. Martini V, quæ nullatenus iis favet, sed solis fidelibus.

His suppositis, agendum est 1° de effectibus majoris excommunicationis respectu ipsius excommunicati, sive tolerati, sive non; 2° de effectibus excommunicationis respectu aliorum; scilicet, quærendum quomodo agendum sit cum excommunicatis non toleratis.

NUMERUS PRIMUS

De effectibus Excommunicationis ~~majoris~~ respectu excommunicati, ~~sive tolerati, sive non.~~

34. — 1° Et quidem excommunicatio ~~major~~ *excommunicatum privat omnibus publicis et communibus suffragiis*, id est, subsidiis spiritualibus, quæ fidelibus proveniunt ex sacrificio Missæ, ex indulgentiis, aliisque vel orationibus, vel actionibus sacris Ecclesiæ totius nomine factis. Hæc enim omnia bona pertinent ad Ecclesiæ dispensationem; et hic effectus locum habet in omnibus excommunicatis nondum absolutis, tametsi jam contriti et Deo reconciliati sint. Potest tamen quisque privatus, etiam Sacerdos, pro quibuslibet excommunicatis, ut resipiscant *privatim* orare, imo et Missæ sacrificium intentione *privata* offerre, modo eorum publice non appellentur nomina.

2° *Excommunicatio privat usu passivo, sive receptione sacramentorum;* mortaliter enim peccaret omnis excommunicatus, qui absque justa causa, puta ob necessitatem vitandi scandalum vel infamiam, sacramentum aliquod reciperet.

3° *Privat exercitio activo sacramentorum,* ita ut excommunicatus mortaliter peccet, sacramentum aliquod ministrando, nisi necessitas excuset, qualis esset necessitas

adulto in extremis posito subveniendi per sacramentum Pœnitentiæ, aut puero per Baptismum sine solemnitate; quod utrumque potest facere Sacerdos excommunicatus etiam vitandus. Valida tamen sunt, etiam extra casum necessitatis, omnia sacramenta quæ confert excommunicatus non toleratus, præter sacramentum Pœnitentiæ, defectu jurisdictionis.

4° *Privat divinis Officiis, sive sacris functionibus, quæ ab Ecclesiæ ministris solemniter fiunt.*

Unde excommunicatus etiam toleratus, non potest licite interesse Missæ sacrificio, recitationi Horarum Canonicarum in choro, nec denique omni orationi publicæ, v. g., processionibus; et ad id tenetur excommunicatus sub culpa mortali, nisi excuset ignorantia invincibilis, aut necessitas, cap. *Significavit*, cap. *Nuper*, cap. *Responso*, de Sent. Excomm. et cap. *Alma mater*, eodem titulo in Sexto. Potest tamen excommunicatus privatim ac sine socio orare, etiam in Ecclesia, ibique audire conciones, cap. *Responso*, mox citato. Imo Presbyter, Diaconus, Subdiaconus et Beneficiarius excommunicatus in recitatione privata officii omittere debet *Dominus vobiscum*, quæ verba cum aliis indicant communionem, et horum locum dicendum est, *Domine, exaudi orationem meam.*

Prætera excommunicatus ~~toleratus~~ sepultura ecclesiastica privatur, ~~nominatim denuntiatus sit; et etiam~~ si, quamvis non denuntiatus, notorie habeatur uti peccator obstinatus. Ejus ~~tamen~~ sepultura in loco sacro locum non violat; sed nihilominus extrahendus est; n. 121.

5° *Alius effectus excommunicationis est inhabilitas ad acquirendu Beneficia;* si enim excommunicatus ante absolutionem acquirit Beneficium, collatio est ipso jure invalida, ut patet ex cap. *Postulasti*, et cap. *Si celebrat*, de Clerico excommunicato ministrante.

Solet tamen Pontifex, quando Beneficium confert, absolvere ab omnibus censuris, ad hunc effectum, ac proinde Beneficii collatio facta a Papa homine excommunito, est valida : nisi forte excommunicatus ille sit hæreticus aut de hæresi suspectus; tunc enim speciali indiget absolutione.

Addo excommunicatum, si perseveret per annum in excommunicatione, posse privari beneficiis obtentis ante excommunicationem. Neque enim excommunicatio privat Beneficio ante eam legitime adepto; imo neque etiam, ut fert probabilior sententia, Beneficii fructibus, cum talis privatio nullibi expressa sit in Jure : ita Collator. Andegavensis, Theologiæ Tourn. Continuator, etc.

6° *Excommunicati excluduntur ab electione canonica activa et passiva*, ita ut nec possint *eligi* ab alio ad aliquod officium spirituale vel Beneficium, nec ipsi alios *eligere*, cap. *Si celebrat*, citato. et cap. *Cum inter*, de Electione.

7° *Excommunicatio privat usu et exercitio* licito *omnis jurisdictionis spiritualis et ecclesiasticæ*, cap. *Audimus* causa 24, quæst. 1, ubi statuitur excommunicatum non posse excommunicare, nec Beneficia conferre, nec delegare, etc. Item capite unico, *Ne sede vacante;* in Sexto.

An vero usu valido privet, distinguunt Doctores : et quidem *ab excommunicatis vitandis fatentur non exerceri valide jurisdictionem :* quod probant ex cap. *Ad probandum*, de Sententia et re judicata; sed a non vitando aiunt valide exerceri jurisdictionem, propter titulum coloratum, qui defectu occulto non aufertur; lege Barbarius, Digest. *de Officio prætoris*, quæ quidem lex in Jure canonico vulgo recipitur. Consule dicta in Tract. *de Pœnitentia*, n. 327.

8° *Excommunicatio privat communicatione civili et politica*, id est, omni humana societate, non solum in rebus sacris, ut diximus, sed etiam in rebus humanis ac profanis : hujusmodi res in hoc versiculo continentur, quem numero sequenti explicabimus :

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

9° *Denique excommunicatio reddit irrita Rescripta apostolica;* id est, gratiæ et concessiones Summi Pontificis non prosunt excommunicato, cap. 1, *de Rescriptis*, in Sexto. Hic tamen effectus vix locum habet, propter clausulam apponi solitam, qua Sum. Pontifex absolvit ab omnibus censuris ad effectum præsentium assequendum, exceptis quibusdam casibus, de quibus supra.

Præter recensitos excommunicationis effectus, alii sunt, qui eam sequuntur per accidens, ob novam excommunicati malitiam; nempe, 1. irregularitatem incurrit excommunicatus, qui officium alicujus Ordinis exercet, de qua irregularitate dictum est in Tract. *de Ordine*, n. 91; 2. qui per annum persistit in excommunicatione, et privatur effectu absolutionis generalis, quæ ex Curiæ Romanæ stylo in Rescriptis pontificiis præmitti solet. Institut. canon. Tract. 2, n. 79, ad 4; Tract. 3, n. 21.

NUMERUS II

De effectibus Excommunicationis majoris respectu Fidelium.

35. — 1° Utrum liceat pro excommunicatis orare jam expendimus in Tractatu *de Euchar.* n, 243, 244.

2° *Prohibitum est omnibus Ecclesiæ ministris, ne sacramenta ministrent coram excommunicatis vitandis :* imo Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a S. Pontifice *nominatim* excommunicatis, et ipsas in officiis recipientes, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, n. 68, et interdictum ab ingressu ecclesiæ, n. 89.

3° *Illicitum est accipere vel petere sacramenta ab excommunicato vitando, nisi adsit gravissima necessitas,* v. g., mortis periculum.

4° *Fideles omnes tenentur excommunicatos non toleratos vitare, non solum in rebus sacris, sed etiam in profanis,* quæ hoc versiculo comprehenduntur :

Os, orare, vale, communio, mensa, negatur.

Per *Os*, intellige colloquia, munera, amicitiæ signa, litteras, etc., cap. *Excommunicatos*, causa 11, quæst. 3.

Per verbum, *Orare*, intellige prohiberi ecclesiastica sacramenta, communia Ecclesiæ suffragia, orationes tam intra quam extra Ecclesiam, et omnia spiritualia, cap. *Sicut Apostoli*, cum sequentibus, ibidem.

Per hanc vocem, *Vale*, intelliguntur mutuæ salutationes, quæ vel scripto, vel verbo, aut alio signo fieri possunt : ibidem.

Per nomen, *Communio*, prohibetur mutua concertatio, societas, commoratio in eadem domo : ibidem.

Per *Mensam*, prohibetur ne quis in eadem domo comedat aut bibat cum excommunicato, aut in eodem lecto dormiat; cap. *Cum excommunicato*, et cap. *Ad mensam*, ibidem.

36. — *Sunt autem aliqui casus in quibus licitum est cum excommunicatis communicare*, quos ex sequenti versiculo deducere possumus :

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Utile significat notabilem utilitatem spiritualem aut corporalem, tum nostram, tum ipsius excommunicati, cap. *Cum voluntate*, de Sent. excomm. : hinc licitum est petere et accipere debitum ab excommunicato vitando, cap. *Intelleximus*, de Judiciis; item eleemosynam, consilium, atque etiam medicinam ab eo petere, aut ei dare ea quibus indiget, ne damnum notabile vel injuriam patiatur in anima, corpore, fama, vel bonis corporalibus; cap. *Quoniam multos*, 11 quæst. 3.

Lex significat legem matrimonii, ob quam conjugati secum invicem cohabitare tenentur; nam uxor excommunicati non tolerati non tenetur conjugem vitare, cap. *Quoniam multos*, mox citato.

Humile designat necessitatem communicandi ratione subjectionis et reverentiæ, quam debent habere liberi erga parentes, et servi sive famuli erga dominos; possunt ergo filii communicare cum parentibus, et servi cum dominis excommunicatis : ibidem.

Res ignorata significat ignorantiam invincibilem tam juris quam facti, de qua supra diximus : hinc si quis ignorans aliquem esse excommunicatum non toleratum cum illo communicet, non peccat, quandiu durat ignorantia.

Per vocem *Necesse*, intelligitur necessitas vitandi grave aliquod incommodum animæ vel corporis, famæ vel bonorum spiritualium, v. g., si quis mortis metu adigatur communicare cum excommunicato non tolerato, non peccabit, dummodo non participet in crimine criminoso, ut vocant, n. 67.

Denique excommunicatus non toleratus, sine absolutione mortuus, privari debet ecclesiastica sepultura, omnique honore ex officio funebri fidelibus exhiberi solito, cap. *Sacris*, mox citato; adeo ut polluatur Ecclesia vel Cœmeterium ex talis excommunicati vel hæretici nominatim denuntiati sepultura.

37. — Ex his omnibus facile infertur nihil esse ita formidandum quam ab Ecclesia separari per majorem excommunicationem. Cum enim excommunicatus supponitur saltem in foro Ecclesiæ divina gratia sanctificante privatus, et in eo statu pertinax, atque etiam ulterius maneat destitu-

tus communibus Ecclesiæ auxiliis, quibus multum juvari posset ad obtinendam a Deo gratiam, merito habetur quasi Satanæ traditus. Unde, in primitiva Ecclesia, permisit Deus ut per hujusmodi censuram sæpe peccatores traderentur potestati dæmonis, etiam corporaliter. Eadem ratione Tertull., *Apolog.*, 39, dicere potuit « summum futuri judicii præjudicium esse, si quis ita deliquerit, ut a communione orationis et omnis sancti commercii relegetur. » Vide Suarez, de *Censuris*, disput. 9, sect. 1.

38. — *Quæritur* qui sit *Monitorium?*

Resp. Monitorium est monitum publicum de excommunicatione majore incurrenda ab iis, qui intra certum tempus non revelarint factum aliquod particulare, vel partis læsæ damnum non repararint : hinc patet Monitorium esse excommunicationem ab homine. Jamdiu in desuetudinem venit praxis hujusmodi monitorii.

§ III

De Excommunicationibus in particulari.

39. — *Nota.* Pius IX, Bulla *Apostolicæ Sedis*, 12 oct. 1869, ex omnibus *latæ* sententiæ censuris jure communi statutis alias retinuit, alias vero abrogavit, alias denique moderatus est; ita ut, ex censuris latæ sententiæ, jam nunc ad *jus commune* non pertineant, neque robur habeant, nisi censuræ illæ, quæ in præfata Constitutione sunt recensitæ, vel quæ ipsi a tempore quo promulgata est, accesserunt, vel postmodum accedent. Cæterum, veteres censuræ quæ in illa Constitutione retinentur, ex ipsa vim prorsus accipere debent, haud secus ac si primum editæ ab ea fuerint, uti expresse ibidem declaratur.

Proinde, 1. si quæ ex veteribus censuris non certo innovantur, uti abolitæ reputandæ sunt, cum ex parte saltem præfatæ Constit. finis fuerit, ut limitarentur hujusmodi censuræ. 2. Quæ vero ex integro innovantur, intelligendæ sunt juxta antiquam sententiam Theologorum et Canonistarum, et præsertim juxta Rom. Congreg. decisiones, si quæ sint. 3. Quæ tandem temperatæ fuerunt, cum hoc temperamento accipiendæ sunt, ita ut semper præfata Constitut. sensus anteponatur. D'Annibale, *de Censuris*, n. 389, nota 3.

Cæterum, in præfata Bulla nihil innovatur quoad censuras *ferendæ* sententiæ jure communi jam statutas.

Præter censuras in illa Constitutione expresse recensitas insuper ex eadem Constitutione retinentur et *innovantur*, omnes illæ quas statuit Conc. Trid.[1].

Quoad autem censuras ex jure communi *hactenus vigentes*, sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcunque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcunque Collegiorum, Congregationum, cœtuum locorumque piorum, cujuscunque nominis aut generis sint, eas non innovat quidem Constitutio *Apostolicæ Sedis*, sed declarat non esse abrogatas atque in suo vigore manere, id est, in eo statu quo reperientur, quin Constitutio præfata eas vel deleat, vel eis novum vigorem adjiciat; ita ut, si ejusmodi peculiares censuræ in aliquo instituto vel pio loco in desuetudinem abiissent, vel ex aliqua causa cessassent, nullatenus censentur reviviscere seu innovari per illam Constitutionem.

Nunc vero recensemus omnes Excommunicationes in præfata Bulla insertæ, et etiam eas quas statuit Conc. Trid. Quadruplicis generis sunt illæ excommunicationes : aliæ speciali modo reservatæ S. Pontifici, aliæ eidem Pontifici simpliciter reservatæ, aliæ reservatæ Episcopis, aliæ nemini reservatæ.

1. Conc. Trid. alias censuras directe inflixit, alias vero indirecte. Censuras quas directe inflixit, infra retulimus, n. 70, 79 et seq., 90, 91, 107 et seq. Censuræ autem quas eadem Synodus indirecte inflixit, illæ sunt quæ indicantur sive per generalia verba, ut v. g., in sess. 21, c. 1, 2, *de Reform.*; sive per speciales allegationes, ut, v. g., in sess. 14, c. 6; sess. 24, c. 3.

Quæri potest an hujusmodi censuræ a Conc. Trid. indirecte inflictæ in vigore sint post Constitut. *Apostolicæ Sedis*. Porro negative respondendum est, ut aperte deducitur tum ex scopo, quem Constitutio *Apostolicæ Sedis* sibi proponit, nempe, ut certus ac determinatus prorsus censurarum numerus haberetur : quod autem non obtineretur, si permanerent censuræ a Conc. Trid. statutæ his aut similibus verbis : « Qui secus fecerit, pœnas a jure inflictas ipso facto incurret; » tum ex ipsa loquendi ratione, qua utitur præfata Constitutio, cum excommunicationi, suspensioni ac interdicto obnoxios declarat quos Conc. Trid. *excommunicavit*, vel suspensos aut interdictos *ipso jure esse decrevit*. Ita aliunde communiter recentes auctores. Imo nequidem obligant censuræ ab ipso Conc. Trid. directe inflictæ, sed quæ, mutatis temporibus, absolverunt, ut sess. 25, *de Ref. Regul.*, c. 4; et his locis exceptis, ubi Conc. Trid. non obtinet. D'Annibale, *de Censuris*, n. 389, *nota* 2.

NUMERUS PRIMUS

Excommunicationes latæ sententiæ speciali modo S. Pontifici reservatæ.

1.

40. — Omnes a christiana fide apostatas et omnes ac singulos hæreticos, quocunque nomine censeantur, et cujuscunque sectæ existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

1° Quinam nomine *apostatæ* comprehendantur, diximus in Tract. *de Decalogo*, n. 36.

2° Conditiones requisitas ut hæreticus illam excommunicationem incurrat, recensuimus in Tract. *de Decalogo*, n. 35, in fine. Iisdem conditionibus subjicitur censura inflicta tum apostatis, tum eis qui hæreticis aut apostatis credunt, de quibus statis dicendum.

3° Per hæc verba, *eisque credentes*, indicatur quædam distinctio inter ipsos hæreticos aut apostatas, ita ut duplex videatur esse hæreticorum aut apostatarum classis, scilicet : ad primam classem pertinent magistri ac duces hæreticæ aut apostatæ sectæ, et etiam illi qui dant nomen hæresi, unamque sectam constituunt; in secunda vero classe recensentur illi, qui hæreticis aut apostatis per aliquod factum externum adhærent, quanquam formaliter ad sectam non pertineant, quatenus, nimirum, nomen non dederunt sectæ, nec gubernantur per sectæ leges, nec juramenta, si quæ exigantur, emittunt, nec cæteris externis formis ligantur. Tales sunt, v. g., qui putant et dicunt Protestantes, qua tales, habere veram fidem; qui, morbo jacentes, spiritualem hæreticorum assistentiam postulant; qui, licet nondum assentiant hæreticorum erroribus, eo tamen animo externe manifestato ad illos audiendos accedunt, ut parati sint credere, si rationes vel motiva hæreticorum placeant, quia qui sic accedit, jam dubius in sua fide est, et ideo hæreticus; qui externa sua actione errorum hæreticorum sese ostendunt sequaces, etsi in foro interno forte non sint hæretici. Isti enim implicite sunt in hæresi, ut sunt ob suas actiones externas, qui sese vel nomine tenus adscribunt sectæ hæreticæ vel schismaticæ, etiamsi animo hæresi non adhæreant; qui communicant damnatis hæreticorum aut schismaticorum ritibus, v. g., matrimonium ineundo coram ministro hæretico vel schismatico sacris addicto; sed etiam, receptores, fautores, defensores, causa hæresis, eorumdem hæreticorum.

4° *Receptores* hæretici vel apostatæ dicuntur, qui alicubi v. g., in

in agro, in domo, vel in alio loco, hæreticum aut apostatam excipiunt, ne in manus ministrorum Ecclesiæ veniant, aut in alio modo ei favent *in ipsa apostasia* vel *hæresi*, v. g., ut secure vivat in suo errore, vel illum doceat. Unde caupones, qui hæreticum *hospitio;* non vero ratione hæresis tuendæ, excipiunt, illam censuram non incurrunt.

5° *Fautores* hic dicuntur, qui apostatis aut hæreticis auxilio sunt, ut suos errores in actum deducere, exercere, diffundere valeant. Hoc fit vel negative, vel positive : *negative*, quando quis in hæresis favorem negligit id, ad quod ex officio tenebatur; *positive*, quando præstatur favor vel consilio, vel testimonio, et aliis similibus verbis, vel rebus, aut pecuniis, armis, sepultura in loco sancto, ea præcise ratione, quia defunctus fuit hæreticus, aut apostata. S. Officium, 12 jul. 1878.

6° *Defensores* apostatarum aut hæreticorum illi sunt, qui tuentur errores vel personas eorum, ita tamen ut defensio personæ redundet in ejus errores. Unde illam censuram non incurrit, qui apostatam aut hæreticum defendit extra hæresis aut apostasiæ causam.

Cæterum, ut præfati receptores, fautores, defensores maneant excommunicati, non requiritur quod hæreticus aut apostata, cui favent, sit denuntiatus; sed sufficit ut quis faveat uti certo hæreticus est aut apostata. Equidem *communicatio* cum hæretico non importat censuram, nisi hæreticus sit in conditionibus recensitis, n. 33, 67, 68; at censura, de qua agitur, statuta est non sane communicationis causa cum hæretico excommunicato, sed quia ponitur actus hæretico aut apostatæ ut tali favorabilis.

Demum, qui præfatam censuram speciali modo S. Pontifici reservatam incurrit ratione auxilii, favoris hæretico aut apostatæ præstiti, non subjicitur censuræ de qua agitur n. 67. Pœnæ enim non sunt multiplicandæ, nisi constet multiplicandas esse.

2.

41. — Omnes et singulos scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicæ, libros eorumdem apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes.

Sensus hujusmodi censuræ expendi potest sub quadruplici respectu, scilicet, ex parte 1° notionis libri prohibiti, 2° conditionum ejusdem libri, 3° subjecti censuræ, 4° auctoritatis libros prohibitos legendi licentiam concedentis.

I. *Notio libri sub censura prohibiti.* Non consentiunt auctores an

sub nomine *libri* huc veniant manuscripta et libelli leviusculi (les brochures). Quoad *manuscripta*, alii sat probabiliter negant, inter quos Tamburinus, Lacroix, Viva, Roncaglia; alii vero communius et probabilius affirmant, inter quos Suarez, Sanchez, de Lugo, Layman, Schmalzgrueber, Ferraris.

Quoad *libellos*, alii communius et probabilius negant, inter quos Sanchez, de Lugo, Schmalzgrueber, Pichler, Layman, Ferraris; alii autem probabiliter affirmant, inter quos Suarez, Reiffenstuel, Leurenius, Diana, Salmant. In praxi tutior pars sive pro libellis, sive pro manuscriptis omnino consulenda est, quia in hac materia expedit rigidiores sequi opiniones, ait S. Ligor., *dissert. de prohib. libror.* c. 5, n. 8. — *Lapsus periodicals*

Cæterum, quotnam requirantur paginæ ut constituatur liber, stricte determinari nequit; sed videndum est an, juxta usum et existimationem communem, aliquod hæretici scriptum sit vel non sit dicendus liber. Ita de Lugo, *de Virt. fidei*, disput. 21, n. 38.

Juxta omnes, quotidiana diarii folia, separatim spectata, libri proprie dici nequeunt; et ideo scienter *legentes ephemerides propugnantes hæresim* non cadunt sub censura, ex decis. S. Officii, 27 apr. 1880. Si vero agatur de fasciculis periodicis, quorum unusquisque non efformat vere librum, distinguendum est: vel quisque fasciculus est ab aliis independens, et tunc non cadit sub censura; vel est pars unius et ejusdem operis, et tunc sub censura comprehenditur.

II. *Conditiones libri sub censura prohibiti.* Ex textu præfatæ censuræ, duplex est illorum librorum classis: alii, nimirum, prohibentur per Litteras Apostolicas, id est, per Bullam, vel Breve vel epistolas Encyclicas, aut aliam quamvis extrinsecam formam, quando in ipsis litteris legitur de *Apostolicæ nostræ auctoritatis plenitudine*, aut *Apostolica auctoritate;* alii vero non prohibentur per hujusmodi Litteras.

Porro libri prohibiti per Litteras Apostolicas cadunt sub illa censura, quando duplex adest simul conditio: scilicet, 1. prohibeantur *nominatim*, id est *per suum proprium titulum;* et non tantum generica aliqua ratione, v. g., omnes libri talis vel talis auctoris, vel libri qui adversantur huic vec illi doctrinæ capiti; 2. prohibeantur *sub excommunicationis pœnæ latæ sententiæ S. Pontifici reservatæ.* Quæ si desit ultima conditio, manebunt quidem prohibiti illi libri, non tamen sub censura qualibet. Ita Avanzini, *Acta S. Sedis*, t. 6, Appendix 3, p. 125; Falise, *Nouvelle revue Theol.*, t. 4, p. 478. Cæterum, illa dispositio comprehendit sive futuros libros prohibendos, sive præteritos jampridem sub censura nominatim prohibitos per litteras Apostolicas.

Si liber per Litteras Apostolicas non sit prohibitus, duplex etiam requiritur conditio ut in censuram incurrat, nempe 1. sit apostatæ aut hæretici ut *talis publice cogniti*, vel quando librum composuit, licet non sit ut talis damnatus, vel ex ipsa hæresis aut apostasiæ propugnatione in libro contenta, et ita pertinaciter facta, ut dubitari non possit auctorem libri esse certe hæreticum aut apostatam. Ita communiter auctores contra Gury, t. 2, n. 982, 4°, ubi docet ad censuram requiri ut hæreticus sit damnatus quatenus hæreticus vel natus in secta hæretica. 2. Hæresim non solum contineat, sed eamdem propugnet.

Hinc nec decreta Indicis librorum prohibitorum non in forma Litteræ Apostolicæ emissa et cum censura apposita, nec Indicis regulæ de libris prohibitis jam nunc ullam secum trahunt censuram. Ita de Angelis, lib. 1, tit. 31, n. 11.

Item, sub præfata censura non prohibentur libri etiam hæresim propugnantes, sed scripti ab eis qui credunt hæreticis aut apostatis, nisi tamen, ut jam dictum est, ex ipsa hæresis aut apostasiæ propugnatione in libro contenta et pertinaciter facta, dubitari non possit auctorem libri esse certe hæreticum aut apostatam ; nec libri eorum, qui sunt hæreticorum aut apostatarum receptores, fautores, receptores, ut ait de Lugo, *de Virt. fidei*, disp. 21, n. 55-59, vel qui sunt infideles, uti Judæi ; nec libri ipsorum hæreticorum aut apostatarum hæresim quidem continentes, sed eam non propugnantes, et confirmatur decis. S. Congr. Ind., 27 apr. 1880 ; nec, saltem probabiliter, eorumdem libri expurgati paginis, in quibus propugnatur hæresis ; nec tomi ejusdem operis ab hæretico aut apostata conscripti, in quibus hæresis non propugnatur, modo considerari possint uti formaliter distincti seu independentes a tomis in quibus hæresis astruitur.

III. *Subjectum censuræ*. Quatuor sunt personarum classes, quæ præfatam censuram incurrunt, nempe, *scienter legentes*, *retinentes*, *imprimentes*, *quomodolibet defendentes* librum sub censura prohibitum.

Particula *scienter* cadit in quatuor verba *legentes*, *retinentes*, etc. ; atque ea est vis ejus, ut a censura excuset, vel prohibitionis libri, vel censuræ ignorantia etiam crassa et supina, imo, juxta plures, n. 14, affectata, modo non sit ingens temeritas, quæ sane adest, quando ille, de quo agitur, vehementem suspicionem habuit prohitionis libri sub censura.

1° *Legentes* librum sub censura prohibitum, sive verba pronuntient, sive oculis tantum paginam percurrant, modo verborum intelligentiam habeant, et etiam adsit materia gravis, nec ignorantia excuset, præfatam censuram incurrunt.

Materia autem, ut gravis dignoscatur, attendenda est non secundum se, sed præsertim secundum finem prohibitionis seu ratione periculi. Unde, si quis aperiens librum hæreticum statim incidat in lineas continentes apertam hæresim, nec a lectione paucarum linearum desistat, peccat graviter et incurrit ex hac parte excommunicationem. Si vero incidat in materiam indifferentem, et ut talem cognoscat, quamvis integram talis materiæ indifferentis paginam legat, non peccat mortaliter, quia sic non se exponit perversionis periculo. Ita Ferraris, Sporer, Lacroix, S. Ligor. libr. 6, n. 284.

Nec refert quod quis, ut excusetur a censura, legat folia ex libro prohibito separata; pars enim sub toto comprehenditur; et in quacunque libri parte potest esse periculum, quod lex cavere studuit. Ita omnes contra Gury, tom. 2, n. 982; vide Suarez, *de Fide*, disp. 20, sect. 2, n. 9; de Lugo, *de Fide*, disput. 21, n. 60.

Disputant auctores an subjiciatur censuræ, qui *audit* lectionem libri sub censura prohibiti. Alii affirmant, inter quos Suarez, Diana, Reginaldus, quia in hoc etiam casu permanet motivum legis seu perversionis periculum. Alii autem negant, inter quos Sanchez, de Lugo Bonacina, Roncaglia, Viva, eo quod lex pœnalis stricte interpretanda est. Alii tandem distinguunt, videlicet, ille, qui audit, vel alterum ad legendum induxit, vel non : si prius, incurrit censuram, juxta regulam juris : *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum :* si posterius, excusatur a censura, quia nec legit, nec censetur legere. Ita Lacroix, Layman, Schmalzgrueber, Pichler, Pignatelli, S. Ligor., *Dissert. de prohib. libror.*, c. 5, n. 8. Quæ ultima sententia probabilior nobis videtur.

2° *Retinentes* librum sub censura prohibitum, etiam sine intentione illum legendi, per notabile tempus, sive apud se, sive apud alium, sive uti domini, sive uti depositarii, præfatæ censuræ subjiciuntur.

Finis enim legis quoad hanc partem est, ut tales libri destruantur; et ideo contra hoc fit, quoties retinentur, etiamsi sit ad splendorem aut curiositatem, imo ad obvolvenda aromata, carnesve, uti peragunt aromatarii et lanii. Ii enim libros illos vere retinent, et in causa sunt, ut libri folia in plures distribuantur. Ita Sanchez, Reiffenstuel, Schmalzgrueber.

Excusatur autem a censura qui uno alterove die librum aliquo tempore retinet, expectando tempus opportunum ut superiori eum tradat; item, qui retinet aliquam tantum exiguam libri partem. Cæterum, major quantitas libri requiritur respectu retentionis, ac lectionis, cum minus sit delictum retinere, quam legere, ut communius et probabilius sentiunt Sanchez, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Roncaglia, Castropalao, Mazzotta.

Nec ad censuram incurrendam sufficit intentio librum retinendi per notabile tempus, si ante hoc tempus elapsum mutetur intentio, et destruatur liber; ita plerique auctores, contra Suarez, de Lugo. Omnes tamen fatentur præfatam intentionem esse graviter culpabilem, et ideo omnino præcavendam.

3° *Imprimentes* librum sub censura prohibitum, id est, auctor libri, impressor seu dominus totius impressionis, etiamsi manibus suis non laboret et omnes ministri qui impressionem exsequuntur, illam censuram incurrunt. Correctores, si excusantur ab actione imprimendi, ut putant Sanchez, Suarez, de Lugo, Ferraris, Lacroix, Pignatelli, contra Reiffenstüel, Bonacina, Castropalao, Reginaldum, Pichler, non possunt excusari ab actione legendi, modo verba intelligant, juxta fere omnes.

Quantitas impressionis requisita ad censuram incurrendam eadem videtur esse ac ea, quæ sub censura prohibetur pro lectione.

4° *Defendentes quomodolibet* librum sub censura prohibitum, id est, qui vi vel fraude defendunt librum ne comburatur, aut ne in manus judicis ecclesiastici veniat; qui sive verbo, sive scripto argumentis confirmant doctrinam talis libri, quatenus in illo est, vel respondent ad argumenta contra illum facta; qui asserunt librum non esse prohibitione dignum, qui eum simpliciter laudant, cadunt sub censura. Secus vero, si tantum stylus, aut eloquentia, aut aliquid simile commendetur.

IV. *Auctoritas licentiam legendi librum sub censura prohibitum concedens.* Ex ipsa formula censuræ, de qua agitur, ut quis licite absque censuræ reatu legere possit libros sub censura prohibitos, requiritur licentia concessa a Sede Apostolica, id est, a S. Pontifice, vel a S. Congregat Inquisit. aut Indicis.

Jam vero, si hujusmodi licentia alicui privato aut communitati immediate concedatur a S. Sede, ejus extensio quoad legendos libros, tempus et locum in ipsa concessionis formula determinatur.

Si vero immediate concedatur Episcopo facultas quæ dicitur quinquennalis, uti ordinarie evenit, hæc facultas sub omni respectu restringitur : nimirum, 1. ipse Episcopus illa non potitur nisi ad quinquennium; 2. nec ea uti potest nisi intra suæ diœcesis limites, nec proinde aliis latiorem concedere; 3. nec eam communicare potet nisi ad tempus; nec ea ullomodo gaudet pro quibusdam operibus nominatim determinatis, et aliis operibus *de obscœnis, et contra Religionem ex professo tractantibus.*

Requiritur autem ut hoc fiat *ex professo*, quod liber sic tractet in aliqua sui notabili parte, allatis fundamentis, auctoritatibus, et similibus. Imo restrictio de libris *contra Religionem* ex professo trac-

tantibus, non verificatur, juxta Heymans, Falise, nisi quando libri impugnant omnem prorsus religionem non solum supernaturalem, sed etiam naturalem.

Quoad clausulam in formula concessionis quinquennalis appositam : *Ad effectum illos libros impugnandi,* non necesse est ut verificetur ; finis enim præcepti non cadit sub præcepto. Aliunde superior dispensat, vel quia considerat dispensato non imminere perversionis periculum ; vel quia sperat lectionem esse illi aut aliis proficuam ; unde, cessante prima causa, non cessat secunda. Ita S. Ligor., lib. 7, n. 291. Attamen hujusmodi lectiones etiam pro piis sacerdotibus periculosæ evadunt, si omnino recta deficiat intentio.

3.

42. — Schismaticos, et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

Quinam nomine *schismatici* veniant, dictum est in Tract. *de Eccl.*, n. 115. An in præfata censuræ formula designentur duæ personarum classes, nempe 1. *schismatici* proprie dicti, 2. *ii qui a R. Pontificis*, etc., disputant Canonistæ. Alii sentiunt secundam partem formulæ esse tantum primæ explicativam ; ita Suarez, Sanchez, Schmalzgrueber, Pirhing, Catalanus, Bonacina. Alii putant secundam formulæ partem appositam fuisse ad indicandos subdolos antiquos, qui malitiam velare conantur, dicentes se non negare obedientiam S. Sedi, sed tali S. Pontifici viventi, ob peculiares rationes ; postea tamen ejus successori obedientiam præstituros. Ita de Lugo, Card. Albitius. Alii tandem asserunt per vocem *schismatici* designari schismaticos simpliciter dictos seu *positivos,* et per cætera verba prædictæ formulæ significari schismaticos *negativos ;* vide Tract. *de Eccl.*, n. 100, 115 ; *de Fide,* n. 140.

Cæterum, sub hac censura comprehenduntur, ut putamus, illi catholici *liberales*, ut aiunt, qui, repulsa data legibus et mandatis R. Pontificis, sese publice gerunt tanquam solutos ab ejus obedientia, licet nulli alii ecclesiasticæ auctoritati adhæreant, vel nullam auctoritatem constituere conentur. Nam, ut quis sit schismaticus, satis est ab obedientia pertinax recessio.

4.

43. — Omnes et singulos, cujuscunque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad uni-

versale futurum Concilium appellantes, necnon eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

Sub verbis *ordinationibus seu mandatis*, comprehenduntur sententiæ, præcepta, leges, censuræ, pœnæ sive generales, sive speciales. — Nec distinguendum videtur, ait Suarez, *de Censuris*, disp. 21. sect. 2, n. 15, de appellatione a mandato *justo* vel *injusto;* quia hæc constitutio indistincte et absolute loquitur, atque fundatur in eo quod sic appellans injuriam facit S. Sedi, dum videtur profiteri Concilium generale esse illa superius : quod tam fit a sententia injusta appellando, quam a justa. An vero incurratur illa censura, si quis appellet a sententia lata a S. Pontifice uti principe temporali, affirmant Roncaglia, Bonacina, Card. Petra; negant autem Catalanus, Reginaldus, Castropalao. — An etiam incurratur præfata censura, si quis appellet ad Concilium generale actualiter congregatum, negatur communiter, quia in censura agitur de appellatione ad *futurum* Concilium.

5.

44. — Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos. Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuntios, aut eos a suis Diœcesibus, Territoriis, Terris, seu dominiis ejicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

1° *Interficientes*, qoocunque modo inferatur mors; dum hæc reapse ex attentatione sequatur, et adfuerit interficiendi voluntas, ut putant Duardus, Alterius, Roncaglia. — 2° *Mutilantes*, amputando scilicet membrum aliquod principale, vel quod officium proprium habet, uti oculus, pes, manus. Amputatio digiti non sufficeret. — 3° *Percutientes*, et quidem graviter, sive manu, sive baculo, sive lapide, etc. Non sufficeret, si quis vestimenta Prælati dilaceraret, vel eum conspueret. — 4° *Capientes*; ipsum factum capiendi sufficit, quocunque modo fiat. — 5° *Carcerantes*, id est, aliquem in aliquo loco custodire, ne fugiat, vel tradere in aliquem locum et custodire ne exire possit, sive hoc fiat auctoritate publica, sive privata. — 6° *Detinentes*, ita ut detentio supponat violentiam physicam. Juxta Roncaglia, detentio violenta per unum diem esset materia levis; talis materia gravis nobis videtur. — 7° *Hostiliter insequentes*, nempe cum intentione nocendi fugienti, eum verberando, vulnerando, spoliando, apprehendendo, occidendo, etc. Ita Passerini, Suarez, *de Cens.*,

disp. 22, sect. 3, contra Roncaglia, qui asserit sufficere ipsa persecutio ex se injuriosa. Unde non obstringitur vinculo hujus censuræ, qui Prælatum sequitur solum ut verecundia aut verbis contumeliosis afficiat. — 8° *Eos a suis diœcesibus*, etc.. *ejicientes*, et ideo non subjiciuntur huic censuræ, qui prælatis interdicunt *ingressum* in propriam diœcesim aut in territorium legationis, quia *ejectio* est expulsio e loco, ubi quis *receptus* erat. An præfatam censuram incurrerent, qui Prælatum a loco originis, vel in quo defixisset domicilium, ejicerent, affirmant Suarez, Bonacina contra Castropalao, Navarrum, Ugolinum, Duardum, Mazzotta, quibus assentimus. Aliunde non refert quod ejectio fiat violentia physica, vel minis tantum. — 9° *Mandantes*, modo mandatum peragatur, nec ante exsecutionem serio revocatum fuerit, etiamsi hæc revocatio mandatario non fuerit notificata, ut aiunt plerique auctores. — 10° *Rata habentes*, modo actio facta fuerit in nomine illius qui eam ratam habet, et quidem uti in suo nomine factam; et etiam modo ratihabitio aliquomodo exterius manifestetur, ac tandem approbans fuerit habilis ad talem actionem præscribendum momento quo patrata est. Hæc quarta conditio a pluribus rejicitur. An incurrat præfatam censuram, qui primum improbavit, et deinde approbat, non consentiunt auctores. — 11° *Præstantes eis auxilium*, quomodolibet quis auxilium et opem scienter præstet, modo delictum principale patretur. — 12° *Consilium*, nempe, suadendo, rogando, impellendo, instruendo, utilitatem ostendendo, modo crimen principale de facto patretur, et ejusdem consilium fuerit causa efficax, nec ideo crimen ex se efficaciter revocatum sit, proponendo rationes sufficientes ad consilium iniquum removendum. In dubio an fuerit causa efficax, non concordant auctores. — 13° *Favorem*, scilicet, commendando, laudando delinquentem, ut delictum committat, aut eumdem tuendo, comitando vel alia simili ratione adjuvando, ut crimen tuto patret; et ideo non incurritur censura, si favor de facto in criminis eventum non vertat. Delinquentibus autem favent, qui cum possint et ex officio tenentur, tamen manifesto facinori desinunt obviare. Cæterum, in illa censura agitur de Episcopis institutis simul et consecratis, et non solum institutis.

6.

45. — Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum sæculare ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem præstantes.

1° *Impedientes*, sive princeps, sive privati, et quidem efficaciter,

vi aut metu, judicem ordinarium aut delegatum ecclesiastica jurisdictione utentem. Unde non adest censura, si quis impediat supplicationibus, exhortationibus, pecunia, vel si vi aut metu cogat ad actum jurisdictionis ecclesiasticæ in foro interno aut externo. — *Directe* si quis obsistat ipsi personæ ecclesiasticæ jurisdictionem habenti, eamque exercere volenti. — *Indirecte*, si quis prohiberet ministros necessarios, sine quibus judex ecclesiasticus suam jurisdictionem exercere non posset. — 2° *Ad hoc recurrentes ad forum seculare*, id est, ad civilem potestatem sive legislativam, sive administrativam, sive judiciariam; *ejusque mandata procurantes :* quæ verba sunt cum immediate præcedentibus conjunctiva; ita *Acta S. Sedis*, t. 9, append. 5, p. 252. — 3° *Edentes*, et ideo sub hac voce non comprehenduntur illi, qui illa mandata exsequuntur. Cæterum, sive impedientes, sive recurrentes, aut edentes non incurrunt præfatam excommunicationem, nisi *effectu secuto*, sine quo reapse jurisdictio ecclesiastica non impeditur. 4° *Auxilium, consilium vel favorem præstantes*, scilicet, sive recurrentibus et procurantibus mandata, sive edentibus, si tamen mandata exsecutione compleantur. Vide, n. 44, sensum verborum *auxilium, consilium, favorem præstantes;* et de illa censura vide *Acta S. Sedis*, ibid.

7.

46. — Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones; item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ.

1° *Cogentes*, etc. Ex decis. S. Officii, 23 jan. 1886, caput *cogentes* non afficit nisi *legislatores et alias auctoritates* cogentes, sive directe, sive indirecte, judices laicos ad trahendum, etc. *Directe* quidem, per leges ad hoc conditas; *indirecte* autem, nempe judicibus timorem gravem incutiendo mali corporalis, amissionis officii, vel ejus familiæ damna inferendo : ad quæ damna vitanda judex ad suum tribunal traheret personas ecclesiasticas, id est, clericos, religiosos, novitios, conversos viventes in Ordine saltem implicite a S. Pontifice approbato. Insuper requiritur ut illa coactio fiat præter canonicas dispositiones. Sunt enim casus in re civili aut criminali, in quibus ex jure canonico licet cogere personas ecclesiasticas coram judice laico. Vide Institut. canonicas, Tract. 8, n. 12-17. Ex præfata decis. S. Officii, « in iis locis, in quibus fori privilegio per S. Pontificem derogatum non fuit, si in eis datur jura sua persequi nisi apud judices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam

petere, ut clericos in forma laicorum convenire possint : eamque Ordinarii nunquam denegabunt, tum maxime, cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra opera dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia S. Sedis non licet. Et, si quis ausus fuerit trahere in judices laicos vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit in eum, præsertim si fuerit clericus, animadvertere pœnis et censuris ferendæ sententiæ, uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino judicaverint. » — 2° *Edentes leges*, etc., sive principes, sive ministri principis, sive deputati legislatores, modo lex sit promulgata. 3° *Decreta*, id est, illud omne quod constituitur a principe aut superiore, sive per modum statuti, aut præcepti, aut sententiæ, aut mandati *contra libertatem* aut *jura* Ecclesiæ. Ideo non subjiciuntur præfatæ censuræ, qui applicant hujusmodi leges aut decreta, v. g., judices. Vide de Angelis, lib. 3, tit. 49, n. 4.

8.

47. — Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quælibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscunque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes sive alios lædentes, vel perterrefacientes.

1° *Recurrentes* etc., sive per appellationem, sive per supplicem libellum, sive per alium modum; nec necesse est ut recursus suum sortiatur effectum. Requiritur tamen ut acta S. Sedis aut ejus delegatorum sint jam *profecta* seu emissa. Sub nomine *delegatorum* veniunt Congregationes Romanæ. — 2° *Prohibentes executionem*, etc., sive prohibens sit laicus, sive ecclesiasticus, et etiam Episcopus, nisi Episcopus justa de causa id faciat; per quodcunque impedimentum, etiam indirecte illatum, ut si quis prohiberet illum cui commissa est executio litterarum, ingredi civitatem vel locum, ubi executio est facienda. Sufficit ipsa prohibitio, nec requiritur ut sit efficax. — 3° *Lædentes ipsas partes* aut *alios* sive in ipsis personis, sive in earum bonis, *vel perterrefacientes* ex metu et terrore gravi, et quidem causa actorum S. Sedis.

9.

48. — Omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. F. R. Vice-

Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato Ejusdem Romani Pontificis signatorum : nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes Vice-Cancellarii aut Gerentis vices prædictorum; n. 74.

1° *Omnes falsarii Litterarum Apostolicarum etc.* Requiritur falsificatio qua mutetur ipse sensus sive Litterarum Apostolicarum, id est, alicujus Bullæ aut Brevis, sive supplicationum; et ideo non cadit sub censura, qui præscribit falsificationem; nec qui falsarius est Litterarum Apostolicarum nondum expeditarum, id est non subscriptarum et obsignatarum; nec qui emendat errores in illis Litteris aut supplicationibus contenti, ut aiunt plerique auctores contra Suarez et alios paucos. Nec refert quod illæ Litteræ sint invalidæ obreptionis aut subreptionis causa. — 2° *Nec non falso publicantes Litteras Apostolicas;* unde sub censura non comprehenduntur falso *fabricantes* illas Litteras, modo eas non publicent, nec etiam falso publicantes *supplicationes* gratiam vel justitiam concernentes. — 3° *Falso signantes supplicationes;* et hinc non incurrit censuram qui falso signat Bullam aut Breve. Aliunde falso signare est signare sub nomine Papæ, aut Vice-Cancellarii vel eorum vires gerentium, sine consensu et mandato Papæ.

10.

49. — Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

De hujusmodi censura agimus in speciali Tract. de Virtute castitatis, n. 150-152. Hic igitur quædam tantum indicare possumus. Scilicet,

1° *Absolventes*, et ideo censuram non incurrunt confessarii si fingant absolvere, ex decisione S. Pœnitentiariæ, 1 mart. 1878, et S. Officii, 10 dec. 1883. Hujusmodi simulationis notio exponitur in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 138-140.

2° *Complicem*, et quidem ut talem a confessario certo cognitum. Si dubium sit an casus complicis vere adsit, confessarius non potest absolvere juxta quosdam, tum quia potestas est dubia, tum quia hic denegatur potestas ad *cautelam*, et ideo pars tutior est eligenda. Juxta alios, potest absolvere, ex dictis n. 15, et in Tract. *de Pœnit.*, n. 328.

3° *In peccato turpi*, scilicet, contra sextum Decalogi præceptum

sive cum viro, sive cum muliere, *ex utraque parte certo mortali*, non solum interno, sed etiam ratione actus *externi*, *cum mutuo consensu exterius manifestato;* non est enim complicitas formalis in actibus mere internis, nec sine communicatione in una moraliter actione. Ita omnes. An sub designatione *peccati turpis* comprehendantur turpiloquia, vel aspectus, plerique affirmant Theologi et Canonistæ contra paucos; hodie vero hæc posterior sententia jam non est probabilis post decisionem datam a S. C. Inquisit. 28 maii 1873, quæ sic se habet : « Prohibitio absolvendi complicem in materia turpi comprehendit nedum tactus, verum omnia peccata gravia et exterius commissa contra castitatem, etiam illa quæ consistunt *meris colloquiis* et *aspectibus qui complicitatem important*. » — An sub eadem designatione peccati turpis veniant peccata a confessario commissa etiam ante sacrorum ordinum receptionem et nondum ab alio confessario directe remissa, affirmant communiter Theologi; et consonat decis. S. Pœnitent. 22 janv. 1876. — Retinet autem confessarius jurisdictionem quoad subsequentia peccata, postquam complex semel ab alio rite fuerit absolutus[1], nisi adsit prohibitio aut reservatio episcopalis : quam porro prohibitionem aut reservationem episcopalem reprobavit S. Congr. Concilii, 2 dec. 1679; vide *Analecta*, 1864, col. 752. Attamen, si confessarius incurrerit præfatam censuram, cum ab ea absolvitur, ei ab ejus confessario injungi debet quod *ab audiendis personæ complicis confessionibus omnino abstineat*, ex decreto S. Cong. Inquisit., 27 jul. 1866.

4° *In mortis periculo*, id est, quando sub dubio et timore subjective probabili mors exspectatur, absolvere potest confessarius complicem, *si non sit alius sacerdos licet non approbatus*. Item in articulo aut periculo mortis complicem absolvere potest, si alius sacerdos nolit morientem audire, vel si vocari aut accedere sine reali, gravi atque ineluctabili apud parochianos exoritura infamia aut scandalo, nequeat; vel si, antequam alius sacerdos accedere potuerit, confessarius jam inceperit audire complicis confessionem; vel si complex alteri confiteri sua sponte recuset.

Si vero adsit sacerdos alter qui confessionem excipere queat; vel si complex sacerdos infamiæ aut scandali periculum sibi ultro confixerit, aut ad illud removendum congrua media adhibere de industria neglexerit; *valide* quidem iste absolvit complicem, sed ex sua parte *illicite*, nec censuram effugit, ex Constit. Benedict. XIV *Apostolici muneris*.

1. Unde si confessio complicis alteri sacerdoti facta nulla aut sacrilega fuerit, aut si in ea confessione licet valida, peccatum complicitatis ex oblivione inculpabili non fuerit declaratum, præfata remanet reservatio.

Præterea valide et licite complicem, etiam extra periculum mortis, absolvit confessarius, qui dum eum absolvit, non advertit, aut ignorat censuram vel non agnoscit pœnitentem esse suum complicem; tunc enim non absolvit complicem ut talem, atque ex parte confessarii desunt *præsumptio* et *temerarius ausus* requisiti ex Bulla Benedict. XIV; ita Scavini et alii, contra quosdam. At, juxta omnes, invalide et illicite absolvit confessarius, qui complicem agnoscit, ab eo autem non agnoscitur. — Item valide et licite absolvit confessarius complicem, qui jam ab alio rite absolutus, idem peccatum complicitatis iterum clavium potestati subjicit. Ita Roncaglia, Scavini, S. Ligor., lib. 6, n. 555, contra quosdam Salmant., et hæc sententia in praxi satis tuta videtur, eo quod in hoc casu deficit temerarius ausus a Benedict. XIV requisitus; et confirmatur subsequenti decis. S. Pœnitent., contra Ballerini. Peccato enim reservato semel a superiore competente absoluto, eo ipso cessat ejus reservatio; et cum ejusdem iterata confessio sit omnino libera, consequenter licita est cuilibet simplici confessario. — Si urgeat præceptum confessionis, quod non potest non adimpleri absque infamia, confessarius poterit complicem absolvere ab aliis peccatis, et indirecte a peccato complicitatis. Ita Salmantic. contra alios; vide *Acta S. Sedis*, t. 9, 10, *Append.* 9.

Si vero complex *voluntarie* et ideo sacrilege occultet confessionem peccati turpis, et ita a confessario complice absolvatur directe ab aliis tantum peccatis, « iste non incurrit præfatam censuram, eo quod non absolvit a peccato turpi. At talis confessarius abutitur sacramento Pœnitentiæ, nec absolvi potest nisi præmissa gravissima exhortatione, ut officium confessarii dimittere studeat, nec non imposita obligatione ut a confessionibus complicis audiendis in posterum omnino abstineat; monita eadem persona complice, si denuo compareat, ut de peccato complicitatis, et *cæteris invalide confessis*, apud alium confessarium se accuset. » Ita S. Pœnitent. 16 maii 1877.

Valida est illa absolutio a confessario complice data super aliis peccatis complici directe data, quoties complicitatis peccatum *involuntarie* non accusatur confessario complici, quia in casu confessio non est sacrilega defectu integritatis, nec deficit jurisdictio, ex præfata decis. S. Pœnitent.

Juxta Ballerini, sacerdos potest absolvere complicem, si ea sint personæ, loci, etc., adjuncta, ut ad quærendum confessarium alio divertere non possit, nec spes affulgeat (ut contingere, v. g., in locis Missionum potest) alium sacerdotem unquam illuc adventurum. Vide *Acta S. Sedis*, t. 12, *Append.* 9, p. 43.

Ex decreto S. C. Inquisit., 4 apr. 1871, in generali et amplissima facultatum concessione, quæ sæpe fit a S. Sede, absolvendi ab omnibus

casibus etiam ob censuram *speciali modo* reservatis, semper excipitur absolutio ilius qui complicem absolvit in materia turpi *nisi exprimatur;* ita ut hujusmodi excommunicatio hodie sit *specialissimo* modo reservata.

11.

50. — Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

1° *Usurpantes*, id est, aliquid alienum *tanquam proprium* sibi sumentes, ut aiunt Bonacina, Card. Petra, Roncaglia, Suarez, Pignatelli, et communiter auctores. Unde non incidunt in hanc censuram latrones, fures, milites, fructus et proventus Ecclesiæ furantes et rapientes, eo quod non subtrahunt illa bona tanquam sibi debita; ita ex decis. S. Congreg. Inquisit., 9 mart. 1870. Item non incurrit præfatam censuram, qui usurpat bona Ecclesiæ, eo quod probabiliter et ideo ex bona fide credit ad se revera pertinere; nec ecclesia, quæ alius ecclesiæ bona usurpat, quia tunc cessat finis prohibitionis sub censura, juxta plerosque auctores; nec de illo qui ab ipso usurpatore bona Ecclesiæ accipit, vide n. 71. — 2° *Jurisdictionem*, sive spiritualem sive temporalem, quia lex non distinguit, et ideo caderet sub censura Episcopus aut parochus, qui actus jurisdictionis exerceret in subditos aut territorium diœcesis aut parochiæ extraneæ, juxta Falise, Craisson. — 3° *Bona*, sive mobilia, sive immobilia. — 4° *Reditus*, cujuscunque generis, et ideo pensiones a Gubernio Pastoribus et Canonicis solutas : secus vero, si agatur de ipsa pecunia proveniente ex venditione fructuum alicujus beneficii aut ecclesiæ, juxta Bonacina, Castropalao, Falise. — 5° *Ad personas ecclesiasticas;* extensio verborum *personæ ecclesiasticæ* tradita est, n. 46. — 6° *Ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes*, alioquin non ageretur de bonis vere ecclesiasticis, sed patrimonialibus vel quasi-patrimonialibus; vel locorum piorum, v. g., xenodochiorum, hujusmodi bona comprehenduntur sub censura. — 7° *Sequestrantes*, sive jubendo, sive exequendo ex sententia judiciaria, absque legitima facultate, apud se vel alium depositionem illorum bonorum, et ita impediendo eorum liberum usum iis, quibus de jure competit. Unde non incurrunt censuram qui petunt et obtinent illam sequestrationem, nec ecclesiastici qui eidem sequestrationi aut usurpationi consentiunt. Vide n. 70.

12.

51. — Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; nec non ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem præbentes.

1° *Invadentes*, et quidem hostiliter seu injuste; *destruentes*, in totum vel in partem; *detinentes*, sive detentor ipse invaserit, vel ab invasore acceperit titulo donationis, aut venditionis, aut permutationis, etc., *civitates, terras, loca aut jura* (temporalia) *ad Ecclesiam Romanam pertinentia;* ideo hic non agitur de bonis aut juribus alicui privato in statu Pontificali degenti propriis. — 2° *Usurpantes*, n. 50, *perturbantes*, *detinentes* in sensu nuper tradito, *jurisdictionem*, scilicet, temporalem *supremam*, quæ nempe competit S. Pontifici, uti princeps est. — 3° *Auxilium*, *consilium*, *favorem* præstantes; vide n. 44, ad 11, 12, 13.

13.

51². — Præfato elencho excommunationem speciali modo S. Pontifici reservatorum, alia addenda est, quam litteris Apostolicis R. Pontifex statuit 28 aug. 1873, et cui subjiciuntur : 1. « Canonici ac dignitates cathedralium ecclesiarum vacantium, qui ausi fuerint concedere et transferre ecclesiæ vacantis curam, regimen et administrationem sub quovis titulo, nomine, quæsito colore in nominatum et præsentatum a laica potestate ex S. Sedis concessione seu privilegio, vel, ubi consuetudo viget, a capitularibus ipsis, electum ad eamdem vacantem ecclesiam. — 2. Nominati et præsentati vel ut supra electi ad vacantes ecclesias, qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent sub nomine provisoris, vicarii generalis aliove nomine, ex concessione et translatione in eis peractam a dignitatibus et canonicis, aliisque, qui deficientibus capitulis, vicarios deputant aut vacantes ecclesias legitime administrant. — 3. Ii omnes qui præmissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem præstiterint, cujuscunque status, conditionis, præeminentiæ et dignitatis fuerint. » Vide n. 88, 106². et *Acta S. Sedis*, t. 7, p. 401.

NUMERUS II

Excommunicationes latæ sententiæ R. Pontifici simpliciter reservatæ.

1.

52. — Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim, propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis pœna latæ sententiæ : item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a pœnitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV, in Const. *Suprema* 7 julii 1745, *Ubi primum* 2 junii 1746, *Ad eradicandum* 28 septembris 1746.

1° *Docentes vel defendentes*, non vero adhærentes; *propositiones damnatas ab Apostolica Sede;* et ideo pro illa censura *reservata* non sufficit propositionis damnatio a Conc. generali, cujus censura non est reservata. Eamdem vim habent propositionum damnationes a Congreg. Romanis, si emissæ fuerint sub forma Litteræ Apostolicæ. *Sub excommunicationis pœna latæ sententiæ;* unde simplex alicujus propositionis prohibitio a S. Sede non sufficit ad illam censuram. Cæterum, si propositio esset hæretica et ut talis propugnata, adesset censura speciali modo reservata, n. 40; et ideo, juxta quosdam, hic agitur tantum de propositionibus non uti hæreticis a S. Sede damnatis. — 2° *Item docentes vel defendentes tanquam licitam .., prouti damnata est a Benedict. XIV.* Porro hujusmodi praxis ab hoc S. Pontifice damnata est, quatenus confessarius a pœnitente nomen complicis exigeret, et quidem sub pœna denegandæ absolutionis; et ideo sub iisdem conditionibus incurritur præfata censura. Aliunde sunt casus in quibus licet petere a pœnitente nomen complicis; vide Tract. *de Pœnit.*, n. 249.

2.

53. — Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

1° *Injicientes*, cujuscunque sint sexus et status, modo sint baptizati, rationis compotes, et doli capaces. Item, juxta plerosque auc-

tores, efficaciter jubentes, consulentes, sollicitantes, ex vulgata regula : *qui per alium facit, per seipsum facere videtur;* sed etiam probabiliter auxiliantes, faventes, non impedientes, si ad hoc ex officio teneantur. — 2° *Violentas manus*, ita ut adsit percussio gravis non in se, sed ratione injuriæ; et ideo censuram incurrit, qui clericum aut monachum conspuit, conspergit aqua, pulvere, luto, evellit crinem, lacerat vestem, eripit aliquid per vim et injuriam de ejus corpore, v. g., pileum, pallium, etc.; qui eum persequitur ut in fossam incidat, equo decidat; qui manus violentas injicit in equum, cui insidet, cædendo, sistendo per frenum; qui violenter detinet carcere, vel loco unde sine dedecore non potest exire; qui aliquid hujusmodi facit, etiam consentiente clerico, modo sit injuriosum ordini clericali : item probabilius, qui clerico venenum præbet. — 3° *Suadente diabolo;* quæ verba indicant requiri peccatum mortale *ratione sacrilegii;* unde eximitur a censura qui percutit cum moderamine inculpatæ tutelæ; vel qui, dum vult percutere laicum, involuntarie percutit sacerdotem; vel qui peccat sed non graviter; imo qui peccat graviter, sed non ratione sacrilegii, quando nempe ignorat illum, quem percutit, esse clericum vel monachum. Dubitatur an cadat sub censura, qui, dum intendit percutere talem sacerdotem, involuntarie alium sacerdotem attingit. S. Ligor., lib. 4, n. 628, lib. 7, n. 275; Suarez, disp. 22, sect. 1, n. 54. — 4° *In Clericos vel Monachos utriusque sexus;* vide hæc verba, n. 46. — 5° *Exceptis quoad reservationem*, etc. Scilicet, percussio est enormis, vel mediocris, vel levis : *enormis*, si magna interveniat vulneratio, effusio sanguinis aliunde quam a naribus, vel magna injuria; *mediocris*, si extrahatur dens, vel si capillorum copia evellatur, vel si fiat sugillatio carnis, si copia sanguinis effundatur absque gravi læsione aut gravi injuria; *levis*, non ratione culpæ, quia semper requiritur gravis, sed respectu percussionis mediocris aut enormis, adest, si percussio sit pugni, palmæ, manus, pedis, digiti, baculi, lapidis absque ulla macula, aut sugillatione carnis, sine effusione multi sanguinis. Aliunde percussio levis potest evadere gravis vel enormis, ratione personæ læsæ aut lædentis, vel temporis, vel injuriæ. — Jam vero a percussione levi, etiam publica, absolvere potest jure proprio Episcopus : quoad alios casus, vide n. 25, 26.

3.

54. — Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices vel qualemcunque operam aut favorem præbentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quan-

tum in illis est, non prohibentes, cujuscunque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

1° *Perpetrantes duellum*, etiamsi fiat ad primum sanguinis, ut aiunt, modo sit certamen singulare, ex condicto susceptum, et inducens grave periculum mortis aut mutilationis. — 2° *Simpliciter provocantes, vel acceptantes*, etiamsi duellum non sequatur. — 3° *Quoslibet complices, vel qualemcunque operam aut favorem præbentes*, nempe, patrini, nuntii, suadentes, consulentes, dictantes libellos provocatorios, et quomodolibet ad duellum cooperantes, publice vel occulte ineundum. Unde, ex decis. S. Officii, 31 maii 1884, excommunicationem incurrunt tum medicus, qui *rogatus a duellantibus*, duello assistit cum intentione citius finem pugnæ imponendi, vel simpliciter vulnera ligandi ac curandi; tum medicus et confessarius, qui, *ex condicto*, duello sunt presentes in domo vicina, vel in loco propinquo sistunt, proximi ac parati ad præbendum suum ministerium, si duellantibus opus fuerit. — 4° *De industria spectantes*, scilicet, qui sunt duellantium socii, aut qui sua præsentia ad pugnam illos incitare videntur; non vero qui spectant a longe, vel in secreto aut alio modo nihil ad pugnam acuendam inducente. — 5° *Permittentes, non prohibentes*, quatenus ad hoc auctoritate publica pollent. Conc. Trid., sess. 25, c, 19, *de Reform.*, eamdem censuram statuit, licet paulo minus extensam, adjunctis bonorum temporalium proscriptione, perpetua infamia, privatione sepulturæ.

4.

55. — Nomen dantes sectæ *Massonicæ*, aut *Carbonariæ*, aut aliis ejusdem generis sectis, quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcunque præstantes; earumve occultos coryphæos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint.

1° *Nomen dantes sectæ Massonicæ aut Carbonariæ*, etc. Sub illa censura igitur conprehenduntur societates vulgo dictæ, les *Fénians d'Irlande*, ex decreto S. Inquisit., 12 janv. 1870, l'*Alliance internationale des travailleurs*, les *Ventes d'Italie*, *de Prusse*, les *Compagnons du devoir*, la *Société des Universitaires*, la *Ligue de l'enseignement*, les Associations *clérico-libérales*, les *Compagnons singuliers*, les *Fils de la tempérance*, la *Société Mazzinienne*, l'*Alliance américaine*, les *Sentinelles de la liberté*, l'*Union ouvrière belge*, l'*Internationale*, etc. Tales enim ineunt quidem fœdus sub specie alicujus philanthropiæ, sed reipsa ad machi-

nandum contra Ecclesiam aut legitimas potestates[1]; hoc autem sufficit ut incurratur præfata censura, sive secta agat palam aut clandestine, sive exigat juramentum de secreto servando, necne, ex Instruct. S. Officii ad Episcopos orbis catholici, 10 maii 1884. Aliunde illæ sectæ principiis Massonum imbuuntur, et, saltem plerumque, eorum ducibus subjiciuntur. Similiter sub illa censura remanent, qui prædictis sectis nomen dederunt, si, licet emissi juramenti pœnitentiam agant, externe tamen cum iisdem sociis communicent, aut eorum conventiculis intersint, aut sectæ aliquod tributum conferant, ex decis. S. Officii 5 jul. 1837. Eamdem incurrit ex communicationem, qui *ficte* ad conventus carbonarios accedit, et eorum cæremoniis interest, ex decis. S. Pœnitent. 8 nov. 1821. Prohibetur autem omnis societas, nec absque gravi culpa ullus ei nomen dare potest, quæ ab asseclis exigit secretum, et omnimodum obsequium suis ducibus; at non eo ipso incurritur præfata censura, ex dicta Instruct. S. Officii, 10 mai 1884. — 2° *Favorem præstantes*, n. 44 ad 13. — 3. *Non denuntiantes*, scilicet, vel Episcopo, vel parocho, vel confessario extra confessionem, tum ratione boni publici, tum ratione privati boni personæ denuntiatæ; et, si ejusmodi secunda ratio cessaret, manet prima ratio; utile est enim auctoritati ecclesiasticæ pro pascendis fidelibus suæ curæ commissis, cognoscere occultos hæreticos vel sectarios aliosque denuntiandos. Cujusmodi obligatio denuntiandi omnibus fidelibus injuncta iterum asseritur in Instruct. S. Officii, 1 febr. 1871, et 10 maii 1884; et, etiamsi lex ecclesiastica denuntiandi in quibusdam locis cessavisset, maneret tamen obligatio ex jure naturali derivans, quæ, ubi agitur de gravi damno vitando, sub gravi peccato urget. Ratione verborum : *donec non denuntiaverint*, cessat, facta denuntiatione, non quidem censura, sed censuræ reservatio. Vide *Acta S. Sedis*, t. 4, p. 301. S. Congr. Inquisit. interrogata an parochus sive missionarius, ad ægrotum vel morientem, præsertim non baptizatum vel protestantem vocatus, quem certe scit ad unam ex præfatis sectis pertinere, ac bona fide versari in prædicta societate, possit sine ulla admonitione quoad relinquendam damnatam societatem, illum baptizare vel absolvere, die 8 jul. 1874, respondit : « Generice loquendo, *Negative*, juxta decreta jam edita. Cum vero, juxta ea quæ habet Albitius, *de inconstantia* in fide, p. 1, c. 9, n. 38, c. 14,

1. « Toutes les fois que nous voulons entrer dans le domaine de la création d'établissements de bienfaisance et de secours, nous échouons pitoyablement... Si nos adversaires, les cléricaux, pouvaient mesurer l'inanité de nos efforts dans la voie de la bienfaisance pratique, ils trouveraient un beau thème à nous couvrir de ridicule. » *Journal le Monde maçonnique; Revue des Sciences ecclésiast.*, oct. 1884, p. 346.

n. 58, pueri et morituri non abjurent, si agatur de morti proximis, ac materialiter seu in bona fide sectis a S. Sede damnatis adscriptis (et nisi prævideatur quod specialis admonitio profutura sit), sufficere quod in genere hortentur, ut se sincere subjiciant Ecclesiæ auctoritati atque mandatis S. Sedis, deinde baptizari atque absolvi possint. Scandalum vero reparetur eo meliori modo, quo fieri possit, etiam post obitum. » Hactenus S. illa Congregatio.

Insuper Leo XIII Encycl. *Humanum genus* edidit, 20 apr. 1884, qua orbi universo denuntiat ipsam Massonicam sectam, ejus doctrinam universam, et concilia, et sentiendi consuetudinem et agendi, perniciosos ejus fructus maximaque acerbitate permixtos. Variæ sunt etiam hominum sectæ nomine, ritu, forma et origine differentes, quæ tamen communione quadam propositi summarumque sententiarum similitudine inter se continentur, ac re congruunt cum secta Massonum, quæ cujusdam est instar centri, unde abeunt, et quo redeunt universæ. Ita in præfata Encycl.

Jam vero « hujusmodi sectæ consiliorum ultimum est evertere funditus omnem eam, quam instituta christiana peregerunt, disciplinam religionis reique publicæ, novamque ad ingenium suum extruere, ductis e medio *Naturalismo* fundamentis et legibus... ita ut *nihil possit esse perversius.* » *Ibid.* Itaque, in eadem Encycl., rata habentur ac confirmantur quæcumque decreverunt RR. Pontifices contra Massonum sectam. Vide Tract. *de Deo*, n. 12, 17[1].

5.

56. — Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare jubentes aut violantes.

Ex decisione S. Cong. Inquisitionis, 1 febr. 1871, audito etiam S. Pontificis oraculo, « Verba *ausu temerario* complectuntur sive *jubentes*, sive *violantes;* atque ille tantum excommunicationem incurrit, qui ab aliis minime coactus, prudens ac sciens immunitatem

1. An vero, attenta doctrina sectæ massonicæ, non solum hæretica, sed essentialiter antichristiana, majus quam disparitas cultus, juramentum massonicum non retractatum inducat aliquod matrimonii impedimentum, sic tali quæstioni respondit S. Officium, 21 febr. 1873 : « Quod attinet ad matrimonium, in quo una contrahentium pars clandestinis aggregationibus *notorie* adhæret, donec Apostolica Sedes generale decretum hac de re non ediderit, oportet ut Pastores caute ac prudenter se gerant; et debent potius in casibus *particularibus* ea statuere, quæ magis in Domino expedire judicaverint, quam *generali* regula aliquid decernere; omnino vero excludatur celebratio sacrificii Missæ, nisi quando adjuncta obiter exigunt. » Vide Tract. *de Matrim.*, n. 136, 161, ad 5.

asyli ecclesiastici aut violare jubet, aut exequendo violat. » Proinde hæc censura non attingit magistratus, qui legibus patriis coguntur jubere, ut rei extrahantur e loco sacro, ad quem confugerunt; nec a fortiori milites, qui suis ducibus coguntur executionem procurare, contra vel præter suam voluntatem. Vide *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 488.

Præterea, vi illius censuræ, lex asyli denuo statuta est in his quoque regionibus, in quibus a longissimo tempore in desuetudinem abierat, et ideo, saltem quoad substantiam, ibi servanda est, ex decis. S. Officii, 22 dec. 1880, atque de hac re exstat particula in Instruct. S. Officii, fer. IV, 4 febr. 1871.

6.

57. — Violantes clausuram Monialium, cujuscunque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia, ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus formam a S. Pio V in Constit. *Decori* præscriptam.

Sensus hujusmodi censuræ evolvitur in Tract. *de Oblig.*, n. 120. In Gallia, exceptis Sabaudiæ et Niceæ provinciis, non sunt Moniales stricto sensu, seu solemniter professæ, ex decis. S. Pœnitentiariæ, 23 jan. 1821; et ideo non vim habet in Gallia censura *papalis* pro violatione clausuræ Monialium, uti declaravit S. Congr. Regul., 1 aug. 1839; bene vero, si adsit, censura Episcopalis. Cæterum, quoad causas, pro monialibus solemniter professis, monasterio egrediendi, obligat Piana Constitutio, *non obstante consuetudine contraria*, ex decisione S. Officii, 22 dec. 1880.

7.

58. — Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

Vota Regularium, v. g., Benedictinorum, Carthusianorum, Cisterciensium, Minorum Fratrum, Prædicatorum reputantur solemnia etiam in Gallia; ac proinde pro Regularium clausura robur habet apud nos illa censura. Cæterum, ex textu illius censuræ, mulieres tantum, et quidem sine ulla exceptione, prohibentur ingredi intra virorum Regularium clausuram, et propterea hic non additur, sicut pro præcedenti censura ; *absque legitima licentia ingrediendo*,

8.

59. — Reos simoniæ realis in beneficiis quibuscunque, eorumque complices.

9.

60. — Reos simoniæ confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscunque sint dignitatis.

10.

61. — Reos simoniæ realis ob ingressum in Religionem.

Notio et conditiones simoniæ sive realis sive confidentialis traduntur in Tract. *de Decal.*, n. 98. Sub censura igitur non prohibetur simonia mentalis, nec conventionalis.

11.

62. — Omnes quæstum facientes in indulgentis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V, *Quam plenum*, 2 januarii 1569.

Porro illa Constitutio Pii V præfatam excommunicationem indicit contra Episcopis inferiores tantum, non vero contra ipsos Episcopos aliosve prælatos majores, qui ex eadem Constitutione aliis pœnis plectuntur, si legem canonicam in illo quæstu violaverint.

12.

63. — Colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent.

Hæc censura spectat *manuales* tantum eleemosynas ad Missas celebrandas, ut eruitur tum ex voce *colligentes*, tum ex Bulla Benedicti XIV, ex qua illa censura ortum duxit. — Similiter, hic non agitur de uno paucisque numero stipendiis, sed de quadam copiosa collectione facienda usu mercaturæ, ut ea colligens verum lucrum percipiat. — Tandem non consentiunt canonistæ an, ut incurratur censura, necessarium sit stipendia transmitti e loco ubi collecta sunt, in alium locum. Alii affirmant, quia in censura innuitur agi de locis diversis ab eo, ubi collectio facta est; alii vero negant, quia ratio et finis legis suadent nullum esse discrimen substantiale respectu loci.

Sub hac igitur censura cadunt sive Sacerdos qui recipit, v. g., 300 fr. pro 200 Missis celebrandis, illamque integram summam tra-

dit bibliopolæ, qui laudato sacerdoti titulo munusculi dat 40 fr., vel libros pro summa 40 fr.; tum iste bibliopola, qui 200 illas Missas celebrandas committit alii sacerdoti, cui pro stipendiis dat libros quorum summum pretium æquivalet valori 200 fr.; et ita reapse cæteri 100 fr. dividuntur inter bibliopolam et sacerdotem qui primum recepit præfata Missarum stipendia. Nec hujusmodi abusus nostris diebus ignotus fuit, satisque lugendus. Vide Tract. *de Euchar.*, n. 236.

13.

64. — Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V, *Admonet nos,* quarto Kalendas aprilis 1567, Innocentii IX, *Quæ ab hac Sede,* pridie nonas novembris 1591, Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis curam,* 26 junii 1592, et Alexandri VII, *Inter cæteras,* nono Kalendas novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus. Vide n. 70.

14.

65. — Religiosos præsumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremæ Unctionis aut Eucharistiæ per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

Excipiuntur autem Regularium fratres, Clerici, mercenarii, operarii, servi, famuli, ac quivis hospites etiam seculares et extranei, quos in locis vel habitationibus Regularium reperiri contigerit in mortis articulo aut periculo, et quoties de illo dubitari poterit, etiam licentia minime petita, nec obtenta Parochorum. Eadem facultate gaudent Regulares quoad suos pœnitentes extraneos, si Parochus injuste licentiam negaverit, vel malitiose distulerit. Ita Conc. Trid., sess. 25, c. 11, *de Reform.*, Pius V, Sixtus IV. Vide Tract. *de Euchar.*, n. 98; *de Extr. Unct.*, n. 33. — Idem verum est de aliis locis, conventibus a jurisdictione Ordinarii exemptis. — Imo sub dicta censura videntur non comprehendi votorum simplicium Instituta, quæ in odiosis ejusmodi neque Regularia, neque Religiosa appellantur. Ita Avanzini, *in Actis S. Sedis*, t. 6, p. 21.

15.

66. — Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris Cœmeteriis sive Catacumbis Urbis Romæ ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem præbentes.

In hac censura non agitur de ossibus et cineribus reconditis in iis-

dem catacumbis seu cryptis, de quibus jam constat non esse ossa et cineres martyrum; secus vero, si de reliquiis ageretur, de quibus non adhuc constaret an sint martyrum vel tantum fidelium. A fortiori hic non agitur de marmoribus, aliisve rebus, quæ visitans cryptas sibi assumeret, curiositatis vel devotionis causa.

16.

67. — Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

Is dicitur communicare cum excommunicato in crimine criminoso, qui illum adjuvat auxilio vel favore præcise in eodem crimine sive contumacia, ob quam lata est excommunicatio; v. g., si quis, post excommunicationem nominatim latum in aliquem ob usurpationem bonorum Ecclesiæ, impendit ei consilium ne restituat. Vide n. 40 in fine, et n. 55.

Cæterum, sub verbis *nominatim excommunicato*, comprehenduntur illi, qui a R. Pontifice denuntiantur *nominatim* excommunicati ob excommunicationem latæ sententiæ jam incursam. Sanctiones enim quæ respiciunt excommunicatos vitandos, sive in his reperiantur verba *excommunicati nominatim*, sive *denuntiati nominatim*, quoad legis effectus in idem recidunt : et hoc usus confirmat. Idem igitur verum est de censura subsequenti. Secus vero, si denuntientur nominanatim ab Episcopo tanquam excommunicati vi præexistentis Papalis sanctionis; quia tunc non sunt a *Papa nominatim* excommunicati.

17.

68. — Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a R. Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes.

De hac et etiam de præcedenti censura, vide n. 33, 35, 89.

18.

69. — Absolvere præsumentes sine debita facultate, etiam quovis prætextu, ab excommunicationibus speciali modo S. Pontifici reservatis, dummodo non agatur de articulo mortis.

Cujusmodi excommunicationes speciali modo S. Pontifici reservatæ recensentur et explicantur n. 40-51[2]; et de potestate necessaria ut ab eis absolvatur, dictum est, n. 24, 25. Ideo sub illa censura non

comprehenduntur qui, absque speciali delegatione, absolvunt ab interdictis speciali modo S. Pontifici reservatis, de quibus infra, n. 88.

19.

70. — Omnes usurpare præsumentes vel convertere in proprios usus, per se vel alios, jurisdictiones, bona, census, jura feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascunque obventiones Ecclesiarum, beneficiorum, Montium pietatis, seu alterius pii loci; vel impedire ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur; et Clerici fraudis et usurpationis hujusmodi fabricatores seu consentientes. (Conc. Trid., sess. 22, c. 11, *de Reform.*)

In censuris relatis n. 50, 51, agitur de præcipuis usurpantibus et sequestrantibus bona et jurisdictionem undequaque ecclesiasticam, vel de præcipuis Ecclesiæ bonis; et in censura relata n. 77, quæstio est de legitima administratione bonorum ecclesiasticorum. In præsenti autem censura agitur de omnibus personis quæ aliquo modo bona ecclesiastica usurpant, vel ab aliis usurpata sibi devenerint, etiam per medium clericorum vel laicorum, qui sint legitimi eorumdem administratores, v. g., ex donatione ab eis facta. Unde, qui emunt ecclesiastica bona usurpata ab usurpatoribus, in hanc censuram incidunt, quanquam fortasse non comprehendantur sub verbis dispositionis ejusdem. Sententia enim legis est, ut quævis bonorum ecclesiasticorum usurpatio eadem censura plectatur : qui autem talia emit ab usurpatore, in usurpationem concurrit, atque bona illa etiam empta, non cessant esse usurpata. Unde axioma : *Is committit in legem, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem.* Ita ex decis. S. Congr. Inquis., 8 jul. 1874. Ex eadem decis., qui incurrunt excommunicationem relatam n. 50, non simul innodantur censura relata n. 70.

20.

71. — « Personas ecclesiasticas tam seculares quam regulares, quæ a S. Sede aut ab illarum superioribus ad insulas, provincias, regna Indiarum orientalium, ac in partes Americæ tam australes quam septentrionales, sub nomine missionariorum, aut quolibet alio titulo, pro tempore missæ fuerint, aut in illis partibus quomodolibet morabuntur, et quæ mercaturis et negotiationibus hujusmodi, quovis prætextu, causa, occasione et forma, etiam semel, per se, aut

mediantibus ministris, directe vel indirecte, tam nomine proprio, quam suarum respective congregationum, vel aliorum quorumlibet, et alias quovis modo et qualitercunque se ingerunt vel immiscent; » et etiam superiores missionum, qui in hoc non invigilant, nec contra delinquentes non procedunt.

Cujusmodi porro censuram jam latam ab Urbano VIII, 22 febr. 1633, et a Clemente IX, 17 jul. 1669, adhuc vigere, etiam post Constitutionem *Apostolicæ Sedis*, 12 oct. 1869, declaravit, annuente S. Pontifice, S. Congr. Inquisit., 4 dec. 1872.

Reservatur illa censura S. Pontifici, eo sensu tamen quod si reus lucra restituerit, a quovis confessario absolvi possit; eo quod addatur in censura : *neminem ex prædictis delinquentibus absolvi posse, nisi lucris hujusmodi prius restitutis.* Vide *Acta S. Sedis*, t. 7, p. 319.

NUMERUS III

Excommunicationes latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ.

1.

72. — Clericos in Sacris constituti vel regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes, nec non omnes cum aliquo ex prædictis personis contrahere præsumentes.

In Gallia, Moniales ut tales in hanc censuram non incidunt eo quod non emittunt vota solemnia, n. 57. Clerici autem in sacris constituti, vel regulares non caderent sub illa censura, si sponsalia sola contraherent. Requiritur enim ad hanc censuram et matrimonii celebratio, et scientia de ejus nullitate, ut innuitur verbis *præsumentes contrahere*. Similiter in eamdem censuram incurrerent, si ejusmodi inhabiles personæ matrimonium duntaxat civile contraherent, ubi publicatum est decretum Conc. Trid. de clandestinitate, quia illæ personæ præsumerent contractum inire, qui matrimonii habeat figuram; confirmatur decisione S. Officii, 22 dec. 1880. Qui vero pertinaci persuasione præsumeret tale matrimonium esse validum, quia, juxta illum, Ecclesia non posset reddere irrita ejusmodi matrimonia, ille esset hæreticus, et sub censura caderet de qua in Tract. *de Matrim.*, n. 183. 192, 193.

2.

73. — Procurantes abortum, effectu secuto.

Quæ censura sic explicatur in Constit. Sixti V, 29 oct. 1588 : « Omnes qui per se aut per interpositas personas abortus seu fœtus immaturi tam animati quam inanimati, formati vel informis ejectionem procuraverint percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusque mulieri prægnanti impositis, ac aliis etiam incognitis, vel maxime exquisitis rationibus, ut reipsa abortus inde secutus fuerit. »

Itaque omnino respuenda est sententia de licitate craniotomiæ, qua, nempe, occiditur filius in utero matris, ut salvetur mater. Hujusmodi sententia, quam propugnavit, dubitanter tamen, Avanzini, in *Acta S. Sedis*, t. 7, p. 285, 460, 516, hisce verbis damnata fuit a S. Officio 28 maii 1884, 19 aug. 1880 : « *Tuto doceri non potest* in scholis catholicis *licitam esse* operationem chirurgicam, quam *craniotomiam* appellant, quando, scilicet, ea omissa, mater et filius perituri sunt, ea e contra admissa, salvanda sit mater, filio pereunte ; item tuto doceri non potest licitam esse *quamcunque chirurgicam* operationem *directe occisivam fœtus* vel *matris gestantis*. » Vide Tract. *de Virtute castitatis*, n. 131.

Ante promulgationem Const. *Apostolicæ Sedis*, 12 oct. 1869, disputabant auctores an illam censuram incurrant mulieres prægnantes, quæ, ob difficultatem aut impossibilitatem partus, abortum sibi procurant, ne et ipsæ simul cum fœtu moriantur. Hodie vero hujusmodi dubium haud permanere nobis videtur, tum quia vox *procurantes* est omnino generalis, nec exceptionem patitur ; tum quia in præsenti illius censuræ formula, jam non exstant locutiones, in quibus nitebatur controversia, ut videre est apud S. Ligor. lib. 3, n. 395.

3.

74. — Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes ; n. 48.

NUMERUS IV

Excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatæ.

1.

75. — Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

2.

76. — Lædentes aut peterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii; ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel prædictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem præstantes.

3.

77. — Alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosæ* de Reb. Eccl. non alienandis. Vide n. 71[1].

Porro 1. ex Constit. Pauli II, *Ambitiosæ*, an. 1467, res quarum alienatio interdicitur, sunt *immobilia* et *pretiosa mobilia Deo dicata*. Nomine autem *immobilium* veniunt prædia, domus, agri et similia; sed etiam jura et actiones ad immobilia, pecunia ex immobili bono comparata sub conditione emendi aliud immobile, aut data sub eadem conditione, vel collocata apud bancarios, apud Statum aut societates viarum ferrearum et alias similes tanquam bonum stabile referens census annuos. Talis enim pecunia vel habetur ut bonum immobile, vel uti bonum mobile pretiosum. Cæterum, sub illa prohibitione non cadit alienatio fundi modici valoris.

In rebus immobilibus eæ non pretiosæ, sed modici valoris censentur, ac proinde absque beneplacito Apostolico possunt alienari, quæ non superant valorem viginti quinque ducatorum aureorum de Camera, quæ æquivalent scutis romanis quadraginta uno et obolis 25; (scutum romanum æquivalet 5 fr. 36 cent.) Ita ex decis. S. Congr. Episc., 1 maii 1840. — Bona vero mobilia pretiosa illa censentur, quæ vel in thesauro ecclesiæ continentur, vel quæ propter artem, raritatem et antiquitatem conferunt ecclesiæ specialem splendorem, ut sunt vasa aurea, argentea, vestes pretiosæ, gemmæ, ornamenta pretiosa, copiosa bibliotheca librorum, et similia excedentia valorem viginti quinque aureorum ducatorum, necnon insignes reliquiæ Sanctorum,

1. Ex decisione S. Officii, feria IV, 22 dec. 1880, 1. illa censura obligat quasi de novo promulgata per Bullam *Apostolicæ Sedis*, et proinde non *obstante* etiam *immemorabili consuetudine contraria*; — 2. per eamdem censuram revocata censeri debent *generalia* privilegia a S. Sede concessa alienandi absque beneplacito Apostolico; non vero privilegia specialia et personalia; — 3. per illam censuram, etiam quatenus de novo promulgatam Bulla *Apostolicæ Sedis*, nihil immutatum est quoad fundationes locorum piorum aliarumque Institutionum ecclesiasticarum, de quibus proinde judicandum est, prout judicabatur ante illius Bullæ promulgationem.

mobilia quorum annui reditus solent percipi ab ecclesia, monasterio, ut grex ovium, armentum boum, præsepium equorum, non autem eorum fructus. Vide Angelis, lib. 3, tit. 13.

2. Per vocem *alienantes* aut *alienationis*, hic, ex præfata Pauli II Constit., intelligi debet non solum alienatio proprie dicta seu venditio, sed insuper concessio hypothecæ, vel contractus emphyteuticus, præterquam in casibus jure expressis. Legati repudiatio sub nomine *alienationis* hic non comprehenditur, juxta multos, inter quos Card. Petra, Reiffenstuel, in tit. *de his quæ fiunt a prælato sine consensu capituli*, n. 35-49.

3. Præfata Constitutio in pluribus locis servata non fuit, ut ait Reiffenstuel, in tit. *de rebus Ecclesiæ non alienandis*, n. 32.

Fere omnes communitates variis temporibus vel impetrarunt Indultum generale pro alienatione bonorum suorum absque beneplacito Apostolico, vel absque Indulto aut beneplacito dicto dictas alienationes perfecerunt necessitatis causa, id est, ne ex mora notabile paterentur damnum. Eamdem agendi rationem duxerunt Episcopi, præsertim extra Italiam et adjacentes insulas.

Revera, ex una parte, lex ecclesiastica non obligat cum gravi incommodo; ex altera vero hodiernis præsertim temporibus, valde celeriter et discrete negotia hæc, data opportuna occasione, expediri debent, *ne conditio semel oblata, si prætermittatur, non parvam afferat jacturam*, ut ait Greg. XIII, concedendo in hac re Indultum societati Jesu : porro recursus ad S. Cong. Episc. ut obtineatur beneplacitum Apostolicum, moras trahere solet; ergo, de facto, ob grave incommodum, ab illa lege sæpe exempti sunt superiores ecclesiastici.

At, si res patiatur moras, procul dubio urget prædictum decretum, atque expetendum est beneplacitum Apostolicum in casibus jure expressis; nec conceditur illud beneplacitum, nisi adsit causa necessitatis aut evidentis utilitatis relative ad tempus quo fit alienatio.

4.

78. — Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare intra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Prædecess. Nostris Gregorio XV. Constit. *Universi* 20 augusti 1622, et Benedicto XIV constit. *Sacramentum Pœnitentiæ*, 1 junii 1741.

Mensis utilis ad denuntiandum incipit a certa notitia et hujus obligationis et temporis utilis præscripti ad denuntiandum : quorum si

unum desit, non incurritur censura elapso mense. Si de utroque confessarius moneat pœnitentem, ab eo die incipit mensis ad denuntiandum utilis. Si pœnitens promittat se quamprimum denuntiaturum, potest absolvi, quia in præfata censura non habetur clausula *donec non denuntiaverint*, ut supra. n. 55.

5.

79. — Raptores mulierum cum intentione cum eis contrahendi matrimonium, vel prædictis auxilium, consilium, favorem præstantes. (Conc. Trid. sess. 24, c. 6, *de Reform. Matr.*)

6.

80. — Cogentes directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios, quominus libere matrimonia contrahant. (*Ibid.*, c. 9.

7.

81. — Omnes magistratus seculares auxilium non præbentes ut clausula Monialium inviolata conservetur, aut diligenter restituatur, ubi violata fuerit. (*Ibid.*, sess. 25, c. 5, *de Regul.*)

Hæc censura in præsenti societatis statu, præsertim in Gallia, per non usum videtur in desuetudinem venisse.

8.

82. — Cogentes mulierem ad ingrediendum monasterium, aut ingredi volentem prohibentes. (*Ibid.*, c. 18,)

9.

83. — Anathematis pœnæ in decreto Conc. Trid., sess. 4, *De editione et usu Sacrorum librorum* constitutæ, illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt. Ita in Bulla *Apostolicæ Sedis*.

Itaque hic nomine librorum de *rebus sacris* tractantium illi intelligendi sunt, quos Trident. Conc., in sess. 4 *de editione et usu sacrorum librorum* intellexit : porro intellexit libros ipsius Scripturæ sacræ et eorumdem adnotationes et expositiones, ut patet tum ex ipso decreti titulo, qui expresse significat agi *de editione et usu sacro-*

rum librorum; tum ex ejusdem decreti fine, scilicet, *ut posthac Sacra Scriptura. potissimum vero hæc ipsa Vulgata editio, quam emendatissime imprimatur nullique liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris,* etc.; tum ex dispositione decreti, quod constituitur ut homines non detorqueant ad suos sensus Sacram Scripturam, nec impressores effugerent pœnas a jure statutas, sed et *impressoribus modum in hac parte*, etc.; ac tandem in eodem contextu S. Synodus expresse memorat *ipsos Sacræ Scripturæ libros et super illos annotationes.* Ergo in præfata censura, agitur tantum de Scriptura Sacra et de ejus annotationibus et expositionibus.

Ita communiter auctores, inter quos Reiffenstuel, lib. 5. tit. 7, n. 136; Fagnan., *de Judiciis, c. cum veniunt*, n. 66; Avanzini in *Actis S. Sedis*, t. 6, p. 135; atque hujusmodi interpretatio expresse confirmatur decisione S. Officii, 22 dec. 1880.

Eadem censura comprehendit tantum impressores et imprimi facientes seu editores; non autem ipsos auctores, qui libros ipsos imprimi non faciunt, quia eos aliis vendiderint seu aliqua ratione alienaverint.

In pluribus Galliæ diœcesibus statutum fuit nulli ex ordine clericali licitium fore imprimere vel imprimendos tradere libros de Scriptura, dogmatibus, ethica christiana et disciplina ecclesiastica tractantes absque prævia approbatione aut saltem licentia Episcopi; et exinde usus invaluit ut typographi, ad observandum Conc. Trid. decretum, habeant approbationem ad Ordinario aut loci ubi imprimunt, aut loci in quo degit libri scriptor.

ARTICULUS II

De Interdicto.

Dicemus 1° de notione et speciebus interdicti, 2° de ejus effectibus, 3° de interdictis in particulari.

§ I

De notione et speciebus Interdicti.

84. — *Quæritur* 1° quid sit interdictum?

Resp. Interdictum proprie et simpliciter dictum definitur : *censura privans usu et participatione divinorum officiorum, quorumdam sacramentorum, et ecclesiasticæ sepulturæ, vel totaliter, vel solum ex parte.*

Dicitur 1 : *censura,* ut distinguatur ab irregularitate et

a cessatione a divinis; quamvis enim cessatio a divinis magnam habeat similitudinem cum interdicto, eosdemque fere effectus, tamen non est censura, imo nec est proprie pœna, cum loca tantum respiciat, nec directe afficiat ullas personas; hæc autem definitur : *Simplex prohibitio, vi cujus desistere debent Clerici in certo loco ab omni celebratione solemni divinorum Officiorum, in signum gravissimi mœroris Ecclesiæ.*

Dicitur 2 : *privans usu et participatione divinorum Officiorum, quorumdam sacramentorum et ecclesiasticæ sepulturæ;* his enim rebus interdictum privat, quatenus sunt res divinæ et sacræ; atque per hoc differt, 1. ab excommunicatione, quæ quidem iisdem rebus privat, sed quatenus sunt materia societatis reciprocæ fidelium. 2. Differt a suspensione, quia suspensio non privat his rebus quatenus sunt res sacræ a laicis participabiles, sed quatenus sunt sacræ potestatis exercitium; quanquam indirecte teneat clericos, qua clerici sunt, quatenus vetat, quasi per consequens, sacra ministrare personis interdictis, et ea in locis interdictis obire. Unde interdictum non removet a communione fidelium, uti excommunicatio; nec adimit jurisdictionem; et in hoc etiam discrepat ab excommunicatione et suspensione.

Dicitur 3 : *privans totaliter*, vel *solum ex parte*, ex subsequentibus.

85. — *Quæritur* 2° quotuplex sit interdictum?

Resp. Interdictum est *totale*, vel *partiale*, *locale*, vel *personale*, vel *mixtum*. *Totale* est illud quod habet omnes effectus in definitione recensitos, quale censendum, quando absolute et sine ulla determinatione fertur. *Partiale* est illud quod aliquos tantum habet effectus, v. g., si cui interdicatur solum ingressus Ecclesiæ, vel ecclesiastica sepultura.

Locale est illud quod immediate loca afficit, v. g, Civitatem, Ecclesiam, Cœmeterium, etc., prohibendo scilicet ne ab ullo Clerico divina Officia et res Sacræ in eo loco peragantur : et illud est vel *generale*, vel *speciale*. Obser-

vant autem Jurisperiti locale interdictum, post Constitutionem *ad vitanda scandala*, nullum esse nisi denuntietur. *Personale* interdictum, est illud quod immediate afficit personas, prohibendo illis usum sacramentorum, vel ingressum Ecclesiæ, etc. Subdividitur autem in *generale* et *particulare* : prius respicit aliquod corpus collectivum, puta Collegium, Capitulum, etc. Posterius vero fertur in personas determinatas, sive sint plures.

Aliquando etiam interdictum locale est simul personale, diciturque *mixtum* quando scilicet personas simul afficit et loca.

Interdictum *generale*, sive locale, sive personale, fieri nequit sine culpa, et quidem gravi, ex parte majoris partis populi, ordinis, cœtus, imo vel unius ex præstantioribus; nec tenet, nisi ex quo nominatim denuntiatum fuerit; sed personale personam sequitur, locale finitur loco. Sed etiam neutrum recipit absolutionem proprie dictam; sed cessant, cum fuerint relaxata ab eo, qui personas aut loca interdicto supposuit; vel impleta conditione aut elapso tempore interdicti, si latum fuerit sub conditione, vel in diem. Suarez, *de Censuris*, disput., 36, sect. 3, n. 4, 5, 6; disput. 32, sect. 2; d'Annibale, *de Censuris* n. 372.

Interdictum locale *generale* continet omnia prorsus loca territorii interdicti, etiam exempta; *particulare* autem, duntaxat loca interdicta, nec alterius jurisdictioni subjecta. Attamen, cum *accessorium sequatur principale*, si interdicatur Ecclesia, eo ipso interdicitur cœmeterium ei contiguum; similiter, interdicta urbe, eo ipso interdicuntur suburbia.

Personali interdicto *generali* tenentur singuli *præsentes*, exceptis infantibus; unde eximitur ab illo interdicto quisquis ejus populi, cœtus, etc., pars vel non est, vel esse desiit, ne hodie quidem exceptis, qui interdicto causam dederunt. D'Annibale, *ibid.*, n. 373.

Ex præfatis de interdicto notionibus, colligitur solum interdictum *personale* et *particulare* vim habere *censuræ*, nisi latum fuerit per modum *pœnæ;* cætera vero sunt magis quædam privationes. Itaque interdictum personale spe-

ciale, quatenus censura, non incurritur nisi ob delictum proprium, cum contumacia, nec tenet nisi singulos, in quos vel a jure, vel ab homine latum est.

§ II

De effectibus Interdicti.

86. — 1[us] Interdicti effectus est *prohibitio celebrationis et auditionis divinorum Officiorum :* quæ prohibitio obligat sub mortali peccato, nisi excuset inadvertentia, vel gravis necessitas.

In generali tamen interdicto loci alicujus, permisit Bonifacius VIII, cap. *Alma mater,* de Sent. excomm., in Sexto, ut singulis diebus in Monasteriis et Ecclesiis, Missæ celebrentur, aliaque divina Officia, sed submissa voce, januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, et campanis non pulsatis.

Permisit insuper ut in festis solemnibus in canone citato expressis, celebrentur divina Officia cum omni solemnitate, omnibus admissis, præter excommunicatos : quod et ad aliquas alias festivitates Martinus V et Eugenius IV extenderunt. In ecclesia etiam specialiter interdicta, licet *semel in hebdomada* sacrum facere ad renovandam Eucharistiam, *ne forte desit morituris;* c. 37, *Ne desit.*

2[us] Effectus interdicti *est privatio usus activi et passivi sacramentorum, exceptis casibus in Jure expressis;* conceditur tamen receptio Baptismatis, Pœnitentiæ et Confirmationis, cap. *Responso,* de Sent. excomm., et cap. *Quoniam,* eodem tit., in Sexto; conceditur etiam Eucharistia pro Viatico iis qui periculose decumbunt, minime vero Extrema Unctio.

3[us] Effectus est *privatio sepulturæ ecclesiasticæ,* cap. *Quod in te,* de Pœnitentia et Remissione, cap. *Episcoporum,* de Privilegiis, in Sexto, et Clementina prima de Sepulturis; modo tamen personaliter interdicti publice et nominatim fuerint denuntiati.

Denique laici scienter violantes interdictum, v. g., audiendo Missam, *peccant mortaliter,* quia in re gravi contra præceptum Ecclesiæ delinquunt. Clerici etiam in sacris Ordinibus constituti, si, ordinem exercendo, violant inter-

dictum denuntiatum, præter peccatum mortale, irregularitatem incurrunt; cap. *Is cui*, de Sent. excomm..., in Sexto.

87. — *Quæritur* quis ferre possit interdictum, vel tollere?

Resp. — Ili omnes interdictum ferre possunt, qui et cæteras censuras.

Si interdictum sit ab homine per sententiam particularem, qui tulit, vel ejus Superior, potest ab eo absolvere; si sit a Jure ac reservatum, solus ille cui reservatur; si vero non sit reservatum, quilibet approbatus potest illud tollere. Interdictum latum ad tempus, vel cum conditione, pariter interdictum latum in communitatem, cessat, soluta communitate.

§ III

De Interdictis in particulari.

Quoad interdicta quæ Constit. *Apostolicæ Sedis* non statuuntur, nec innovantur, et quæ tamen ex jure communi in vigore permanent, vide n. 39.

88. — Interdictum Romano Pontifici *speciali modo* reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocunque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia (Ita Constit. *Apostolicæ Sedis*, n. 39, 43).

Sed etiam illi, de quibus agitur n. 51[2], si sint Episcopali charactere insigniti, in pœnam interdicti ab ingressu ecclesiæ ipso facto absque ulla declaratione incidunt, et hoc interdictum est *speciali modo* S. Pontifici reservatum. Ita ex Litt. Apostolicis, 28 aug. 1873.

89. — Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Judice, vel a Jure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint. (*Ibid.*, n. 39, 68.)

90. — Episcopi aliique Prælati superioris gradus, qui non servant residentiam toto tempore per jus canonicum determinato : vel qui intra mensem non duplo restituunt indebite percepta occasione

visitationis, interdictum ab ingressu Ecclesiæ ipso jure incurrunt. Conc. Trid. sess. 24, c. 3.

91. — Capitula, quæ, sede vacante, infra annum a die vacationis, litteras dimissorias concedunt alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, incurrunt interdictum, *Ibid.* sess. 7, c. 10.

ARTICULUS III

De Suspensione.

Dicemus 1° de notione et speciebus suspensionis; 2° de ejus effectibus; 3° de suspensionibus in particulari.

§ I

De notione et speciebus Suspensionis.

92. — *Quæritur* 1° quid sit suspensio?

Resp. Suspensio est *censura totaliter vel ex parte privans Clericum usu potestatis ecclesiasticæ, quam habet ratione Ordinis, vel Beneficii, vel Officii.*

Dicitur 1 : *censura,* ut distinguatur præsertim ab *irregularitate, depositione et degradatione,* et ab ea specie suspensionis, quæ imponitur in modum *mere pœnæ* tantum, de qua agitur cap. *Cum in cunctis,* de Electione. Inter utramque enim hanc suspensionis speciem triplex est discrimen. 1. Suspensio quæ fertur in modum pœnæ, fertur etiam ad tempus definitum; quæ autem est censura proprie dicta, pendet ab emendatione et contumacia. 2. Illa non requirit præviam monitionem; hæc requirit. 3. Prior, elapso tempore, tollitur ipso jure; posterior non tollitur nisi per absolutionem.

Dicitur 2 : *privans usu potestatis ecclesiasticæ,* id est, impediens Clericum ne utatur potestate ecclesiastica quam habet, seu ne suum Officium exerceat et functiones Ordinis vel jurisdictionis, impediens etiam ne administret aut percipiat fructus sui Beneficii.

Hinc suspensio differt ab aliis censuris, quia scilicet suspensio in Clericos tantum ferri potest, qui soli sunt capaces potestatis ecclesiasticæ; at vero excommunicatio et interdictum ferri possunt, tum in Clericos, tum in laicos ;

deinde suspensio privat *solo ministerio* ecclesiastico; at excommunicatio multis aliis bonis privat, ut dictum est; interdictum vero privat participatione divinorum Officiorum, etc.

93. — Ut autem percipiatur quomodo suspensio differat a Depositione et Degradatione, afferendæ sunt utriusque definitiones.

Depositio est *perpetua et irremissibilis ecclesiasticæ personæ, ob enorme crimen, remotio ab Ordine, Jurisdictione et Officio* : ab illa autem differt Suspensio, tum quia non est *irremissibilis*, sicut depositio, tum quia, licet Suspensio privet fructibus Beneficii, non adimit tamen titulum radicalem, quemadmodum Depositio.

Degradatio est *pœna ecclesiastica, qua Clericus ab omni Officio vel Beneficio depositus, insuper privatur solemniter clericorum gradu, privilegiis et insignibus.* Degradatio a depositione differt, quod per depositionem non auferantur privilegia Fori et Canonis; per degradationem vero Clericus his omnibus privilegiis exuitur : unde patet Degradationem maxime differre a Suspensione.

94. — *Quæritur* 2° quotuplex sit suspensio?

Resp. 1. Suspensio alia est *totalis*, alia *partialis*. *Totalis* est illa, quæ Clericum suspendit ab *Ordine simul* et *ab Officio et Beneficio*, seu quæ privat usu omnis potestatis ecclesiasticæ alicui competentis ratione Ordinis, vel Officii, vel Beneficii, sive illa potestas sit Ordinis, sive Jurisdictionis.

Suspensio *partialis* ea est, *quæ vel ab Ordine tantum, vel ab Officio, vel a Beneficio suspendit.*

Suspensio *ab Ordine* tantum privat exercitio functionum ad sacros Ordines pertinentium.

Suspensio ab Officio simplex et absoluta privat omnibus functionibus ecclesiasticis, quæ ad Clericum pertinent, sive ratione Ordinis, sive ratione Officii ecclesiastici, quales sunt celebrare, sacramenta ministrare, ferre censuras, indulgentias conferre, alios ad confessiones approbare,

conferre Beneficia, eligere, etc.; non privat tamen Beneficii reditibus.

Suspensio *a Beneficio* privat tantum reditibus Beneficii et aliis commodis ad Beneficium pertinentibus.

95. — 2. Suspensionis aliæ sunt *jure communi latæ, aliæ feruntur ab Ordinariis et quidem vel per modum statuti, vel per modum sententiæ.* Quæ feruntur ab Ordinariis, continentur vel in Diœceseos statutis, quæ consuli debent, vel in specialibus contra contumaces sententiis.

96. — 3. Suspensio, quæ dicitur *ad cautelam*, in eo posita est, quod per Episcopi præceptum Clericus arceatur ab exercitio sacri ministerii, non quod criminis reus sit, aut de crimine jam convictus vel confessus; sed quia non decet sancta tractari ab illo, contra quem fama publica male refert, vel jam criminis publici accusatio aut inquisitio judicialiter fuit instituta. Idque Episcopi prudentiæ prorsus relinquendum est. Hujus censuræ exempla habentur non pauca in jure. Sed exinde sequitur : 1. Suspensionem ad cautelam esse partialem, scilicet a solo exercitio ordinis, non a Beneficio; 2. eamdem non esse censuram proprie dictam, ideo non requiri ad eam formulas canonicas, nec irregularitatem incurri propter ejus violationem; 3. eam tamen graviter obligare, cum lata sit ob gravem causam.

97. — *Quæritur* 3° quænam sit Episcopi potestas in suspensione ferenda?

Resp. Ex jure tanta est Episcopi potestas in suspensione ferenda, ut eam valeat in Clericos sibi subditos irrogare non solum per modum censuræ, sed etiam per modum simplicis punitionis et ob crimen præteritum; atque ex causis sibi notis, scilicet, ut aiunt, ex *informata conscientia*, et absque prævia ulla Clerici monitione : sicque Clericum prohibere tam ab ascensu ad ordines, quam ab eorum exercitio, v. g., a celebratione Missæ. Ita Tridentinum, sess. 24, c. 1, et Bened. XIV, *de Syn. diœc.* l. 12, c. 8.

Idem patet ex Bulla *Auctorem fidei*, quæ sub n. 49, propositionem Synodi Pistoriensis docentis *nullas et invalidas esse suspensiones ex informata conscientia*, solemniter damnavit uti *falsam, perniciosam et in Tridentinum injuriosam.*

Imo potest etiam eodem modo Episcopus suspendere Parochum ab omni curæ suæ exercitio : et S. Congregatio conc. *in Sagonensi*, 21 jun. ann. 1625, declaravit irregularitatem contraxisse Parochum, qui a proprio Episcopo *informata conscientia* ab omni suæ parœciæ exercitio indeterminate suspensus, appellatione interposita, adhuc in celebratione et curæ suæ exercitio manebat.

Nota. Hanc *pœnam suspensionis, utpote gravissimam, prælati non debent infligere sine scriptura*, ita ut si superior ore tenus Clerico suo dicat : *ego te suspendo*, mera sit celebrandi prohibitio, cujus violatio gravis culpæ reatum, sed non irregularitatem parere poterit. Vide Institut. canon. Tract. 8, n. 92 et seq.

§ II

De effectibus Suspensionis.

98. — Diximus articulo præcedenti, suspensionem aliam esse totalem, aliam partialem.

Suspensio totalis privat omni usu ecclesiasticæ potestatis, tum jurisdictionis, tum Ordinis.

Suspensio partialis privat tantum aliqua parte hujus potestatis. Hoc supposito, multi colliguntur suspensionis effectus.

1° *Suspensus exercens id a quo est suspensus, peccat mortaliter, nisi ignorantia invincibilis, aut alia justa causa excuset.* Ratio est quia in re gravi violat præceptum Ecclesiæ; potest tamen ea facere, quæ a laicis fieri possunt, v. g., baptizare sine solemnitate, urgente extrema necessitate; item canere in choro laicorum more; potest etiam sacramenta recipere, quia talis receptio non est usus potestatis ecclesiasticæ : imo Clericus suspensus, ad Officium divinum aliunde obligatus, tenetur illud privatim recitare.

2° *Suspensus ab Ordine, si actum Ordinis sacri a quo sus-*

pensus est, exerceat, fit irregularis, ut dicimus in Tract. *de Ordine,* n. 91, et probatur ex cap. 1. *de Sententia* et de *Re judicata*, in Sexto. Quod etiam intelligendum est de violante Suspensionem, quæ est mera pœna, ut dicitur ex cap. 1 *de Sent. excomm.*, in Sexto.

3° *Suspensus privatur communione aliorum in eo a quo suspensus est, ita ut peccet cum aliis communicando,* v. g., sacramenta iis ministrando, quando est a sacramentorum ministratione suspensus; item peccat, qui cum suspenso sine necessitate communicat, in iis a quibus est suspensus; qui sacramenta recipit a sacerdote suspenso a collatione sacramentorum; item, qui audit Missam Sacerdotis ab ordine suspensi; hæc autem intelligenda sunt de suspenso *nominatim* expresso, juxta Extrav. *Ad evitanda*, de qua supra. Jure tamen naturali et divino vitandus est aliquando suspensus ab Ecclesia toleratus.

4° *Suspensus simpliciter et absolute ab Officio, est inhabilis ad* acquirenda *Beneficia;* suspensio enim impedit collationem, vel obtentionem novi Beneficii. Ratio est quia Beneficium ecclesiasticum ordinatur ad alicujus muneris vel officii ecclesiastici administrationem; ergo, qui ab illo munere suspensus est, huic consequenter interdicitur susceptio Beneficii; id etiam infertur ex cap. ultimo *de Clerico excomm.* Item *privatur usu non solum jurisdictionis, sed et, ex communiori sententia, Ordinis atque omnis ecclesiastici ministerii*, quod a Clerico ut tali exerceri postulat. Unde suspensus ab Officio, nec celebrare, nec sacramenta ministrare, nec ferre censuras, nec ad confessionem approbare, nec eligere potest; quia hæc omnia a Clerico ut Clerico exercentur; posset vero privatim in necessitate baptizare, sacrificio ministrare, etc., quia hæc ab ipso laico fieri possunt.

5° *Simpliciter suspensus a Beneficio, privatur non quidem ipso Beneficii titulo, sed Beneficii fructibus*, quos perceptos tenetur in conscientia restituere Ecclesiæ, ea sola fructuum sibi retenta parte, quæ ad moderatam sustentationem necessaria est.

Nota. Sacerdos suspensus potest absolvi per simplicem

confessarium a peccatis, antequam a censura absolvatur per Superiorem, quia effectus suspensionis non est privare receptione sacramentorum. Sed requiritur ut sit dispositus ad curandam liberationem a suspensione; et quod interea abstineat ab exercendo illo, a quo est suspensus.

99. — Cæterum, circa suspensiones, duæ sunt notandæ regulæ ob omnibus receptæ.

1ª Regula : *Quando suspensio fertur absolute et simpliciter sine ulla determinatione ad hoc vel illud, censetur esse totalis, tam ab Ordine et ab Officio, quam a Beneficio.*

2ª Regula : *Quando suspensio fertur determinate ad hoc vel illud, tunc non suspendit nisi ab eo quod exprimitur, vel quod in eo necessario includitur :* unde suspensus a Beneficio non est eo ipso suspensus ab Officio, nec vicissim; neque item suspensus a jurisdictione, non est suspensus ab Ordine; nec etiam suspensus ab Ordine superiori est suspensus ab inferiori : qui tamen suspensus est ab Ordine inferiori, suspensus est a superiori, nisi aliqua ratio peculiaris intercedat : ratio omnium est quia, ex regula Juris, odiosa restringi convenit.

Observandum est suspensionem essentialiter personam afficere, ac proinde Clericum comitari quocunque ierit.

100. — *Quæritur* quomodo cessent suspensiones?

Resp. 1. *Si suspensio rationem habeat censuræ,* tollitur ut excommunicatio, scilicet per solam absolutionem, et quidem Superioris, si sit reservata, vel ab homine; sed illa absolutio necessario debet concedi cuique convenienter satisfacienti.

2. *Si suspensio rationem pœnæ habeat,* et lata sit ad certum tempus vel sub conditione, cessat elapso tempore, vel superniente conditione. Si lata sit in perpetuum, tandiu durat, donec vel auctor, aut successor, vel superior eam relaxaverit, quia tunc non est vera censura, nec requirit contumaciam.

Si suspensio occulta sit, tollitur per absolutionem, illa generali forma : *Absolvo te ab omni vinculo* suspensionis. Si

sit publica, *in foro interno* tollitur eadem forma; *in foro vero externo*, adhibenda est forma Ritualis, et fieri debet ab ipso Superiore vel ab ejus delegato tantum.

§ III

De Suspensionibus in particulari.

Quoad suspensiones quæ Constit. *Apostolicæ Sedis* non statuuntur, nec innovantur, et quæ tamen ex jure communi in vigore permanent, vide n. 39.

NUMERUS PRIMUS

Suspensiones latæ sententiæ R. Pontifici simpliciter reservatæ.

1.

101. — Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis, Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Prælatos de prædictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras apostolicas de sua promotione.

2.

102. — Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem Ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

3.

103. — Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt Ordinantes alienum subditum, etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris demissorialibus; vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

4.

104. — Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem Sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

5.

105. — Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

6.

106. — Suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eumdem ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio : eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

Clerici sæculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in prædicto examine rejecti fuerint; nec non Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam diœcesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium, vel non præmissis ante Ordinem Sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt : Episcopi vero ordinantes, ab usu Pontificalium per annum.

7.

106[2]. — Illi de quibus agitur n. 51[2] si sint episcopali charactere insigniti, in pœnam suspensionis ab exercitio pontificalium ipso facto absque declaratione incidunt, et hæc suspensio est S. Pontifici *speciali modo* reservata. Ita ex Litt. Apostolicis, 28 aug. 1873.

NUMERUS II

Suspensiones reservatæ, a Conc. Trid. statutæ.

1.

107. — Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei... permittatur, nisi ejus probitas ac mores, Ordinarii sui testimonio, commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quandiu proprio Odinario videbitur expedire, sit suspensus. (Sess. 23, c. 8.)

2.

108. — Episcopi titulares, qui alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis, absque sui proprii Prælati expresso consensu aut litteris dimissoriis, etiam ad primam tonsuram promovent, ab exercitio pontificalium per annum, taliter vero promotus ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sunt suspensi. (Sess. 14, c. 2.)

3.

109. — Clerici non arctati ratione beneficii, ipso jure suspensionem incurrunt ab executione ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati, si, infra annum sedis vacantis, majorem ordinem recipiant cum licentia Capituli, aut alterius cujuscunque ipsius loco. (Sess. 7, c. 10, *de Reform.* Sess. 23, c. 10.)

4.

110. — Si parochus, vel alius sacerdos, sive regularis, sive secularis sit, alterius parochiæ sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. (Sess. 24, c. 1, *de Reform.*)

5.

111. — Episcopus qui pontificalia exercet in alterius diœcesi, etiam erga proprios subditos, sine Ordinarii loci expressa licentia, ipso jure ab exercitio pontificalium suspenditur, et sic ordinati suspenduntur ipso facto ab executione ordinum. (Sess. 6, c. 5.)

6.

112. — Episcopi concubinarii si, a synodo provinciali moniti, ab hujusmodi crimine non se abstinuerint, ipso facto sunt suspensi. (Sess. 25, c. 14.)

7.

113. — Visitantes Episcopi inferiores, si pecuniam vel munera accipiant, suspensi sunt ab officio et beneficio, usquedum duplo restituant. (Sess. 24, c. 3.)

APPENDIX

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA

114. — Cœmeteria, græce κοιμητήριον, a verbo κοιμάω, dormio, sunt loca destinata sepulturis. Apud catholicos

autem cœmeterium, ut corporibus christi-fidelium humandis inserviat, primum in locum religiosum ab Episcopo, aut Presbytero quam Episcopus deputaverit, ritu solemni erigendum et deputandum est [1].

Vi hujus benedictionis, cœmeteria fiunt loca sacra, et fideles, quorum corpora ibi tumulantur, participes sunt precum et suffragiorum Ecclesiæ Catholicæ. Proinde non debent in cœmeteriis benedictis humari, qui in communione Ecclesiæ defuncti non sunt, juxta illud : « Sacris canonibus est institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus mortuis; et ut careant sepultura ecclesiastica, qui prius erant ab unitate Ecclesiæ præcisi, nec in articulo mortis fuerint reconciliati. » Cap. *Sacris.* 12, *de Sepult.* Idem dicendum est de peccatoribus publicis nulla censura denuntiata notatis; æquum est enim ut iis post obitum non applicentur ritu publico suffragia Ecclesiæ, qui, dum viverent, privati sunt sacramentis.

115. — Itaque, ex jure communi, sepultura ecclesiastica privandi sunt 1. *Infideles* omnes quicunque sint, sive Pagani, sive Mahumetani, sive Judæi, sive infantes fidelium sine baptismo e vivis sublati.

2. *Apostatæ*, et ideo omnes illi qui scriptis christianam revelationem negant, propugnando atheismum, deismum, pantheismum.

3. *Hæretici*, quales sunt Protestantes, *schismatici*, quales sunt Græci, nec non illorum fautores notorii.

4. *Excommunicati* publici et notorii, interdicti nominatim, si nullis pœnitentiæ signis datis, decesserint, nec ullum signum reconciliationis cum Ecclesia dederint.

5. *Suicidæ*, qui sibi mortem intulerunt, nisi signa pœnitentiæ aut amentiæ dederint.

Si autem amentiæ signa dederint, conceditur sepultura ecclesiastica cum solemnitatibus exsequiarum. Quando

1. Plures suam sepulturam in ecclesiis olim elegerunt, sperantes nimirum sibi propitium fore Sanctorum patrocinium, si prope illorum tumulos componerentur, suaque ossa ossibus venerandis Martyrum quadamtenus copularentur; quæ praxis paulatim in moribus fidelium prævaluit.

dubium superest, utrum quis mortem sibi dederit per desperationem aut per insaniam, dari potest sepultura ecclesiastica, vitatis tamen pompis et solemnitatibus exsequiarum. Ita S. Congr. S. Officii, 18 maii 1866.

6. *Duellantes*, si in ipso conflictu decesserint, ex Conc. Trid. sess. 25, c. 19, *de Reform.* Imo, juxta Rituale Rom., privandi sunt illi sepultura, licet signa pœnitentiæ dederint, et juxta Bullam Benedict. XIV, licet absoluti fuerint. In Gallia tamen non denegatur sepultura duellantibus, qui vera pœnitentiæ signa dederunt, et auxilium Sacerdotis postularunt. Quod si aliqua signa pœnitentiæ dederint extra locum conflictus, v. g., domi, aut dum asportantur, etiam ex jure communi, absque ulla difficultate, sepultura ecclesiastica donari possunt.

7. *Peccatores publici* et *notorii*, qui in impœnitentia decesserunt. Tales sunt v. g., qui publice vitam degunt in concubinatu. Sed ad hoc requiritur ut impœnitentia sit omnino certa, et adeo publica, ut sepultura sine novo scandalo concedi non possit.

8. *Peccatores* qui decesserunt in *actu criminis*, si ipsis defuit tempus ad signa pœnitentiæ manifestanda, modo crimen sit omnino certum et publicum.

116. — Hinc 1. sepeliri non posset more christiano homicida, qui occideretur ab eo quem occidere attentaret. Bene vero qui morte plectuntur, si confessi fuerint ante mortem, aut signa dederint indubia pœnitentiæ. Attamen sepeliendi sunt sine solemnitate et occulte, v. g., sub vesperam.

117. — Hinc 2. mimis et comœdis deneganda non est sepultura, modo Sacramenta Ecclesiæ non recusarint. Nulla enim exstat lex canonica, quæ eos a sepultura ecclesiastica excludat.

118. — Hinc 3. si Sacerdos *solus testis* fuerit impœnitentiæ moribundi, non est deneganda sepultura, nisi aliunde ipsi denegari debeat ob aliquam ex causis supra

expositis, v. g., propter censuram, etc.; sed tacere debet Sacerdos de impia dispositione moribundi, et sinere ut credant eum fuisse sacramentis rite expiatum, ut vitentur scandala, quantum fieri potest. Imo, nisi aliquod scandalum sit necessario reparandum, operæ pretium erit ut Sacerdos dubius de dispositione moribundi ipsum absque testibus alloquatur, et ad confessionem inducat, ne malus ejus animus innotescat.

119. — Hinc 4. *in dubio* utrum deneganda sit sepultura ecclesiastica, necne, Episcopus est interrogandus, si facilis sit ad eum recursus; secus, pro sepultura concedenda standum erit, juxta principium : *in dubio odiosa sunt restringenda*. Cum enim incommoda magna nostris præsertim temporibus ex denegatione sepulturæ oriri soleant, expedit ut talis denegatio non fiat, nisi de ejus obligatione certo constet.

120. — Nota 1° : in pluribus locis eadem civitas duo aut plura cœmeteria habet, quorum unum deserviat iis qui sepultura ecclesiatica privandi sunt; vel saltem pars aliqua cœmeterii communis absque benedictione in hunc finem relinquitur.

Imo, cum his temporibus non raro accidat ut ii, quibus sepultura ecclesiastica deneganda est, sacrilege in cœmeterio benedicto sepeliantur ministerio laicorum, sapienter statutum est in variis locis ut omittatur benedictio totius cœmeterii, et benedicatur tantum unaquæque fossa antequam humo mandetur cadaver.

121. — 2° Quæsitum est an *acatholici*, ratione vinculi consanguinitatis aut matrimonii, inferri licite possint in sepulcris *gentilitiis privatisve familiarum catholicarum*.

Porro S. Officium, 20 mart. 1859, 25 apr. 1860, 14 nov. 1888, respondit : « Curent Episcopi totis viribus, ut cuncta fiant ad normam sacrorum canonum ; quatenus vero *absque scandalo et periculo* id obtineri non possit, *tolerari posse*. »

Insuper, in epistola Assessoris S. Officii, qua præfata

decisio 14 nov. 1888, communicatur omnibus Archiepiscopis statuum Fœderatorum Americæ septentrionalis, hæc adduntur : « Ea nunquam fuit mens S. Sedis in præfatis decretis quæstionem esse de tolerantia *positiva* et *absoluta* (quæ, nempe, permissioni proprie dictæ æquivalet), sed de tolerantia *mere passiva, et ad vitanda majora mala.* » Unde, si non immineant hujusmodi mala, tolerantiæ non locus est.

122. — 3° In Gallia, quoad sepulturam ex Codice civili hæc statuta sunt. 1. Prohibetur ne sepultura fiat absque licentia magistratus civilis (*le maire*) scripto data, et viginti quatuor horis elapsis post obitum, exceptis casibus extraordinariis et a magistratu civili determinandis, v. g., ob pestem, putredinem, etc.

2. Qui absque licentia supradicta defunctum sepelirent aut sepeliri juberent, damnari possent ad carcerem a sex diebus ad duos menses, et ad mulctam a 16 ad 40 francos.

3. Prohibetur ne defunctorum corpora in ecclesiis aut aliis ædificiis clausis, quæ ad cœtum fidelium destinantur, sepeliantur. Non autem prohibetur sepultura in capella quæ in cœmeterio sit exstructa.

4. Ponenda sunt defunctorum corpora in cœmeterio secundum ordinem inceptum sine ulla distinctione, nisi aliqua concessio obtineatur, juxta conditiones præscriptas in decreto 12 jun. 1804, art. 43.

Tandem, ex decreto S. Officii, 19 maii 1886, « non licet mandare, ut sua aliorumve corpora comburantur, nec dare nomen societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera. » Talis enim usus ab ethnicis ortus est, atque a secta massonica commendatur in contemptum consuetudinis christianæ humandi corpora.

FINIS TRACTATUS DE CENSURIS.

TRACTATUS
DE DECALOGO

OBJECTUM, UTILITAS, DIVISIO TRACTATUS

1. Hactenus dictum est de actus humani regula in genere sumpta, atque de habitibus generatim spectatis, quibus inclinamur ad eliciendos actus legi conformes aut contrarios.

Nunc vero de lege in specie, et de unoquoque habitu, quo ad unamquamque legis speciem servandam aut infringendam disponitur homo, disserendum superest.

Lex autem divina inter alias longe præcellit, tum ex ejus infinita dignitate auctoris, tum ex illius legis necessitate, ut aliæ et constitui et consistere possint. Imprimis igitur de lege divina, quæ in decem Decalogi præceptis continetur, dicendum habemus.

Nec sane ullum præterire potest hujusce tractationis momentum, qua, Deo ipso scribente in monte Sinaï, discimus quomodo nos ordinare debeamus in Deum et proximum, sicque totam vitam instituere ad finem supernaturalem tuto pede consequendum. Sicut enim Symbolum est epitome credendorum, ita Decalogus agendorum in ordine sive naturali sive supernaturali.

Divina præcepta vulgo dividuntur in præcepta primæ tabulæ, quæ hominem immediate ordinant ad Deum; et in præcepta secundæ tabulæ, quæ hominem immediate ordinant ad proximum, Pars igitur erit duplex [1].

1. Circa Tract. *de Decalogo*, consuli possunt, S. Th. 1. 2, q. 100; 2. 2, q. 1 et seq. — Suarez, *de Virtutibus Fidei, Spei, Charitatis et Justitiæ*: — Mayol, *de Præceptis Decalogi generatim sumptis; summa moralis doctrinæ Thomisticæ circa*

PARS PRIMA

DE PRÆCEPTIS PRIMÆ TABULÆ, SEU DE OFFICIIS ERGA DEUM

2. — *Quæritur* quænam sint primæ tabulæ præcepta? *Resp.* Præcepta, quæ scripta erant in prima ex duabus tabulis, quas Deus Moysi tradiderat, tria sunt et immediate Deum spectant, juxta fere omnes SS. Patres et Theologos, scilicet :

I. *Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem. Non adorabis ea, neque coles.*

II. *Non assumes nomen Domini tui in vanum.*

III. *Memento ut diem Sabbati sanctifices.* Exod. 20.

Revera Deo ut summo principi communitatis humanæ, tria debet homo, nempe, fidelitatem, reverentiam et famulatum. Fidelitas enim ad Dominum in hoc consistit, quod honor principatus ad alium non deferatur; et quantum ad hoc accipitur præceptum : *Ego sum Dominus Deus tuus; non habebis deos alienos.*

Reverentia autem ad Dominum requirit, ut nihil injuriosum in eum committatur, et idcirco ponitur præceptum : *Non assumes nomen Domini tui in vanum.*

Demum famulatus debetur Domino in compensationem beneficiorum, quæ ab ipso percipiunt subditi : et ad hoc pertinet præceptum de sanctificatione sabbati in memoriam creationis rerum, aut redemptionis hominum.

3. — Hinc 1. tria illa præcepta Deum spectant sub triplici respectu.

Videlicet, per primum, commendatur Deus ut primum

decem Decalogi præcepta; de Fide, Spe, Charitate: — Habert, *Quæstiones selectæ de Oratione;* — Patuzzi, — Billuart, *de Sanctificatione diei Dominicæ et festorum* : varia illa opera in Cursu Completo inserta sunt, t. 13, 14; — Catech. Rom. 3 p.; — S. Ligorius, lib. 2, 3; — Scavini.

et unicum principium, a quo omnia accepimus, et quod ideo supremus omnium *Dominus* eminet. Per secundum, honoratur Deus ut summa et incommutabilis *Veritas*. Per tertium, Deus ostenditur ut *Amor* essentialis et summum bonum quo sanctificamur, et in quo, sicut in fine, quiescimus; et cui igitur nos totaliter devovere debemus per cultum, qui ex corde et amore procedat.

♂ 4. — Hinc 2. tria illa præcepta tribus divinis Personis appropriantur.

Namque in Deo Pater apparet ut summa unitas et principium omnis divinæ communicationis et productionis; Filius autem est summa et substantialis veritas; tandem Spiritus Sanctus est substantialis amor Dei, atque ipsa sanctitas, qua et nos ipsi sanctificari oportet. Vide Tract. *de SS. Trinit.*, n. 59, 73, *de Angelis*, n. 83, 84, 85, 89, et seq.

♂ 5. — Hinc 3. primum præceptum aliquo sensu pertinet ad opus : *Non facies sculptile;* secundum, ad os : *Non assumes nomen Dei*, etc.; tertium, ad cor, quia in sanctificatione sabbati secundum quod est morale præceptum, præcipitur quies cordis in Deo, sive in præsenti per gratiam, sive in futuro per gloriam.

♂ 6. — Hinc 4. convenienter ordinantur tria illa præcepta.

Etenim, inter relationes hominis ad Deum, prima est subjectio erga Deum, omnem cum inimicis participationem excludens : secunda est reverentia; tertia, famulatus.

Revera gravius est et magis rationi repugnans peccare opere quam ore, et ore quam solum corde. Sic majus peccatum est in exercitu, si miles, infideliter agens, cum hoste pactum habeat, quam si aliquam irreverentiam faciat duci; et hoc gravius est, quam si in aliquo obsequio ducis deficiens inveniatur. S. Th., 1. 2, q. 100, a. 5, 6.

De tribus illis præceptis tot dicemus capitibus.

CAPUT PRIMUM

DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO

7.— *Quæritur* quodnam sit primum Decalogi præceptum?

Resp. Primum Decalogi præceptum his verbis Exodi 20 refertur : *Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem. Non adorabis ea, neque coles.* Quod et a Christo sic exponitur : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies;* Matth. 4, v. 10. Unde patet præceptum illud affirmativum esse simul et negativum; *affirmativum* quidem, quatenus præcipit ut Deo legitimus exhibeatur cultus; *negativum* autem, quatenus prohibet quidquid huic legitimo cultui opponitur.

Jam vero in via homo Deum ut primum principium ordinis supernaturalis et consequenter naturalis colere potest et debet per exercitium quatuor virtutum, quæ Deum respiciunt, scilicet, Fidei, Spei, Charitatis et Religionis, ut dictum est in Tract. *de Virtut.* n. 5. Quæ igitur sub primo mandato comprehenduntur, absolvemus in quatuor articulis.

ARTICULUS PRIMUS

De Fide.

8. — In Tractatu *de Fide* dictum est de notione, objecto, motivo, proprietatibus et subjecto fidei. In Tract. *de Gratia*, n. 272, 275, statutum est internum actum fidei esse dispositionem necessariam *necessitate medii* ad justificationem ab adultis consequendam.

Hic igitur quatuor demonstranda supersunt, scilicet, 1. quinam articuli explicite credendi sint necessitate medii; 2. an internus fidei actus sit etiam necessarius necessitate; præcepti; 3. an externus actus fidei sit necessarius necessitate præcepti; 4. quænam sunt vitia et peccata contra fidem, et eorum causæ.

§ I

De articulis explicite credendis necessitate medii.

9. — Illud necessarium est necessitate *medii* sine quo, quantumvis inculpabiliter omittatur, justificatio, nec salus obtineri nequit.

Fides *explicata* ea est, qua creditur aliquid *propriis terminis*, et ideo *clare* et *distincte* enuntiatum; v. g. : *Credo tres esse in Deo personas*. Fides autem implicita ea est, qua creditur aliquid non propriis terminis, nec clare et distincte enuntiatum, sed *in conceptu veritatis explicite creditæ contentum;* sic, v. g., qui hunc fidei explicitæ actum elicit : *Credo quidquid ab Ecclesia infallibili ut revelatum proponitur,* ille eo ipso implicite credit *tres esse personas in Deo*. Vide Tract. *de Fide*, n. 18-20.

Porro constat apud omnes necessariam esse fidem implicitam omnium veritatum, quæ a Deo hominibus supernaturaliter revelatæ sunt, alioquin omnino tolleretur fides supernaturalis, ex dictis in Tract. *de Fide*, n. 128. Quid igitur fide explicita credendum sit, sequentes aperient propositiones.

PROPOSITIO PRIMA

10. — *Fides explicita existentiæ Dei necessaria est ad justificationem*. Certum est.

Prob. 1° *Script.* « Sine fide *impossibile est* placere Deo : *Credere enim oportet* accedentem ad Deum, quia *est;* » Hebr. 11, v. 6. Unde sic : in prima propositione : *sine fide impossibile est*, etc., agitur de fide supernaturali, et ad justificationem necessaria necessitate medii, ut patet ex proprietate verborum, ex contextu, et ex dictis in Tract. *de Fide*, n. 114 : porro in secunda propositione, *Credere enim*, etc., fides existentiæ Dei declaratur non minus necessaria ac fides ipsa, de qua agitur in prima propositione, ut evincitur ex particula *enim*, qua indicatur secundam propositionem afferri in probationem primæ, cui proinde assimilatur; ergo fides explicita existentiæ Dei necessaria est ad justificationem.

2° *Traditione.* In hoc consentiunt omnes Theologi, nullo hæretico contradicente.

3° *Ratione.* 1. Deus est objectum beatitudinis seu finis ultimus, in quem tendimus : atqui in finem ultimum tendimus per fidem; ergo ante omnia necessaria est fides illius objecti, quod Deus est.

2. Justificatio obtineri nequit ab adultis absque actibus supernaturalibus timoris, spei et amoris Dei, ut dictum est in Tract. *de Gratia*, n. 275, 285 : atqui hujusmodi actus erga Deum necessario præsupponunt explicitam Dei cognitionem ejusdem ordinis seu fidei; ergo fides explicita existentiæ Dei necessaria est necessitate medii.

11. — *Quæritur* autem quonam sensu intelligenda sit præfata propositio?

Resp. 1. Juxta Thomistas, primus ille articulus intelligendus est non de existentia Dei simpliciter seu ut auctoris etiam naturæ, sed solum de Deo tanquam auctore gratiæ; eo quod existentia Dei ut auctoris naturæ sit multis evidens, nec proinde istis possit esse objectum fidei. Hoc ratiocinium jam confutatum est in Tract. *de Fide*, n. 114. Unde existentia Dei simpliciter seu ut auctoris naturæ et gratiæ est objectum fidei explicitæ.

2. Ut habeatur hujus articuli fides, non sufficit quolibet modo credere Deum esse; nec tamen requiritur ut ejus attributa more philosophorum cognoscamus; sed sufficit ut credatur Deus unus, independens, æternus, mundi creator, omnia gubernans per suam providentiam; cui debetur cultus et amor; omniscius et sanctus, ita ut nec falli, nec fallere possit.

Revera, sine his, non cognoscitur Deus verus, nec fides Dei et rerum a Deo revelatarum haberi potest.

PROPOSITIO II

12. — *Fides explicita Dei remuneratoris necessaria est necessitate medii.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* « Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia *est*, et

inquirentibus se *remunerator sit;* » Hebr. 11, v. 6. Porro eodem modo ratiocinandum est circa verba, *remunerator sit*, ac circa verba, *quia est*, ut in præcedenti propositione actum est; ergo, etc.

2° *Traditione*. Damnata est ab Innoc. XI sequens propositio : « Nonnisi fides Dei necessaria videtur necessitate medii, *non autem explicita remuneratoris.* »

At non concordant Theologi ubi agitur de assignanda ratione præfatæ assertionis. Alii rationem desumunt ex natura rei, scilicet, solus amor amicitiæ seu charitatis per se justificat : atqui amor amicitiæ præsupponit cognitionem Dei remuneratoris, siquidem amor amicitiæ est in communicatione gratiæ et gloriæ, ex dictis in Tract. *de Pœnit.* n. 138; ergo justificatio esse nequit absque fide Dei remuneratoris. Ita Kilber, *de Fide* n. 118.

Hæc ratio non omnino satisfacit. Nam, ut eliciatur actus amoris charitatis, quo proxime disponitur homo ad justificationem, non requiritur quod explicite cognoscamus amicitiam cum Deo esse in communicatione gratiæ et gloriæ, sed tantum Deum esse in se infinite perfectum, bonum et amabilem, atque diligere eos, qui eum diligunt; vide Tract. *de Pœnit.*, n. 138; ergo nec requiritur ad eliciendum actum charitatis, quod explicite credamus Deum esse remuneratorem.

Alii necessitatem explicitæ fidei remuneratoris deducunt ex voluntate seu ordinatione divina, quæ nobis innotescit tum ex verbis S. Pauli, tum ex doctrina Ecclesiæ jam exposita, tum ex Conc. Trid., sess. 6, c. 7, quod ait, « *fidem* sine *spe* et charitate vitam æternam præstare non posse. »

Revera hæc ordinatio conveniens est; siquidem accommodata est naturæ nostræ, quæ sine gradu ordinarie non assurgit ad sublimem charitatis actum, sed indiget ut amore sui honesto timorem supernaturalem simul et spem concipiat, et provocetur ad amorem charitatis, sive in quantum est medium necessarium æternæ beatitudinis, sive quia attributum remuneratoris aptissimum est ad conciliandum amorem non solum concupiscentiæ seu spei, sed etiam charitatis.

Præterea ordini consentaneum est, ut cognoscamus

finem nostrum, antequam possimus elicere actus, qui ad illum positive conducunt, inter quos eminet actus charitatis; ergo fides explicita Dei remuneratoris seu finis nostri præsupponitur ad actum charitatis et ideo ad justificationem, sicque necessarius est necessitate medii.

13. — Hinc 1° fides explicita Dei *remuneratoris in ordine supernaturali* necessaria est necessitate medii.

Ita communiter et vere, contra Molinam et paucos alios, qui dicunt necessarium non esse ad justificationem, ut *explicite* credatur illa remuneratio in quantum est objective supernaturalis.

Etenim 1. ea remuneratio credenda est, quam S. Paulus docet esse necessariam necessitate medii : atqui remuneratio, de qua loquitur S. Paulus, est ratione sui supernaturalis, ex dictis in Tract. *de Fide* n. 114. Revera, juxta omnes, in propositione : *sine fide impossibile est placere Deo*, agitur de fide supernaturali; porro ex dictis, n. 12, propositio, *credere enim oportet*, etc., est tantum prioris explicativa, ut patet ex particula *enim;* ergo in hac propositione agitur de fide ejusdem ordinis, ac proinde de remuneratione ad ordinem supernaturalem attinente.

2. Conc. Trid., sess. 6, c. 6, ex verbis *credere enim oportet*, assignat fidem tanquam dispositionem ad justificationem : atqui omnis dispositio ad justificationem est supernaturalis; ergo in propositione, *credere enim*, etc., agitur de Deo remuneratore in ordine supernaturali.

3. Fides necessaria est non solum propter se, sed etiam ut voluntas eliciat actus timoris, spei, et amoris supernaturalis; sicque se disponat ad justificationem supernaturalem : atqui fides Dei remuneratoris in ordine naturali tantum non sufficit ad actum spei et amoris supernaturalis; ergo fides explicita Dei remuneratoris in ordine supernaturali necessaria est necessitate medii. Vide Suarez, *de Fide*, disp. 12, sect. 3, n. 8, 11.

14. — Hinc 2° insufficiens est fides remunerationis supernaturalis, si ignoretur hanc esse æternam,

Namque adeo distant remuneratio et pœna æterna a temporali, ut discrimen essentiale inter utramque intercedat; ac proinde, qui nescit remunerationem esse æternam, dicendus est eam ignorare. Revera remuneratio aut pœna temporalis ordinarie non satis moveret ad integram conversionem.

Consequenter necessaria est etiam fides immortalitatis animæ. Sed hæc satis includitur in fide remunerationis æternæ; nec absolute requiritur, quod credatur per conceptus diversos et per actus distinctos a fide ipsius remunerationis æternæ.

15. — *Quæritur* autem an fides explicita *Incarnationis* et *SS. Trinitatis* necessaria sit necessitate *medii?*

Resp. Communiter asseritur fidem hujusmodi non fuisse necessariam ante Evangelii promulgationem, sed illorum mysteriorum fidem implicitam fuisse sufficientem ad justificationem.

Controvertitur autem an, post Evangelii promulgationem, illa fides explicita necessaria sit necessitate medii.

Alii negant, inter quos, Suarez, Dominicus Soto, de Lugo, Salmanticenses; et hæc sententia probabilis est, ait S. Ligorius, lib. 2, Tract. 1. n. 2.

Etenim 1. textus in novo Test. magis expressus de necessitate explicitæ fidei, nempe S. Pauli, ad Hebr. 12, v. 6, prorsus silet de explicita fide illorum mysteriorum. Textus autem Scripturæ et testimonia Patrum, quæ opponuntur, intelligi possunt vel de necessitate præcepti, posita prædicatione et auditione Evangelii, cui nemo reluctari potest sine dispendio salutis; vel de necessitate illius fidei in re aut in voto.

2. Natura rerum non requirit ultra fidem Dei remuneratoris seu auctoris gratiæ et gloriæ : hoc enim fundamento posito, nihil obstat quominus homo possit tendere ad Deum uti finem supernaturalem.

Aliunde repugnare videtur Christum, qui merito nova officia imponit his, qui fidem audierunt, cæteris qui non audierunt, viam salutis minus obviam reddidisse.

Alii vero affirmant, inter quos S. Thomas, S. Bonaventura, Sanchez, Henno, Simonet, Collet, Muzarelli, Billuart. affirmans hanc sententiam esse communiorem; S. Ligorius, qui eamdem habet ut communiorem et probabiliorem, Benedict. XIV, qui eamdem ut communiorem et tutiorem propugnat.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim « vitam æternam esse, ut *cognoscatur Deus*, et *Jesus Christus;* neminem redire ad Patrem *nisi per Christum;* in *nomine Christi* oportere nos salvos fieri; nos justificari *per fidem Jesu Christi.* » Joan. 17, v. 3; 14, v. 6; Act. 4, v. 12. Unde sic : in illis textibus vel fides in Christum in eodem ordine ponitur ac fides in Deum, quæ, ut vidimus, n. 10, necesssaria est necessitate medii; vel fides mediationis, aut invocatio nominis Christi exhibetur ut omnino necessaria, vel fides Christi ut medium justificationis commendatur : porro hujusmodi fides de Christo est explicita, atque omnino necessaria; ergo, etc.

2° *Traditione.* « Sicut veritas loquitur, nemo liberatur a damnatione, quæ facta est per Adam, *nisi per fidem Jesu Christi.* » S. August. *de Corrept. et Gratia*, c. 7. — « Tunc sufficiebat nosse Deum unum solum; nunc autem non ita est : sed *necessaria est ad salutem Christi cognitio;* » S. Chrysost. *Homil.* 37 *in Matth.*

Conc. Trid., describens dispositiones ad justificationem, exordium sumit a fide, qua creditur « vera esse, quæ divinitus revelata et promissa sunt; atque illud in primis, *a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu;* » sess. 6, c. 6; ergo in primis ad justificationem necessaria est fides redemptionis in Christo Jesu; ac proinde Conc. Trid., quamvis nihil definierit circa præsentem quæstionem, tamen magis favet huic ultimæ opinioni.

3° *Ration. Theol.* 1. Ideo docent communiter Theologi fidem implicitam Incarnationis fuisse sufficientem ante adventum Christi, quia congruebat umbris et figuris, nec poterat vulgus habere fidem explicitam : atqui fides explicita congruit novæ legi, siquidem « Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti *nunc revelatum*

est sanctis Apostolis ejus et Prophetis in Spiritu; » Eph. 3. v. 5; Coloss. 1, v, 26. Aliunde fides hujusmodi non est vulgo hominum inaccessa, cum præcipui articuli solemniter prædicentur in Ecclesia. Ergo fides implicita nunc foret insufficiens; nec ideo difficilior salus dici poterit quia, si plura exiguntur, præsto sunt multo uberiora auxilia sive interna, sive externa.

2. Ea fides nunc necessaria est necessitate medii, quam expostulare videtur tum natura gratiæ, quæ confertur in nova lege, tum gloria ipsius Christi : atqui ita est fides, de qua agitur; nam datur gratia ut sequamur Christum, multumque augetur gloria Christi, qui illam gratiam meritus est, si fides in eum explicita requiratur; ergo fides explicita Incarnationis nunc necessaria est necessitate medii.

Idem prorsus, juxta eosdem auctores, dicendum est de mysterio SS. Trinitatis. Etenim 1. mysterium SS. Trinitatis est objectum primarium Religionis christianæ, et fons aliorum mysteriorum, cujus ideo notitia requiritur ad completam cognitionem finis nostri, visionis beatificæ. 2. Notitia ejusdem mysterii requiritur, ut distinctius cognoscatur Incarnatio et Redemptio, quamvis, ut observat de Lugo, n. 101, mysterium Incarnationis absolute cognosci possit sine notitia tertiæ personæ, id est, sine cognitione Spiritus Sancti.

16. — Hinc 1. opinioni, quæ tenet fidem explicitam Incarnationis et SS. Trinitatis, necessariam esse necessitate medii, in praxi omnino standum est, juxta omnes.

Nam, ex dictis in Tract. *de Act. hum.*, n. 133, in his, quæ saluti necessaria sunt necessitate medii, *semper tutior* pars sequenda est; nec unquam licet sequi partem minus tutam, etiamsi foret probabilior.

17. — 2. Qui caret illa fide, quamtumvis appareat recte dispositus, et promittat se effecturum, ut doceatur, non potest absolvi nisi in casu necessitatis et tantum sub conditione, ut dictum est in Tract. *de Pœnit.*, n. 191.

18. — Hinc 3. iteranda est absolutio eorum, qui, dum fuerunt absoluti, illa mysteria ignorabant, etiamsi eorum ignorantia fuerit inculpabilis. Tunc enim illa absolutio fuit saltem dubie valida. Vide Tract. *de Pœnit.*, n. 238.

Attamen, si qui sint ita destituti memoria, ut hæc retinere nequeant, non ideo judicandi sunt absolutionis incapaces; nihil enim probat necessarium esse necessitate medii hæc memoriter teneri; sed sufficere videtur ut intelligant enuntiata, et actum fidei producant, dum eis proponuntur.

19. — Hinc 4. judicandum est, quam graviter delinquant Parochi et hi omnes, quibus incumbit cura animarum, item parentes erga filios suos, domini erga servos, si non satis curent hos omnes circa illa mysteria sufficienter edoceri.

Revera consolationem non admittunt parentes, si unus ex liberis forte sine Baptismo decedat; Pastores quoque intimo doloris sensu percelluntur, et merito, cum e parochianis aliquis exit non percepto Pœnitentiæ sacramento : et nullam gerunt conscientiam, quod plurimi e subditis sine SS. Trinitatis et Incarnationis notitia moriantur, quorum tamen certior est damnatio, quam eorum, qui necdum sacramentaliter reconciliati, fato funguntur, In his namque Sacramenti votum supplet Sacerdotis ministerium; in illis vero nihil supplere potest præfatorum mysteriorum notitiam, posito quod sit necessaria.

Quare S. Paulus testatur se minus sollicitum fuisse baptizare, quam prædicare : « non enim, inquit, misit me Christus *baptizare*, sed *evangelizare*. » Quid vero prædicaret? « Non judicavi me scire aliquid inter vos *nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum*. » I Cor. 1, v. 17; 2, v. 2.

Plane igitur longe utilius instituerentur coram plebe instructiones catechisticæ, quam aliæ in quibus subtilizantur loca Scripturæ sacræ, aut evolvuntur considerationes abstractæ, ex philosophia plus minusve sana depromptæ, aut saturantur auditores vanis sterilibusque declarationibus

circa præcepta Juris naturalis potius quam divini, et haud raro conviciis acerbisque objurgationibus.

Nec unquam ac nostro tempore magis necessaria fuit assidua mysteriorum fidei prædicatio, cum multi non ita rudes illorum fide explicita careant, imo identidem inter eos, qui Sacramenta frequentant; sed etiam « nunc talis sit cursus temporis et rerum, ut humani generis societas ad instituta ethnicorum, ignominioso regressu inclinare videatur. » Leo XIII, 4 jul. 1880.

Hinc demum optandum esset, ut orationes matutinæ aut vespertinæ, quæ in variis Catechismis inseruntur, continerent actum fidei ita explicitæ, ut in eo clare enuntiarentur articuli, quorum fides necessaria est ad salutem. Vide Tract. *de Oblig.*, n. 83.

§ II

De actu interno Fidei necessario necessitate præcepti.

Tria hic inquirenda sunt, scilicet, 1° utrum fides cadat sub speciali præcepto; 2° quorumnam articulorum fides explicita cadat sub præcepto; 3° quandonam urgeat præceptum eliciendi actus fidei.

NUMERUS PRIMUS

Utrum Fides cadat sub speciali præcepto.

20. — Illud necessarium est necessitate *præcepti*, sine quo inculpabiliter omisso salus obtineri potest; secus vero, si culpabiliter omittatur. Patet autem ea, quæ necessaria sunt necessitate *medii*, esse quoque necessaria necessitate præcepti; quia lex naturalis et divina prohibent ea negligere, sine quibus finem nostrum consequi non possumus.

Sed quæstio est an, seclusa illa necessitate medii, adsit speciale præceptum eliciendi actus fidei internos. Unde

PROPOSITIO

21. — *Gravi præcepto obligantur fideles ad actum internum fidei eliciendum.* Certum est.

Prob. 1° *Scrip.* « Prædicate Evangelium *omni* creaturæ; qui *crediderit* et baptizatus fuerit, *salvus erit* : qui vero *non*

crediderit, condemnabitur. » Marc. 16, v. 15, 16 : porro nemo damnatur, nisi grave præceptum infregerit; ergo pro omni adulto adest grave præceptum eliciendi actus fidei internos.

2° — *Traditione.* — « *Cave ne ob inscitiam pereas,* » ait S. Cyrill. Hieros., loquens de fide Symboli. — « *Ignorantes eum* qui ex Virgine est, *privantur munere ejus,* quod est vita æterna, » inquit S. Irenæus. *Contra Hæres.*, lib. 3, c. 21.

Idem evincitur ex ista propositione ab Innoc. XI damnata : « *Fides* non censetur cadere *sub speciali præcepto* et *secundum se.* » Sed etiam idem infertur ex ista propositione damnata ab Alex. VII : « Homo nullo unquam tempore *tenetur elicere actum fidei,* spei et charitatis, *ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.* »

3° *Ratione.* Fides præsupponitur ad alium quemlibet actum supernaturalem, juxta illud : « *Justus ex fide vivit,* » id est, elicit actus suos ex fide præconcepta : porro adest præceptum eliciendi actus supernaturales, v. g., spei, charitatis, ex infra dicendis; ergo et eliciendi actus fidei.

Et vero fieri nequit, quod homo non teneatur fovere principium vitæ supernaturalis, illudque lumen magis ac magis accendere, sine quo vita divina in mente penitus extinguitur. Propterea Ecclesia iterum atque iterum in suis Officiis et præsertim in Breviario, Symboli recitationem præscribit.

NUMERUS II

Quorumnam articulorum Fides explicita cadat sub speciali præcepto.

PROPOSITIO

22. — *Ad salutem necessaria est necessitate præcepti* 1. *fides eorum omnium, quæ necessaria sunt necessitate medii;* 2. *fides eorum, quæ in Symbolo Apostolorum continentur;* 3. *fides Sacramentorum, quæ necessaria sunt necessitate medii, aut quæ aliquando recipienda sunt;* 4. *fides præceptorum Decalogi, et Ecclesiæ;* 5. *fides Orationis Dominicæ.* Certum est.

Et quidem 1° *fides eorum, quorum fides explicita necessaria est necessitate medii*, ex dictis, n. 20.

2° *Fides eorum, quæ in Symbolo Apostolorum continentur.* Etenim Christus dixit Apostolis : « Euntes, docete omnes gentes... *servare omnia quæcunque mandavi vobis;* » Matth. 28, v. 19, 20; ergo, sicut pro Apostolis adest præceptum prædicandi totum Evangelium, adest et pro audientibus correlativum præceptum credendi totum Evangelium, et ideo Symbolum Apostolorum, quod est, ut ait S. August., « regula fidei nostræ brevis et grandis : brevis numero verborum, grandis pondere sententiarum. »

Et vero, omnes fideles tenentur esse vere Christiani : atqui, ut sint vere Christiani, debent saltem præcipua fidei christianæ capita possidere. quæ in Symbolo continentur.

Præterea, jam ab ipso Ecclesiæ exordio, Catechumeni ad Baptismum non admittebantur, nisi prius recitarent et intelligerent Symbolum; item denegantur Sacramenta fidelibus, qui Symbolum nesciunt, donec sciant : porro ex hoc perpetuo Ecclesiæ usu, evidenter concludendum est fideles teneri credere ea omnia, quæ in Symbolo Apostolorum continentur.

3° *Fides Sacramentorum, quæ necessaria sunt necessitate medii, vel quæ aliquando recipienda sunt.* Namque præceptum recurrendi ad certa quædam Sacramenta, supponit præviam eorum notitiam et fidem; siquidem Sacramenta non possunt utiliter ab adultis recipi, nisi eorum naturam, vim, effectus, dispositiones prærequisitas cognoscant et credant : atqui exstat præceptum Christi universale recipiendi Baptismum, Pœnitentiam et Eucharistiam; ergo horum Sacramentorum fides et notitia omnibus, qui ejus sunt capaces, est præscripta. Specialiter vero quoad Eucharistiam, tenentur omnes scire et credere Jesum Christum esse ibi vere, substantialiter et realiter præsentem sub speciebus panis et vini, non solum ut recipiant, sed etiam ut adorent; imo probabilius videtur debere eos nosse in Missa Christum offerri Deo in sacrificium, ut nempe debito modo implcant præceptum audiendi Missam.

Cæterorum vero Sacramentorum cognitio non est absolute

necessaria fidelibus, nisi quando aliquod eorum volunt aut debent suscipere, v. g., Confirmationem, Matrimonium, Extremam Unctionem; tum enim tenentur ea addiscere, quæ pertinent ad dignam Sacramentorum illorum susceptionem.

4° *Fides præceptorum Decalogi et Ecclesiæ.* Namque ad id sciendum et credendum obligatur homo, quod jure naturali vel divino observare tenetur : atqui jure naturali et divino adstringitur quilibet ad observanda Decalogi et Ecclesiæ præcepta; ergo hæc omnis homo tenetur scire atque credere.

Scire autem et credere debent fideles illa præcepta, ita ut *intelligant ea, quæ ab eis præcipiuntur aut prohibentur;* v. g., homicidium, furtum, etc., esse peccatum mortale ex genere suo; quamvis necesse non sit eos nosse plures casus particulares et rariores, qui ex Decalogo deducuntur; in iis enim sufficit ut, si aliquando dubitent, consulant peritos.

5° *Fides Orationis Dominicæ.* Etenim, juxta omnes Theologos, necessum est ut fideles sciant et credant esse orandum Deum, ab eoque petenda omnia corporis et animæ bona : atqui Oratio Dominica docet esse orandum Deum, ab eoque petenda omnia bona sive corporis, sive animæ; ergo illam Orationem scire quoad substantiam, ejusque vim et necessitatem credere tenentur fideles, n. 87.

Salutatio autem Angelica, non ex obligatione, sed ex decentia scienda est atque recitanda, propter receptissimam et constantem Ecclesiæ consuetudinem.

23. — *Quæritur* an omnes præfata scire memoriter teneantur?

Resp. 1. Sufficit quod fideles illa sciant et credant quoad *substantiam*, id est, ea quæ *simpliciter et aperte significantur vocibus Symboli.* Sic., v. g., substantia mysterii SS. Trinitatis est quod unus sit Deus et tres Personæ, scilicet Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, qui tamen non sunt tres dii, sed unus Deus; satis enim est si vulgus sic generatim sciat mysterium SS. Trinitatis, neque requiritur ut directe

noverit quid sit natura, quid persona. Fideles etiam omnes non tenentur scire ordinem, modum, et circumstantias mysteriorum, v. g., quod Christus Dominus crucifixus sit tali ætate, vel sub Pontio Pilato.

2. Pastoribus autem, qui mysteria fidei populis explicare tenentur ex officio, necessaria est major eorumdem cognitio, ut suo munere digne fungi queant. Itaque Pastores et omnes alii, quibus animarum cura commissa est, tenentur sub peccato mortali, subditos suos in addiscendis his omnibus prædictis, juvare, et docere eos quæ scire explicite tenentur, ut patet ex Concilio Tridentino. Insuper ordinarie absolvi non possunt illi, qui hæc ignorant, donec ea didicerint, saltem si jam moniti ea addiscere neglexerunt, ut dictum est in Tract. *de Pœnit.*, n. 192, 193.

24. — Hinc obligatio fidei dogmata et morum regulas explicite credendi non *eamdem extensionem habet in omnibus hominibus.*

Pastores enim et Doctores tenentur Scripturam et Traditionem scrutari, ut singula fidei dogmata discernant, atque potentes sint alios verbis fidei enutrire, oves in pascua deducere, et eos qui contradicunt arguere.

Fidelibus autem sufficit audire, et scire, et explicite credere præcipua dogmatis catholici capita, principia et conclusiones proximas ethicæ christianæ, uti in præfatis probatum est. Attamen, quia *justus ex fide vivit*, et quisque eo magis Deum diligit et in virtute proficit, quo magis Deum et Christum cognoscit, et legem Dei scrutatur, omnes Christiani conari debent, ut in scientia Dei quotidie crescant.

NUMERUS III

De tempore quo urget præceptum eliciendi internos actus Fidei.

Duplici modo obligare potest illud præceptum, *per se*, vel *per accidens* seu ratione alterius præcepti. Unde

25. — *Quæritur* 1° quandonam illud præceptum obliget *per se*?

Resp. 1. Præceptum fidei *per se* obligat plus quam semel in vita, ex omnium consensu; et constat etiam ex istis propositionibus ab Innoc. XI damnatis : « Sufficit ista mysteria *semel* credidisse *in vita*. — *Satis* est actum fidei *semel in vita* elicuisse. »

2. *Præceptum credendi non solum ea, quæ sunt necessaria necessitate medii, sed etiam prædicta mysteria, directe et per se obligat statim atque ea sufficienter proposita sunt, et cognoscitur eorum credendorum obligatio.* Id enim commune est legibus, quæ nullum habent præfixum tempus, ut obligent cum primum moraliter possunt commode observari, quod ideo tempus judicio viri prudentis æstimandum.

3. *Probabiliter etiam existimant non pauci Theologi præceptum fidei per se obligare in articulo mortis,* cum mortem instare probabiliter existimamus; tunc enim temporis maxime necessarii sunt actus fidei. Quapropter sollicite curare debent Pastores, ut ægroti frequenter actus fidei eliciant.

4. *Præceptum fidei adhuc per se obligare videtur aliquoties in vitæ decursu, ita ut fideles longiori tempore non abstineant ab exercitio actuum fidei, quamvis præfixum tempus vix queat assignari.* Unde monendi sunt a pastoribus fideles ut, attente Symbolum recitando, orando, catechismum audiendo, ad aliquod sacramentum se disponendo, de Dei bonitate, aliisque perfectionibus cogitando, aliaque hujusmodi exercendo, fidei actus eliciant; qui enim ita se gerunt, tam anxii esse non debent an præceptum fidei adimpleant.

26. — *Quæritur* 2° quandonam præceptum eliciendi actus internos fidei obliget *per accidens?*

Resp. Toties obligat, quoties tenentur fideles rem aliquam facere, quæ sine actu fidei non potest. Sic v. g., quando tentatio contra fidem, vel alia, non videtur aliter posse superari; quando quis tenetur exterius profiteri fidem, sive ex jure naturali, sive ex jure ecclesiastico : externa enim professio fidei, si fiat humano modo, non potest, aut saltem non debet esse sine actu interno fidei; item cum tenentur orare, sacramentum aliquod suscipere,

actum contritionis aut charitatis exercere : tunc enim, ratione horum omnium, tenentur fideles per accidens actus fidei elicere; ita tamen, ut illorum omissio non sit peccatum speciale contra præceptum credendi, sed tantum unum et idem peccatum cum peccato omissionis rei præceptæ, ad quam prærequirebantur.

Neque vero necesse est ut tunc eliciantur *formales* actus fidei, sed sufficiunt *virtuales*, quatenus nempe includuntur virtualiter in actu alicujus virtutis, v. g., contritionis aut charitatis, formaliter elicito.

§ III

De præcepto Fidem exterius confitendi.

Præceptum confitendi fidem, ex omnium Catholicorum sententia, est virtualiter duplex : affirmativum scilicet, quatenus præcipit aliquando confiteri fidem : negativum vero, quatenus semper et pro omni tempore prohibet fidem denegare.

PROPOSITIO PRIMA

27. — *Graviter obligatur fidelis ad confitendam, seu exterius ostendendam fidem suam.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* — *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris... salvus eris; corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem;* Rom. X, v. 9, 10. Quæ verba manifeste indicant confessionem fidei esse aliquando necessariam ad salutem, id est sub gravi præceptam.

Christus dixit : *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo : qui autem erubuerit me et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet;* Matth. 10, v. 32; Luc. 9, v. 26. Porro ille erubescere Christum convincitur, qui Christo, quamvis sese frequens præbeat occasio, nunquam honorem debitum reddit, illum exterius confitendo.

2° *Traditione.* « A præsenti seculo maligno salvi fieri non possumus, nisi et nos, ad salutem proximorum nitentes, etiam *ore profiteamur fidem*, quam corde gestamus; »

S. August., lib. *de Fide*, et Serm. *de Apost. Paulo :* « Quid prodest, inquit, corde credidisse ad justitiam, *si os devitat proferre* quod corde conceptum est? »

3° *Ratione* Divinæ veracitati debitus honor, et gratitudo pro innumeris Dei erga nos beneficiis, et cultus publici lex, et ecclesiasticæ communionis participatio, et charitas erga proximum zelusque religionis propagandæ, non solum postulant ut, sicut Deus revelavit, ita sentiamus et credamus, sed etiam ut ita loquamur et profiteamur.

Attamen, quia Catholici, religionis suæ actus exterius exercendo, fidem suam sufficienter profitentur, ideo Theologi communiter cum S. Thoma tria tantum tempora assignant, in quibus præceptum divinum profitendi fidem extraordinarie obligat, scilicet, 1. quando fideles publice interrogantur circa fidem; vel etiam aliquando cum interrogantur privatim; 2. quando confessionem exigit justum superioris præceptum; 3. quando illam requirit proximi aut sui ipsius propria necessitas. Videlicet,

28. — Regula generalis est : De fide *interrogatus tenetur exterius fidem profiteri, quoties ejus silentium aut tergiversatio æquivalent negationi vel erubescentiæ fidei.*

Regula est evidens. Difficultas solum est in determinando casus, in quibus silentium negationi aut erubescentiæ æquivalet. Porro admittitur communiter silentium aut responsionem æquivocam æquivalere saltem erubescentiæ, 1° quando auctoritas publica publice, imo, juxta alios, etiam privatim, de fide interrogat. Hinc ab Innocentio XI damnata est hæc propositio : « Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum, consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno. » Et certe tunc non fieri potest illa omissio confessionis fidei 1. sine gravi læsione honoris Dei et Religionis christianæ; 2. sine gravi scandalo proximi; 3. sine periculo deficiendi a fide, vel certe ostendendi inconstantiam in illa.

2° Quando, licet interrogatio fiat a privata persona, ex silentio læderetur honor Dei et religionis, sequeretur scan-

dalum probabile, aut periculum ne ipse a fide deficeret, qui omitteret confessionem. Sed sæpe nulla erit obligatio confitendi, quia silentium potuerit ut signum contemptæ interrogationis haberi.

29. — *Extra casum interrogationis*, datur obligatio fidem exterius profitendi, 1. quando illud exigit justum præceptum superioris, ut sæpius fit in collatione Ordinum, Beneficiorum aut Officiorum quorumdam; 2. quando confessio fidei necessaria est ad fideles confirmandos in fide, vel ad convertendos infideles; 3. quando illa confessio est requisita ad seipsum in fide confirmandum solemni et publica protestatione.

PROPOSITIO II

30. — *Fidelibus semper prohibitum est Fidem exterius negare.* Certum est.

Prob. 1° *ex verbis Christi*, Matth. 10, v. 33 : *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.*

2° *Ex doctrina Ecclesiæ et SS. PP.*, qui semper gravissimum peccatum reputaverunt, si quis quorumcunque tormentorum metu, fidem exterius negaret, eam in corde retinendo; quod ex S. Petri exemplo confirmatur; quia enim Christum negaverat, amare flevit. Unde, juxta S. Augustinum, non solum abnegat Christum, qui dicit non esse Christum, sed etiam qui cum sit, negat se esse Christianum; Dominus enim non ait Petro : *Discipulum meum te esse negabis;* sed : *Me negabis.* Hinc etiam idem S. Doctor, Tract. 76 in Joan., sic inducit Christum loquentem : « Timendo mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ *tuæ*. Quanta enim vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum. »

Et certe postulat divina veracitas ut, non solum non interius, sed nec exterius unquam dissentiamus. Ideoque exterior fidei negatio est semper mendacium contumeliosum Ecclesiæ ac Religioni christianæ, proindeque grave peccatum, quod nullo in casu licitum esse potest.

31. — *Quæritur* 1° quotuplici modo fieri possit exterior fidei negatio?

Resp. Tribus modis sicuti et confessio, nempe : *verbis, factis* et *rebus.*

Et 1. quidem *verbis, si quis neget aliquam veritatem fidei,* v. g., Verbum esse Deum : aut si quis neget fidei certitudinem, vel dubitationem significet circa aliquam fidei veritatem. Item, si serio et non per jocum, quamvis solo ore et non animo, neget se esse Christianum, vel, quod nunc idem est in multis religionibus, se esse Papistam ; aut contra, si affirmaret se Turcam esse, vel Lutheranum, etc.; non negaret tamen fidem, qui se Clericum esse aut Sacerdotem, aut Missam celebrasse diffiteretur, quia hæc non significant fidem, sed solum officium aliquod vel statum in Religione christiana, sine quo fides haberi potest.

2. *Factis* seu *actionibus negatur fides, quoties exercentur actiones quæ, vel ex natura sua, vel ex hominum institutione. ordinantur duntaxat ad significandum cultum religiosum :* v. g., si quis coram idolo thus adoleat, genu flectat, pectus tundat, etc., aut Cœnam Calvinisticam sumat cum Hæreticis, aut circumcidatur cum Judæis. Cooperaretur autem hæresi catholicus, qui ministrum hæreticum advocaret, ut acatholico moribundo illum petenti assisteret. In hoc casu *passive* se habeat catholicus; confirmatur decis. Congr. S. Officii, feria IV, 15 mart. 1848.

Non idem tamen dicendum est de quibusdam actionibus, quæ, etsi aliquando ex circumstantiis ordinentur ad usum Religionis, tamen *per se primario, et tam ex natura sua quam ex usu hominum, ordinantur etiam ad alium finem;* per illas enim actiones, *absolute loquendo*, non negatur fides, v. g., si quis ingrediatur, curiositatis causa, templum hæreticorum, ibique concionem audiat, vel observet quid ibi fiat; illud enim, quamvis sit aliquando illicitum ob periculum seductionis aut scandali, per se non est contra fidem. Item vesci idolothytis, vel carnibus vetitis, nisi vel imperentur in protestationem falsæ sectæ, et in odium fidei; vel hæc fiant in circumstantiis, in quibus nihil aliud possent significare. Sic Eleazarus, II Machab. 6, v. 21, 24,

mori maluit, quam fingere se carnes porcinas comedisse.

3. Denique *rebus, ac præsertim vestibus negatur fides,* si quis induatur vestibus aut aliis signis utatur institutis *duntaxat* ad significandam fidei negationem, vel professionem falsæ sectæ, v. g., si quis serio induat vestes sacerdotales hæreticorum in eorum templis.

32. — *Quæritur* 2° utrum aliquando liceat fidem occultare?

Resp. Duplici modo potest fides occultari, nempe *negative,* vel *positive : negative,* omittendo omnes actiones quibus manifestari posset fides agentis; *positive,* faciendo quosdam actus ex quibus possunt testes induci in errorem vel in dubium circa fidem operantis.

Porro 1. *licet occultare fidem* negative, *quando ex ejus publica confessione reformidatur aliquod malum grave, præsertim si illud malum per bonum ex confessione nasciturum non compensetur.*

Nam in illo casu occultatio nec est *in se,* nec *videri* potest erubescentia fidei; et malum grave potest excusare a præcepto affirmativo fidem confitendi, sicut excusat ab aliis præceptis affirmativis, ut alibi dictum est. Datur tamen casus, in quo confessio exigitur etiam cum periculo mortis, propter accidentalem necessitatem, vel maximam utilitatem proximi, juxta legem charitatis, de qua infra.

Hinc excusantur sæpe in regione vel familia infideli aut hæretica degentes, qui non possent veram fidem quam interius tenent, exterius profiteri, absque periculo vitæ vel gravissimo incommodo; tunc enim possunt ad *tempus* exteriorem fidei confessionem differre. Vid. Bened. XIV, *de Syn. Diœc.,* l. 13, c. 20, referentem decretum S. Sedis, circa agendi rationem tenendam apud Turcas ab apostatis, qui ad veram fidem revertuntur.

Hinc possunt viatores catholici, in regione hæretica, ad grave malum declinandum, carnes comedere prohibitas, 1. quia in illo casu illos non obligat lex ecclesiastica; 2. quia comestiò carnis prohibitæ non est secundum se nota vel professio falsæ fidei; 3. quia voluntarium quod

inde sumere aliqui possunt, scandalum non tenentur præcavere, cum tanto sui detrimento. Ita communius; quæ sententia hodie eo facilius admittitur, quo frequentius Catholici ipsi cibis vetitis utantur.

Hinc possunt Catholici tempore persecutionis sese occulture, et per fugam saluti suæ consulere. Sed

2. *Aliquando licet etiam* positive *occultare fidem, quædam faciendo quæ nec ex natura sua, nec ex constanti usu signa sunt falsæ vel nullius religionis, quamvis prævideatur plures in errorem circa fidem agentis esse inducendos, modo tamen intendatur mera fidei occultatio.* Ita communiter.

Etenim positiva confessio fidei non semper obligat : error ille provenit ex imprudentia errantium, siquidem actiones sunt saltem ambiguæ, et æquivocæ; denique potest esse causa sufficiens hujus erroris occasionem ponendi. *Restrictionis* autem ratio evidens est, et colligitur ex dictis in Tract. *de Act. hum.*, n. 70.

Cæterum fatendum est plures esse casus, in quibus a fidelibus declinari non potest fidei confessio et ipsum martyrium. Unde omnes frequenter meditari oportet Christi monitum : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Matth. 10, v. 29.

§ IV

De vitiis et peccatis contra Fidem, et de eorum causis.

NUMERUS PRIMUS

De vitiis et peccatis contra Fidem.

Vitia et peccata contra fidem sunt infidelitas, hæresis et apostasia.

33. — 1° *Infidelitas* generatim sumpta est *carentia fidei* in homine *non baptizato*. Triplex distinguitur, scilicet, *negativa, privativa* et *positiva*.

Infidelitas negativa seu materialis est carentia fidei in eo, qui nunquam de vera religione quidquam audivit.

Privativa infidelitas est carentia fidei in eo, qui notitiam fidei, data occasione, comparare neglexit, —

Positiva seu *formalis* infidelitas est carentia fidei in eo, cui sufficienter proposita est, et eam positive respuit.

Præcipuæ infidelitatis species ex parte rei, cui assentit infidelis, sunt *Paganismus, Judaismus, Mahumetismus,* quibus adjungi possunt Deismus, Atheismus, Pantheismus, Rationalismus, qui nostris temporibus late propagantur.

Jamvero infidelitas negativa non est per se peccatum, sed pœna peccati, ut constat 1. *Ex verbis Christi,* qui de Judæorum incredulitate loquens, dicit Joan. 15, v. 22 : *Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent;* 2. *ex damnatione* propositionis Baianæ : « Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est; » 3. *ex ratione,* nam ignorantia vere invincibilis et involuntaria tum in se, tum in sua causa, excusat a peccato, ut fuse alibi probatum est.

Positiva autem et *privativa* infidelitas grave est peccatum, juxta illud : *Qui non crediderit condemnabitur;* Marc. 16, v. 16. Revera est vel culpabilis omissio rei omnino ad salutem necessariæ, vel etiam reluctantia contra lumen divinum, in quo certe adest gravis injuria et contemptus divinæ veritatis et auctoritatis. Vide Tract. *de Gratia,* n. 294.

34. — Hinc ritus infidelium a Principibus christianis nunquam approbari aut foveri possunt; eos tamen tolerare licet, si nempe per eorum prohibitionem majora mala inducerentur, aut majora bona impedirentur. Facilius tolerantur Judæi, quia ex ipsorum conservatione magnum bonum Ecclesiæ provenit, nempe fidei nostræ testimonium.

35. — 2° *Hæresis* est *negatio pertinax alicujus dogmatis catholici ab eo, qui Baptismo initiatus fuit.* Vide Tract. *de Fide,* n. 55, 56.

Porro, ex dictis in eodem Tractatu, n. 128, qui ita pertinax est, fidem omnino amittit, ac proinde hæresis est gravissimum peccatum. Unde Apostolus ait : « *Hæreticum* hominem, post unam aut secundum correptionem *devita,* sciens quia *subversus est,* qui ejusmodi est, et *delinquit,* cum sit *proprio judicio condemnatus;* » Tit. 3, v. 10, 11.

Idem autem dicendum est de dubio proprie dicto et voluntario circa res fidei in fideli. Nam fidelis *dubius in fide est hæreticus*, juxta omnes Theologos, et Conc. Later. V, quo damnantur tanquam hæretici sive qui asserunt, sive qui *dubitant* animam hominis esse mortalem. Ratio est, quia sic dubitans, positive judicat veritatem a Deo revelatam non esse certam, vel Ecclesiam in proponendis articulis fidei non esse infallibilem.

At cum dubio proprie dicto quod est hæsitatio voluntaria et suspensio deliberata judicii, non sunt confundendæ *quædam mentis perturbationes* circa fidem universam, vel circa quosdam fidei articulos, quæ perturbationes magis in imaginatione resident quam in voluntate; et hoc maxime attendendum in scrupulosis, a quibus ordinarie spernenda sunt hujusmodi dubia, quique, si vincere velint, non debent disserere cum tentatione, sed mentem alio divertere, alteriusque virtutis varios elicere actus, nempe Contritionis, Spei, Charitatis. Attamen fatendum est non raro hodie a Christianis peccata formalia contra fidem voluntaria dubitatione committi, propter disseminatos ubique errores, et crassam plurimorum ignorantiam.

Hæretici, utpote baptizati, sunt de foro Ecclesiæ, et ideo contra eos pœnas decernere potuit Ecclesia. Revera pœnæ Jure canonico hæreticis irrogatæ plures sunt; scilicet, *excommunicatio major*, ipso facto lata, vide Tract. *de Censuris*, n. 40; *irregularitas; infamia juris*, si hæresis sit notoria; *privatio beneficiorum, dignitatum*, spiritualis *jurisdictionis*, saltem post denuntiationem; *privatio sepulturæ* ecclesiasticæ, c. 2, *de Hæreticis*, in 6; vide *Institut. canon.* Tract. 2, n. 77. Ut autem quis subjaceat pœnis ecclesiasticis contra hæreticos latis, requiritur, 1. ut sit baptizatus; 2. ut hæresis sit interna, et etiam exterius manifestetur signo aliquo, et quidem *ex hæreseos affectu* procedente : necesse tamen non est ut palam et coram adstantibus declaretur : quæ conditiones ex dictis in Tract. *de Censuris*. n. 11, 14, 15, colliguntur.

36. — 3° *Apostasia*, græce *post stare*, est *totalis defectio*

seu *recessus a fide christiana per Baptismum recepta*[1] Est igitur hæresis totalis, ac proinde peccatum ejusdem naturæ, cui censura affligitur. Vide Tract. *de Censuris*, n. 40.

NUMERUS II

De causis peccatorum contra Fidem.

37. — *Quæritur* 1° quænam sint causæ peccatorum contra fidem?

Causæ hujusmodi sunt aliæ intrinsecæ et universales, aliæ extrinsecæ et accidentales.

1° Causæ *intrinsecæ* et *universales* in ipsa natura fidei christianæ, ejus scilicet dogmatum et præceptorum, et in vitiosa hominum indole inveniuntur. Nam 1. fides in captivitatem redigit omnem intellectum, cujus captum superat, cujusque præjudiciis et opinionibus sæpius contradicit, et certis perceptionibus non raro contradicere videtur : unde *curiositatem*, *superbiam*, ipsamque *rationem* aliquo modo offendit. 2. Fidei dogmata, et quæ ex ipsis derivantur vel sanciuntur præcepta et officia, non parum humanam libertatem restringunt, cupiditates coercent, metum incutiunt, et jugum aggravant, quod dirumpere et projicere naturaliter homo desiderat. Hinc contra fidem christianam repugnantia a diebus Christi usque nunc, et radix illa incredulitatis in omnibus existens. « *Durus est hic sermo*, inquiunt multi, et *quis potest eum audire?* » Joan. 6, v. 61. Ideo Christus positus est in signum *cui contradicetur*. Luc. 2, v. 34.

2° Causæ *extrinsecæ et accidentales* peccatorum contra

1. Juxta quosdam auctores, apostasia duo supponit, nempe, recessum a fide christiana per Baptismum recepta, et accessum ad aliquam falsam religionem, v. g., ad paganismum, aut mahumetismum, aut judaismum, aut spiritismum; ita Pignatelli, P. Perrone, *de Virt. Fidei*, n. 524, 550. Ex communi autem sententia ad apostasiam sufficit a fide christiana recessus ex parte illorum, qui Baptismum susceperunt. « Ad crimen apostasiæ non requiritur ad aliam religionem transitus, sed satis est christianam deseruisse, » ait Card. Soglia; tom. 2, § 229. Unde, in hac sententia, apostatæ sunt atque incurrunt censuram apostasiæ affixam, qui nostris temporibus se dicunt *Liberos cogitatores*, v. g., athei, positivistæ, deistæ, rationalistæ. Isti enim nullam equidem religionem profitentur, sed fidem christianam ab eis per Baptismum susceptam prorsus deseruerunt.

fidem, duæ sunt præcipuæ : *commercium* cum incredulis aut hæreticis; et *lectio* librorum pravorum, qui fidem, vel bonos mores impugnant. Etenim, *Corrumpunt bonos mores colloquia mala;* et alibi : *Sermo eorum ut cancer serpit, errantes et in errorem mittentes.* II Cor. 15, v. 33; II Tim. 2, v. 17; 3, v. 13. Hinc sedulo vitanda sunt commercia cum hæreticis; connubia cum ipsis non facile ineunda; collocutiones circa res fidei declinandæ; eorum ritibus, orationibus, etiam ex mera curiositate, non assistendum. Societates occultæ, præsertim *massonicæ*, a SS. Pontificibus reprobatæ, sunt fugiendæ; vide Tract. *de Censuris*, n. 55.

Sed quædam speciatim dicenda de *disputationibus* cum hæreticis aut incrudelis, et de librorum pravorum *lectione, retentione, impressione, defensione.*

38. — *Quæritur* 2° an licita sit privata disputatio de rebus fidei cum hæreticis?

Resp. 1. Jure *naturali* prohibita est cuilibet indocto, quia, cum non possit fidem recte tueri, nec objectiones solide diluere, talis disputatio in ipsiusmet, et in Religionis detrimentum vergeret.

2. Jure *positivo* prohibita est omnibus laicis, cap. 2, *de Hæret.* in Sexto, quia ordinarie laici non sunt ad hoc sufficienter edocti. Excipitur tamen casus necessitatis aut magnæ utilitatis, puta cum refellendus est hæreticus, qui cum injuria fidei ejusque periculo loquitur; vel cum versantur laici in iis regionibus, ubi hæretici grassantur. Hinc hodie lex illa positiva non urgetur.

3. Doctioribus Clericis disputare cum hæreticis licitum esse, servatis servandis, extra dubium est. « Cum hæreticis, inquit S. Augustinus, *Epist.* 93, verbis etiam agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum. » Dico, *servatis servandis*, ubi scilicet majoris boni spes affulget, abest vero periculum ex parte auditorum : cum enim res fidei sint obscuræ et supra rationem, sæpe timendi locus est, ne simplices et imperiti objectionum plus quam solutionum vi movcantur. Solemniores autem disputationes regulariter instituere non licet Clericis sine licentia Epis-

copi, qui plures debet antea conditiones et cautiones exigere, quæ raro adhiberi possunt.

39. — *Quæritur* 3° an licita sit hæreticorum lectio librorum?

Resp. 1. *Jure naturali* prohibita est iis, quibus est periculosa, quales sunt imperiti, atque etiam iis fere omnibus, inquit Sylvius, qui duobus aut tribus tantum annis Theologiæ studuerint. Ut enim ait Scriptura, Eccli. 3, v. 27: *Qui amat periculum, in illo peribit.* Cujus periculi rationes jam supra allatæ sunt, et ab omnibus fere recentioris ævi SS. Pontificibus et Episcopis denuntiatæ fuerunt, ut magis ab hujusmodi libris omnes amoverentur et plurimorum præsumptioni mederetur.

2. Jure positivo, ex Bulla *Apostolicæ Sedis*, 12 oct. 1869, sub excommunicationis pœnæ latæ sententiæ speciali modo S. Pontifici reservatæ, prohibetur lectio, retentio, impressio, defensio librorum ab hæreticis conscriptorum, positis quibusdam conditionibus, de quibus dictum est in Tract. *de Censuris*, n. 41. Præterea prohibentur libri, qui proscripti sunt vel per Judicem, vel per Litteras Apostolicas, vel ex mandato Episcopi. Vide Institut. canon., Tract. 3, n. 67, 68.

Cæterum non temere petenda est licentia legendi libros prohibitos, nec facilius ea uti convenit; per eam enim non cessat naturalis obligatio, quæ ex periculo perversionis oritur. Cavendum itaque ne ex levitate, curiositate et quadam jactantia et præsumptione vel vano alio prætextu, præter necessitatem aut maximam utilitatem, lectio illorum librorum a junioribus præsertim usurpetur, etiam cum licentia.

Hinc Bibliopolis, non licet libros prohibitos emere et vendere : per hoc enim moraliter disseminarent errores; licet autem eos emendo decepti sint, non ideo ipsis licitum est revendere, sicut illi qui falsam accepit monetam, non licet eam alteri tradere pro mercibus.

Quod diximus de libris hæreticis, cum proportione dicendum est de libris amatoriis, vel aliunde periculosis quales sunt multi libri romanenses, biaria et alia id genus scripta

periodica, quibus tota Christi Religio concutitur, quorumque lectione plurimi in dies ad Deismum vel etiam Atheismum misere deflectunt. Vide infra, n. 221.

Hæc itaque omnia a quocunque fidele sedulo caveantur pericula, et simul frequenter a Deo petat sibi fidem augeri.

ARTICULUS II

De Spe.

Dicemus 1° de spei notione, 2° subjecto, 3° necessitate, 4° de vitiis sive peccatis spei oppositis.

§ II

De Spei notione.

40. — *Quæritur* quid sit spes in genere, et quatenus virtus?

Resp. Spes, generatim sumpta, est *motus voluntatis in bonum futurum, arduum, sed adeptu saltem probabile. Bonum* quidem; secus, esset vel quid indifferens, et ideo non moveret voluntatem; vel quid malum, et tunc voluntatem averteret; *futurum*, nam circa præsens est possessio et gaudium; *arduum*, quod enim est statim in notra potestate, concupiscimus non speramus; tandem *saltem adeptu probabile*, alioquid esset desiderium aut desperatio, non spes.

Prout autem hic sumitur, spes definiri solet : *virtus supernaturalis et theologica, disponens voluntatem ad expectandam cum certa fiducia beatitudinem æternam et ad eam media, propter ipsius sperantis commodum, posita Dei semper fidelis promissione.*

41. — Dicitur 1° : *virtus* seu qualitas ladabilis, ex se stabilis et permanens; in hoc convenit spes cum virtute qualibet, atque discernitur ab actu spei, qui est modus ex se transitorius, et ipsius virtutis exercitium.

42. — Dicitur 2° : *supernaturalis*, ratione objecti, principii et motivi. Et quidem objecti et motivi, ut statim dicemus. Principii etiam seu gratiæ internæ, qua in voluntate

infunditur, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 316, 317, 318. In hoc spes convenit cum aliis virtutibus supernaturalibus, atque differt a virtutibus tum naturalibus, tum acquisitis, et ideo a spe quadam erga Deum ut auctorem naturæ et ex viribus naturalibus efformata.

43. — Dicitur 3° : *et theologica*, seu habens ipsum Deum ut objectum *primarium*, atque innixa in aliquo Dei attributo ut in motivo, ex statim dicendis : exinde spes discrepat a virtutibus supernaturalibus moralibus.

44 — Dicitur 4° : *disponens voluntatem;* quibus duo notantur, videlicet, 1. illius virtutis subjectum esse voluntatem, et ideo sub hoc respectu discrepare a virtute fidei, quæ intellectum primario informat; 2. spem necessario fidem præsupponere, cum voluntas supernaturaliter disponi non possit, quin prius eodem modo disponatur intellectus. Revera expectatio beatitudinis æternæ præsupponit fidem, qua cognoscitur hæc beatitudo, et ejus a Deo promissio.

45. — Dicitur 5° : ad *exspectandam;* in hoc consistit essentia dispositionis, de qua agitur; atque exinde spes differt tum a fide, quæ per intellectum *assentit* seu adhæret veritati revelatæ, tum a charitate, quæ *diligit*.

46. — Dicitur 6° : *cum certa fiducia;* quo significatur intensitas in illa exspectatione omnino requisita; scilicet, si spes sumatur ex parte omnipotentiæ et fidelitatis Dei beatitudinem æternam et ad eam media promittentis, habet omnimodam certitudinem, cum Dei fidelitas et omnipotentia sint ex se finitæ. Si vero spectetur ex parte sperantis, qui ex fragilitate potest deesse illis mediis, spes non habet certitudinem, sed inde potius est causa timendi, non tamen diffidendi aut desperandi.

Itaque certitudo spei in homine viatore non est absoluta, sed conditionata; sicque intelligitur quomodo hæc duo stent simul, sperare cum certa fiducia salutem, attenta nempe fidelitate Dei in promissis, et salutem cum timore et tremore operari, attenta nimirum fragilitate nostra.

47. — Dicitur: 7° *beatitudinem æternam;* in his designatur objectum *materiale primarium* spei, ex quo fit virtus theologica. Illa enim beatitudo est id quod principaliter, primo, per se et ratione sui speratur; cætera autem ratione illius.

In illa autem beatitudine duo sunt, objectum et actus, seu beatitudo *objectiva*, quæ est Deus ipse, *et formalis*, quæ est actus quo videtur et possidetur Deus.

Juxta quosdam, inter quos Durandus, Paludanus, Billuart, *de Spe*, art. 2. § 1, objectum materiale spei est beatitudo objectiva, 1. quia hujusmodi beatitudo est sola quid pure divinum et increatum, sicut requiritur ad objectum virtutis Theologicæ; 2. quia, si ipse actus possessionis Dei esset spei objectum, eo ipso sperans poneret finem ultimum in aliquo actu creato, quod repugnat.

Alii vero communius, inter quos Suarez, *de Spe*, disput. 1, sect. 1, sentiunt objectum spei esse formalem beatitudinem seu actum quo videtur et possidetur Deus. Nam. 1, per spem non appetimus Deum in seipso, sed ipsam Dei possessionem, et in hoc spes discrepat a charitate, quæ apprehendit Deum in seipso; 2. Deus quatenus nos beatificans per suiipsius possessionem est objectum vere divinum, et ideo sufficiens ad virtutem theologicam.

48. — Dicitur 8° : *et ad eam media;* id est, bona supernaturalia ad salutem necessaria aut utilia, bona etiam naturalia et temporalia quatenus ad salutem ordinantur, ipsa beatitudo proximi, quam, propter charitatis vinculum, optare possumus tanquam bonum nostrum; quibus significatur materiale objectum spei *secundarium*, quod nempe speratur ratione primarii, sicque ad hoc primarium *reductive* pertinet.

49. — Dicitur 9° : *propter ipsius sperantis commodum, posita Dei semper fidelis promissione;* quibus indicatur tum motivum spei, nempe sperantis commodum, et ejus discrimen a charitate ratione motivi; tum ejusdem motivi conditio sine qua non, scilicet, certa Dei promissio, Deique omnimoda fidelitas in suis promissis. At de utroque exstat

controversia quam fusius perpendere necesse est. Scilicet, inter auctores, alii motivum spei reponunt in omnipotentia Dei præbente aut offerente auxilia ad æternam beatitudinem consequendam; ita Billuart, *de Spe*, art. 2, § 2, et Thomistæ non pauci. Vide S. Th. Quæst. 1 *de Spe*.

Alii vero dicunt illud motivum sistere in omnipotentia Dei auxiliatrice, et etiam in Dei bonitate relativa seu capacitate nos beandi, quæ nos movet et allicit ad Dei desiderium; ita Habert, Collet, Dens.

Alii putant hujusmodi motivum esse simul in divina promissione et fidelitate Dei in promissis; ita S. Ligor. lib. 2, n. 21, Scavini.

Alii tandem docent adæquatum et totale motivum spei reponendum esse in ipsa bonitate Dei relativa, adeo ut motus spei determinetur intuitu proprii commodi, ex ipsa Dei possessione consequentis; cætera vero, nempe, Dei omnipotentiam auxiliatricem, promissionem beatitudinis æternæ et auxilii sufficientis, fidelitatem Dei in promissis, esse tantum spei *conditionem sine qua non*, sicut dictum est de revelatione quoad motivum fidei, in Tract. *de Fide*, n. 90. Ita Suarez, *de Spe*, disput. 1, sect. 3, n. 4. Idem propugnare videtur S. Th. 2. 2, q. 17, a. 4, 6, 8.

Hæc sententia nobis videtur probabilior et vera. Namque, ex una parte, spes est in se proprie motus quidam amoris; et altera vero, omnis amoris motivum est bonum amatum vel propter se, vel propter amantis commodum : atqui Deus supernaturaliter diligitur propter se per amorem charitatis; ergo per spem diligitur propter sperantis commodum; et propterea spes ab omnibus dicitur amor *concupiscentiæ*.

At vero, spes hujusmodi nec esse, nec concipi potest, nisi præsuppositis sive omnipotentia Dei, ex qua constat Deum *posse* nobis largiri beatitudinem æternam, et ad eam auxilia sufficientia; sive Dei promissione de hoc auxilio et illa beatitudine tribuendis; atque Dei fidelitate in promissis, ex quibus constat Deum revera *velle* nobis largiri æternam beatitudinem et ad eam sufficiens auxilium.

Nec dicatur 1. per motivum proprii commodi Deum

referri ad nos, non vero nos ad Deum; 2. commodum sperantis esse quid creatum, et ideo non sufficere ad virtutem Theologicam, cujus motivum est quid vere divinum et increatum.

Nam. 1., qui sperat Dei possessionem in proprium commodum, eo ipso Deum anteponit cuilibet creaturæ, in Deum finaliter quiescit, ac proinde sese refert ad Deum, non autem Deum ad se refert; 2. motivum spei est bonitas increata quatenus nobis applicata atque nos beatificans, seu quatenus bonum increatum nostrum : ergo illa bonitas est vere quid increatum et divinum, atque ideo sufficit ad motivum virtutis Theologicæ. Vide Suarez, *de Spe*, disput. 1, sect. 3, n. 6.

Unde actus spei supernaturalis sic enuntiari potest : « Spero, Domine, secundum tuam promissionem, tui possessionem seu paradisum in altera vita, et, ad eum merendum, auxilium tuum in vita præsenti, quia ille paradisus est mea suprema beatitudo. »

§ II

De Spei subjecto.

50. — *Quæritur* quodnam sit spei subjectum?

Resp. 1. Spes non remanet in Beatis, nec in damnatis, bene tamen in animabus in Purgatorio.

Non in *Beatis*, quia jam possident æternam beatitudinem : quod autem possidetur, non speratur : « Spes quæ videtur, *non est spes;* nam quod videt quis, *quid sperat?* » Rom. 8, v. 24.

Nec in *damnatis*. Spes enim præsupponit promissionem Dei : atqui Deus nihil damnatis promisit, sed e contra declaravit, quod in æternum beatitudine carerent æternoque cruciarentur supplicio; ergo nulla spes theologica esse potest in damnatis.

Respectu autem animarum in Purgatorio, beatitudo est adhuc absens, ardua et per graves pœnas assequenda, sicque objectum spei. Nec refert quod sint certæ de sua beatitudine; certitudo enim rationem spei non evacuat,

2. Spes theologica non est in homine *viatore*, qui *fide destituitur*.

Ille enim, sperare nequit beatitudinem æternam et ad eam media, qui non credit illam beatitudinem revera existere. Propterea dicitur : « *Fides* est *sperandarum substantia* rerum, *argumentum* non *apparentium :* » Hebr. 11, v. 1. Unde sicut fides hæretici est mere humana, ut dictum est in Tract. *de Fide*, n. 128, ita et ejus spes est mere humana et falsa, non vero theologica et supernaturalis.

3. Spes remanet in omnibus fidelibus viatoribus, etiam *peccatoribus*, qui non desperant, nec præsumunt.

Nam, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 275, spes theologica requiritur in peccatoribus, qui se ad justificationem disponunt; ergo spes esse potest sine charitate seu in ipsis peccatoribus. Revera fides in peccatoribus esse potest, ex dictis in Tract. *de Fide*, n. 127 : atqui, posita fide de promissione Dei circa beatitudinem æternam et ad eam media, et de fidelitate Dei, jam nihil obstat quin anima in spem erigatur; nisi tamen adsint desperatio et præsumptio, quæ spei contrariantur, ex infra dicendis.

§ III

De Spei necessitate.

55. — Actus spei necessarius est necessitate *medii* ad justificationem consequendam, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 275.

Negarunt autem *præceptum speciale* actus spei eliciendi Quietistæ, qui sentiebant animam, etiam in hac vita, posse ad actum charitatis continuum pervenire : unde concludebant in tali statu animam non teneri ad alios actus eliciendos ab actibus charitatis distinctos. Vide Tract. *de Gratia*, n. 154. Itaque

PROPOSITIO

54. — *Gravi præcepto obligantur omnes fideles ad actum internum spei eliciendum*. Certum est.

Constat 1° *Script.* Innumeri sunt textus, quibus commen

datur spes hujusmodi : « Sacrificate sacrificium justitiæ, *et sperate in Domino... Spera in Domino*, et fac bonitatem. *Sperate in eo omnis congregatio populi.* » Ps. 1, 36, 91. — « *Ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus;* » Rom. 15, v. 4. — « *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem;* » Hebr. 18, v. 23, et alibi passim. Unde sic : profecto omitti non potest absque peccato actus, qui in omnibus fere paginis Scripturæ sacræ nobis commendatur : atqui talis est spes; ergo.

2° *Traditione.* « De fide quam multa mandata sunt, quam *multa de spe!* » S. August. *in Joan.* Tract. 83. — Ex Conc. Trid., sess. 6, c. 26, ipsi justi debent exspectare et sperare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, et Jesu Christi meritum; ergo, etc. Idem infertur tum ex condemnatione Quietistarum, tum ex propositione ab Alex. VII damnata : « Homo *nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actus* fidei, *spei*, charitatis ex *vi præceptorum* divinorum ad eas virtutes pertinentium. »

3° *Ratione.* Homo quidem semper tendere debet ad actus charitatis eliciendos utpote perfectiores; et revera sæpe sæpius hujusmodi actus potest elicere. At, in statu præsenti, adeo debilis et infirma est natura humana, ut, teste cujusque conscientia et omnium Sanctorum experientia, ex una parte, in actus charitatis continuo stare non possit; ex altera autem, motivo beatitudinis æternæ aut timoris inferni sæpe indigeant plerique ad vitandum malum et eliciendum bonum supernaturale; ergo adest speciale præceptum interdum actus spei eliciendi.

Revera 1. spes sperantem reddit in bonis operibus intentum, I Joan. 3. v. 3; 2. firmat in adversis, et mentem inter innumeras vitæ hujus varietates Deo arctis nexibus conjungit, Hebr. 11, v. 10-14; 3. timorem mundanum fugat; 4. demum Dei timorem inspirat. et fovet; timor enim, ait S. Thom., ex amore nascitur, quando quidem illud timet homo amittere quod amat.

Attamen non repugnat justum speciali gratia donatum perseverare, non quidem in actu continuo, sed in *habitu* vi cujus omnes actus spei, quos interdum elicit, ex motivo

amoris Dei, propter quem seipsum suamque felicitatem diligit, eliciat.

55. — *Quæritur* quandonam obliget præceptum actus spei eliciendi?

Resp. Directe et per se obligat 1. puerum, qui rationis usum attigit, statim, *moraliter* loquendo, post sufficientem beatitudinis propositionem, ita ut non diu post differatur. 2. Obligat in articulo mortis; etiam aliquoties in vitæ decursu, juxta supradicta de actu fidei, n. 25 : eamdem enim est ratio; siquidem homo tendere debet ad Deum tanquam ad finem ultimum : atqui non videtur quomodo sufficienter tenderet ad Deum, si nunquam, aut rarissime, per actus spei beatitudinem supernaturalem appeteret; ergo, etc.

Indirecte et *per accidens* sæpissime obligamur ad eliciendum actum spei, non quidem ratione præcepti spei, sed ratione vincendæ gravis tentationis, ratione orationis aut contritionis eliciendæ. In his tamen occasionibus, non est semper necesse actum spei formaliter elicere; satis est si eliciatur actus, in quo spes virtualiter includitur, v. g., efficax oratio, dolor de peccatis.

§ IV

De vitiis contra Spem.

Duo præcipue vitia spei opponuntur, desperatio et præsumptio.

NUMERUS PRIMUS

De Desperatione.

56. — *Quæritur* quid sit *desperatio*, et quotuplex?

Resp. Desperatio est *motus voluntatis, quo quis amovetur a desiderando et prosequendo bono supernaturali, quia illud habet vel ut non concupiscibile, vel ut nimis arduum, vel ut impossibile.*

Desperatio, sicut spes ipsa, in voluntate residet; nihilominus illam semper præcedit judicium quoddam intellectus vel hæreticum, vel falsum et temerarium, quod est ejus causa.

Duplex itaque distinguitur desperatio, scilicet *hæretica* et *temeraria : hæretica* fundatur in hæretico intellectus judicio, quo desperans judicat beatitudinis assecutionem sibi esse impossibilem, et omnem suum conatum ad hoc fore inutilem. Desperatio solum *temeraria* fundatur in judicio intellectus temerario duntaxat et imprudenti, quo desperans judicat se de facto non salvandum, vel in gratia non perseveraturum, vel beatitudinis assecutionem sibi nimis difficilem futuram.

PROPOSITIO

57. — *Desperatio est peccatum de toto genere suo mortale, et quidem periculosissimum.* Certum est.

Prob. 1ª *pars :* quia in illo peccato, quando est *consummatum*, adest aversio a Deo directe voluntaria, quæ, juxta omnes, est culpabilior aversione a Deo, quam continent peccata contra virtutes morales. Hinc peccatum desperationis nunquam est veniale ex levitate materiæ, quamvis sæpe veniale fieri possit *ob defectum pleni* consensus. Nam in turbulentis desperationis tentationibus, sæpe nullus aut imperfectus tantum adest consensus, quamvis pœnitentes timoratæ conscientiæ illud peccatum confiteantur. Quem defectum consensus percipiet Confessarius vel ipse pœnitens, examinando si ex illo affectu consueta pietatis officia, præsertim cum præceptum urgeret, intermissa fuerint vel non. Inde satis tutum consensus præstiti vel denegati indicium colligitur.

Prob. 2ª *pars.* Per desperationem enim habitus spei amittitur, et ipse habitus fidei, si desperatio sit hæretica ; mens a spiritualibus ad terrena convertitur, omittitur oratio... quot autem inde mala? Defectum vel infirmitatem spei circa bona ad vitæ humanæ sustentationem necessaria, in innumera delicta trahere homines manifestum est.

Egregie autem explicat S. Thomas luxuriam et acediam *esse causas* ordinarias desperationis : *luxuriam* quidem, quia per illud vitium homo creaturæ adhæret et fastidit spiritualia; *acediam* vero, quia non vult sibi vim facere. Hinc remedia tanti mali intelliguntur.

NUMERUS II

De Præsumptione.

58. — *Quæritur* quid sit præsumptio, et quotuplex?

Resp. 1. Præsumptio, prout hic sumitur, definitur a S. Thoma : *temeraria exspectatio beatitudinis, mediorumque ad illam;* nempe, sperando aliquid quod non debet sperari, vel propriis viribus nimium fidendo, vel inordinate divina misericordia et potentia innitendo. Hinc.

2. Triplex distinguitur præsumptio, scilicet, *temeraria, pelagiana, calviniana.*

Præsumptio *temeraria*, est exspectatio alicujus *quod non debet sperari*, v. g., cum quis tantam gratiam aut gloriam sperat, quantam habuerunt B. Virgo et Apostoli; vel quando, in peccati consuetudine perseverando, sperat se gratiam pœnitentiæ in fine vitæ obtenturum, certo sibi promittens quod valde incertum est.

Præsumptio *pelagiana* est cum quis *ex propriis viribus, vel ab aliqua creatura ut causa principali*, non a Deo, sperat bona supernaturalia vel beatitudinem.

Præsumptio *calviniana* dicitur, cum quis *ex sola Dei misericordia et meritis Christi*, sine propria sua pœnitentia, sperat remissionem peccatorum, vel gloriam sine meritis.

Præsumptio pelagiana et calviniana, cum adjunctum habeant judicium hæreticum, habitum fidei sicut et spei excludunt. Præsumptio temeraria, licet non habeat ordinarie adjunctam hæresim, est tamen ex natura sua peccatum et quidem periculosissimum, præsertim quando ex ea sumitur occasio multiplicandi peccata et in illis perseverandi. Vide S. Th., 2. 2, q. 17 et 130. Itaque

PROPOSITIO

59. — *Præsumptio cujusque speciei, est peccatum ex genere suo mortale.* Certum est.

Illud enim peccatum est ex *genere suo* mortale, quod opponitur virtuti theologicæ, gravem Deo infert injuriam et magnum homini detrimentum : atqui præsumptio, innitendo vel nimium propriis viribus, vel inordinate mise-

ricordiæ divinæ, 1. opponitur spei theologicæ, efficiendo ut non exspectentur bona spiritualia, modo quo exspectari debent; 2. gravem facit Deo injuriam, exspectando quæ minime promisit, aut abutendo donis Dei, ut liberius peccet; 3. magnum affert detrimentum homini, quem impedit ne perveniat ad possessionem bonorum, quæ inordinate exspectat. Attamen in illo potest esse levitas materiæ, ut patet.

Causæ autem præsumptionis sunt superbia, vana gloria, et pigritia, quod facile potest demonstrari. Remedia itaque sunt virtutes his vitiis oppositæ et præsertim assidua meditatio judiciorum Dei, cujus bonitas et severitas pariter sunt attendendæ, ut nec quisquam præsumat, nec ullus desperet.

ARTICULUS III

De Caritate.

Dicemus de caritatis notione, de ejusdem præcepto, de vitiis caritati oppositis.

§ I

De Caritatis notione.

60. — *Quæritur* quid sit *caritas?*

Resp. Caritas in genere est amor rei, quæ magni æstimatur. Videlicet, *amor* est propensio ad bonum ab intellectu voluntati propositum, ut ipsi conveniens et coaptatum. Si amor sit cum electione unius boni præ alio, dicitur *dilectio*, quasi delectio; si sit alicujus boni, quod ratione sui magni æstimatur, dicitur *caritas*, quasi nimis carum; si sit cum redamatione, dicitur *amicitia*. S. Th. 2. 2. q. 33, a. 1. b) Prout autem hic sumitur, caritas definiri solet : *virtus supernaturalis et theologica, disponens voluntatem ad diligendum Deum propter seipsum, et proximum propter Deum.*

Dicitur 1° : *virtus supernaturalis et theologica, disponens voluntatem;* in his caritas cum spe convenit, et ideo illa verba jam explicata sunt, n. 41, 42, 43, 44.

Dicitur 2° : *ad diligendum;* in hoc proprie consistit voluntatis dispositio, de qua agitur: atque discrepat a dispo-

sitione sive fidei, qua assentitur alicui veritati revelatæ, sive spei, qua movetur in aliquod bonum absens : dum per dilectionem simpliciter voluntas amplectitur aliquod bonum ut præsens. Nec datur hujusmodi notionem clarius evolvere, cum sit primordialis.

Dicitur 3° : *Deum*, qui est objectum *primarium* dilectionis, de qua hic movetur quæstio; et exinde virtus caritatis fit theologica.

Dicitur 4° : *propter seipsum* id est, *propter Dei perfectionem supernaturaliter nobis revelatam;* quibus assignatur caritatis motivum seu objectum formale, et ejus discrimen ab amore spei. Scilicet, ex triplici amore voluntas ad Deum sese movere potest, nimirum, concupiscentiæ, benevolentiæ, caritatis seu amicitiæ.

Per amorem *concupiscentiæ* seu spei in ordine supernaturali, Deus diligitur, eo quod sit *pro nobis* summa beatitudo in vita æterna, ab ipso Deo nobis promissa, posita ex parte nostra finali perseverantia in vita gratiæ.

Per amorem *benevolentiæ* Deus diligitur, quia est in se perfectus, bonus, infinite amabilis, qualis nobis exhibetur per *rationis* lumen; et in hoc adest amor purus in ordine mere *naturali.*

Per amorem *caritatis*, Deus diligitur propter suam perfectionem, bonitatem et amabilitatem, qualis nobis supernaturaliter revelata est, id est, uti adeo perfectus, bonus et amabilis, ut velit *suam propriam perfectionem, bonitatem ac vitam nobis communicare*, ad seipsum per vitam gratiæ et gloriæ nos elevare, *sibi pares* seu *amicos* nos facere. Propterea *caritas amicitia quædam est hominis ad Deum*, ait S. Th. 2-2, q. 23, a. 1; q. 27, a, 2. Amicitia enim importat redamationem : atqui, posito ex parte nostra caritatis actu, Deus ita nos redamat, ut statim seipsum nobis dat per vitam gratiæ et finaliter gloriæ, juxta illud : *Si quis diligit me... Pater meus diliget eum* et *ad eum veniemus*, et *mansionem apud eum faciemus*. Joan. 14, v. 23.

Unde ipsum divinæ vitæ consortium non est illius dilectionis motivum quatenus bonum *pro nobis*, sed ex talis consortii consideratione dignoscitur in Deo specialis per-

fectio, bonitas et amabilitas, cujus *intuitus* proprie ac præponderanter determinat motum voluntatis in Deum uti in se hoc modo superexcellenti perfectum, bonum et amabilem.

Omnis igitur divina perfectio seu quodlibet Dei attributum per fidei lumen apprehensum, potest esse caritatis motivum. Nam Dei perfectio, haud secus ac ejus essentia, est omnino simplex; et ideo omnis partialis conspectus illius infinitæ perfectionis, seu quodlibet Dei attributum in se apprehensum per lumen fidei, et qua tale movens voluntatem ad Deum, est motivum amoris puri in ordine supernaturali gratiæ et gloriæ seu caritatis. Vide Tract. *de Pœnitent.*, n. 138; *de Gratia*, n. 188, 189, 284, 304, 310; *de Act. hum.*, n. 84, 85.

Dicitur 3° : *et proximum propter Deum;* in his designatur objectum caritatis *secundarium*, quod cadit sub eodem motivo. Lex enim amicitiæ postulat, ut non tantum diligamus amicum, sed et propter ipsum etiam omnes, qui ad illum specialiter pertinent. Unde ratio formalis seu motivum diligendi proximum Deus est; siquidem hoc debemus in proximo diligere, ut in Deo sit, ut illi tanquam fini ultimo inhæreat, indeque Deus ametur, laudetur et glorificetur propter ejus infinitam bonitatem et amicitiam erga homines.

Proinde amare proximum ex alio motivo, puta propter beneficia accepta, propter egregias ejus qualitates, quatenus sunt ipsius perfectiones, non est amor caritatis, quia sic non amatur formaliter ratione bonitatis divinæ; sed est amor naturalis.

Nomine autem *proximi* intelliguntur omnes et solæ creaturæ rationales, quæ ad beatitudinem seu amicitiam divinam vocantur et pervenire possunt, id est, Angeli, Beati, animæ in Purgatorio existentes, omnes homines viatores : non vero damnati, nec creaturæ irrationales. Nos ipsi quoad animam et corpus sumus objectum secundarium caritatis, quia sub utroque respectu ad supernam amicitiam destinamur, et per animam et corpus Dei gloriam procurare possumus.

66. — Hinc caritas est omnium virtutum *excellentissima*. Etenim excellentia alicujus virtutis ex ejus objecto desumitur, cum ex objecto specificetur virtus : porro virtutes Theologicæ pro objecto habent ipsum Deum supernaturaliter cognitum; morales autem virtutes habent pro objecto aliquod bonum creatum, ex dictis in Tract. *de Virtut.*, n. 5; ergo virtutes Theologicæ sunt moralibus excellentiores.

Inter autem Theologicas longe excellit caritas tum in se, tum in effectibus. Namque 1. in Deo non est fides, nec spes, sed caritas : *Deus* enim *caritas est;* I Joan. 4, v. 16; ergo caritas est participatio ipsius vitæ Dei, et ideo inter omnes voluntatis propensiones, propius ad motum et perfectionem Dei accedit.

Revera fides et spes attingunt Deum secundum quod ex ipso nobis provenit vel cognitio veri, vel adeptio boni; caritas vero attingit Deum prout est in se, et ut in se ipso sistit; ergo perfectior est motus caritatis, quam motus fidei et spei.

2. Fides et spes per se non sufficiunt ad justificationem et salutem consequendam : dum caritas saltem habitualis necessaria est et sufficit, ut justificetur homo et salutem consequatur; unde dicitur : *Qui non diligit, manet in morte;* I Joan. 3, v. 14. — « Si non habuero caritatem, *nihil sum;* » I Cor. 13. v. 2; vide Tract. *de Pœnit*, n. 177, 178.

3. Tandem fides et spes per visionem beatificam evacuabuntur; caritas autem manet in æternum, cum sit ipsamet vita gratiæ et gloriæ : « *Caritas nunquam excidit :* sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Nunc manent fides, spes, caritas, tria hæc : *major* autem horum est *caritas.* » I Cor. 13, v. 8, 13.

§ II

De Caritatis necessitate.

67. — In Tract. *de Gratia*, n. 275, 285, 307, et *de Pœnit.*, n. 177, 178, probatum manet caritatem saltem habitualem esse necessariam necessitate medii. Hic agitur inquirendum est an adsit speciale præceptum actus caritatis eliciendi. Itaque

PROPOSITIO

68. — *Grave et speciale exstat præceptum actus caritatis erga Deum eliciendi.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* « *Diliges Dominum Deum tuum* ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et *primum mandatum;* » Matth. 22, v. 37, 38. In his evidenter actus amoris erga Deum præcipitur, et quidem gravius, quam alius quilibet cæterarum virtutum.

2° *Traditione.* « Quid tibi sum ipse, ut *amari te jubeas a me;* et nisi faciam *irascaris* mihi, et *mineris ingentes miserias?* parvane ipsa res est, si non amem te? » S. August. *Confess.* lib. 1, c. 5. Idem deducitur ex hac duplici propositione, quarum prior ab Alex. VIII, posterior vero ab Innoc. XI fuit damnata : « *Sufficit,* ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative : hinc homo *non tenetur amare* neque *in principio,* neque *in decursu vitæ suæ* mortalis. » — « *Tunc solum obligat caritatis præceptum,* quando *tenemur justificari,* et non habemus aliam viam, qua possimus justificari. »

3° *Ratione Theol.* Homo tenetur elicere actus, quibus finem suum intendat : atqui actus, quo in via vere et proprie finem supernaturalem intendit, est actus caritatis, qua sola Deo ut fini ultimo unitur homo, et ad quam unionem per caritatem cætera omnia ordinantur, juxta illud : *Finis præcepti est caritas,* I Tim. 1, v. 5; ergo tenetur homo elicere in vita præsenti actus caritatis.

69. — Hinc actus caritatis erga Deum debet esse *super omnia,* id est, *apprehative summus,* ita ut Deum diligamus plus quam omne aliud amabile, nec mors, nec vita, nec creatura alia possit nos separare a charitate Dei.

Etenim dicitur : « Qui amat patrem aut matrem *plus quam me,* non est me dignus; » Matth. 10, v. 37. — « Diliges Dominum Deum tuum ex *toto corde,* ex *tota mente,* ex *tota anima,* ex *totis viribus;* » Deuter. 6, v. 5. Ergo præcipitur nobis ut tota nostra *intentio* feratur in Deum, quod est ex *toto corde;* et quod *intellectus* noster subdatur Deo,

quod est ex *tota mente;* et quod *appetitus* noster reguletur secundum Deum, quod est ex tota *anima;* et quod *exterior actus* noster obediat Deo, quod est ex tota *fortitudine*, aut *virtute*, aut *viribus*, Deum diligere. » S. Th. 2. 2, q. 44, a. 5.

Revera Deus est infinite perfectus, bonus, amabilis et amicus : atqui ut talis diligitur per caritatem; ergo actus caritatis, ut vere existat atque Deo conjungat, debet Deum cæteris entibus anteponere, sicque esse super omnia, id est, appretiative summus.

Non requiritur autem quod sit *intensive* summus. Intensio enim est quidem caritatis perfectio, sed solum accidentalis; cum tota sit in quadam vehementia et in conatu affectus. Atque ex hoc exsurgit *zelus*, seu vehemens ille motus, quo homo pro viribus suis repellit quidquid repugnat bono Dei, et amplectitur quidquid ad illud ducit : « Zelo domus Dei comeditur, qui omnia, quæ ibi perversa videt, satagit emendare; et si emendare non potest, tolerat et gemit; » S. August., *in Joan.* Tract. 10. — Bossuet, *Médit. sur l'Evang.*, journ. 42-51.

70. — *Quæritur* 1° quænam sint *signa* caritatis Dei in anima immanentis?

Resp. Tria sunt præcipua, ex S. Laurentio Justiniano, scilicet, *libenter de Deo cogitare :* qui enim aliquem diligit, illius frequenter reminiscitur; *libenter pro Deo dare :* amor enim nescit esse vacuus, sed est in communicatione bonorum; *libenter pro Deo pati :* « *Fortis* est enim *ut mors dilectio; aquæ multæ* non potuerunt *exstinguere* caritatem. » Cant. 8, v. 6, 7.

71. — *Quæritur* 2° *quandonam* obliget præceptum eliciendi actus caritatis erga Deum?

Resp. Præceptum illud obligat per se, vel per accidens.

Per se obligat 1. *plus quam semel in vita;* unde damnata est ab Innoc. XI hæc propositio; « An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei *semel tantum in vita* eliceret, *condemnare non audemus*, »

2. *Præceptum illud pluries in vita, præsertim si longa sit, obligat*, ita ut diuturno tempore non omittatur actus amoris : hujus autem temporis major determinatio prudentiæ relinquenda est; juxta supra dicta de actu fidei, n. 25. Hinc ab eodem Pontifice damnata est adhuc hæc propositio, quæ est sexta : « Probabile est *nec singulis* quidem *rigorose quinquenniis per se obligare præceptum caritatis erga Deum.* » S. Ligorio magis arridet sententia eorum, qui actum caritatis *semel in mense* requirunt. Quidquid sit, evidens est, eos, qui tepidam vitam ducunt, peccato omissionis contra caritatem sæpe reos fieri; a fortiori qui diu peccato mortali remanent inquinati.

3. Theologi multi, post S. Thomam, docent *præceptum caritatis obligare statim, moraliter loquendo, post usum rationis, ita ut non multum differatur actus amoris post habitam supernaturalem cognitionem Dei, ut finis ultimi ad quem homines se suasque omnes operationes referre debent, cum proposito ei semper placendi et implendi ejus voluntatem.* Ratio est, quia de ratione viatoris est, ut se ad suum finem convertat, qui Deus est, eum omnibus rebus creatis præferendo, cum alioqui nec justitiam assequi, nec acceptam in baptismo diu retinere possit. Unde saltem monendi sunt parentes, ut ad actus caritatis quantocius pueros exerceant, ut isti sensim in hoc proficientes, valeant præceptum, quando urgebit, adimplere.

4. *Obligat etiam præceptum illud in articulo mortis, ut communiter sentiunt Theologi.*

Per accidens, et ratione alterius, quod facere tenentur, fideles elicere debent actum caritatis; v. g., ratione contritionis perfectæ, quam aliquando præmittere necesse est ad debitam administrationem, vel susceptionem sacramentorum : non est tamen necessarium formaliter elicere actum amoris Dei; sed ipsa sufficit contritio perfecta, in qua virtualiter includitur amor; similiter, actus amoris Dei potest esse aliquando necessarius ad vincendam gravem aliquam tentationem; n. 26.

§ III

De Peccatis contra Caritatem erga Deum.

72. — Præter peccata omissionis, n. 71, duplex est peccatum contra præceptum caritatis : nempe *odium Dei*, et *acedia*.

1. *Odium Dei.* Cum sit summum bonum, non videtur Deus posse in se odio haberi; fieri tamen potest, ut impii eum oderint, quatenus peccata prohibet et peccatores punit. Quocunque autem modo odium habeatur, *est certo odium Dei peccatorum omnium gravissimum et plane diabolicum, ac, nisi desit advertentia, semper mortale.*

2. Acedia est *actus, quo quis deliberate tædium concipit aut tristitiam de divina amicitia, vel de Dei cultu, ita ut amicitiam ejus et obsequium refugiat, eo quod cum molestia, difficultate, et labore conjuncta sint.* Hoc autem peccatum directe opponitur caritati, cujus est gaudere de divino servitio; ideoque ex genere suo est mortale, quamvis veniale fieri possit, vel ob imperfectam deliberationem, vel si tædium sit leve et tale, ut homo non refugiat absolute amicitiam Dei et obsequium ipsi debitum, nec ob id exponatur gravi periculo transgrediendi illud præceptum. Vide Tract. *de Peccatis*, n. 98 et seq.

Insuper, omnia peccata mortalia, quatenus avertunt a fine ultimo, sunt contra caritatem, cui omnino repugnant et quam ideo omnino excludunt. Per caritatem enim homo convertitur ad Deum, ac consequitur finem suum ultimum; dum, e contra, per quodlibet mortale peccatum, homo se avertit a Deo ac amittit ultimum suum finem; *ibid.*, n. 68, 69.

De causis et remediis peccatorum contra caritatem erga Deum, necnon de modo discernendi utrum quis revera Deum non diligat *appretiative summe*, vel odii erga Deum aut acediæ reus sit, plura admodum utilia addi possunt; sed horum plura indicavimus, *ibid.*, n. 101.

ARTICULUS IV

De Religione.

Dicemus 1° de virtutis Religionis notione; 2° de ejusdem præcepto; 3° de vitiis Religioni oppositis.

§ I

De Religionis notione.

73. — *Quæritur* quid sit *Religio?*

Resp. 1. *Religio* dicitur vel a *relegere* seu frequenter in corde revolvere, quæ ad cultum divinum pertinent; vel a *reeligere* seu ex iterata electione ejus, quod negligenter amissum est; vel a *religare* nos uni omnipotenti Deo. S. Th. 2. 2, q. 81, a. 1.

2. Prout hic sumitur, Religio est *virtus supernaturalis et moralis, disponens voluntatem ad colendum Deum tanquam primum rerum omnium principium et finem ultimum.*

Dicitur 1 : *virtus supernaturalis,* et in hoc convenit cum fide, spe et charitate, n. 41, 42.

Dicitur 2 : *moralis,* cujus scilicet primarium objectum non est Deus ipse, sed aliquod bonum creatum. Tract. *de Virtut. in genere,* n. 5.

Dicitur 3 : *Disponens voluntatem ad colendum Deum;* quibus significatur tum facultas, quæ est illius virtutis subjectum, tum ejusdem virtutis immediatum objectum *materiale* seu cultus religiosus, tum hujus cultus terminus seu Deus, qui ita fit illius virtutis mediatum objectum. Cultus autem est complexio omnium actuum internorum aut externorum, quibus homo Deum agnoscit ut primum principium et finem ultimum rerum omnium.

Dicitur 4 : *Tanquam primum principium et ultimum finem omnium rerum;* in his indicatur objectum *formale* seu motivum virtutis religionis, quæ exinde præsertim specificatur.

Itaque virtus religionis non est virtus theologica, sed propius ad virtutes theologicas accedit. Et quidem non est virtus theologica; siquidem ejus objectum materiale immediatum non est ipse Deus, sed Dei cultus; nec ejus objectum formale est aliqua Dei perfectio seu Deus *in seu* sumptus; sed Deus quatenus *respiciens creaturas* uti primum principium et finis ultimus.

Propius autem accedit ad virtutes theologicas, quatenus pro objecto materiali mediato habet ipsum Deum, ac pro

objecto formali etiam Deum uti primum principium et ultimum finem.

74. — *Quæritur* quotuplex distingui possit actus religionis?

Resp. Actus virtutis religionis sunt mere interni, vel etiam externi. *Per se interni* sunt actus devotionis, adorationis, orationis, qui plerumque fiunt etiam externi.

Actus *per se externi* sunt potissimum sacrificium, juramentum, votum, quorumdam dierum sanctificatio.

Insuper, omnes actus aliarum virtutum *imperari* possunt a virtute Religionis, quatenus conferunt ad procurandum Dei cultum. Quare dicitur : « *Religio* munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, *visitare pupillos* et *viduas* in tribulatione eorum, etc.; » Jacob. 1, v. 27. Sic, per fidem, Deus colitur ut summa veritas et omnis veritatis principium; per spem, colitur Deus ut summa fidelitas in promissis et fons omnis fidelitatis; per caritatem, colitur ut summa bonitas et omnis bonitatis fons et origo, et ideo illi actus virtutum etiam theologicarum per Religionem imperari possunt et applicari ad cultum Dei et honorem. In hoc sensu dici potest, quod religionis virtus sit omnium virtutum regina, quæ per affectum eas informat, ac earum meritum auget.

§ II

De Religionis præcepto.

75. — Quæstio est an adsit præceptum speciale producendi actus Religionis sive internos, sive etiam externos, qui nempe talis virtutis sunt proprii. Jam vero 1. devotio in se sumpta non est directe ac proprie ex præcepto, sed potius generalis et apta dispositio ad actus Religionis eliciendos; et ideo, sub hoc respectu sumpta, et duce S. Thoma, de ea aliquid dicemus; 2. de *juramento* et *voto* agitur in secundo Decalogi præcepto; de *sacrificio* et de quorumdam *dierum sanctificatione* in tertio Decalogi præcepto, et in Tract. *de Præceptis Eccl.* Superest igitur ut hic tractemus de devotione, adoratione et oratione.

NUMERUS PRIMUS

De Devotione.

76. — *Quæritur* 1° quid sit *devotio?*

Resp. Devotio, a *devovendo* dicitur, atque definiri potest : *voluntas prompta tradendi se totum ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum seu cultum.* Unde *devoti* dicuntur, qui seipsos quodammodo Deo devovent, ut ei *se totaliter* subdant. Propterea et olim apud Gentiles devoti dicebantur, qui seipsos idolis devovebant in mortem pro sui salute exercitus. Eadem ratione dicitur : « Multitudo filiorum Israel obtulit *mente promptissima atque devota* primitias Deo ; » Exod. 34, v. 21. Porro manifestum est quod ad virtutem Religionis pertinet voluntas prompte faciendi, quod Dei servitium spectat, cum illa voluntas nihil aliud sit quam perfectio exercitii illius virtutis. Attamen hujusmodi actus seu perfectio non est de præcepto, sed de consilio tantum.

77. — *Quæritur* 2° quænam sit devotionis *causa?*

Resp. Duplex est, extrinseca vel intrinseca. *Extrinseca* et principalis causa devotionis Deus est, qui, ut ait S. Ambros. *in Luc.* 9, « quos dignatur, vocat; et quem vult, religiosum facit; et si voluisset, Samaritanos ex indevotis devotos fecisset. »

Intrinseca causa ex parte nostra est *meditatio* seu *contemplatio.* Nam, ex dictis, devotio est quidam actus voluntatis, quo homo prompte se tradit ad cultum divinum : atqui omnis actus voluntatis ex aliqua consideratione procedit : *voluntas ex intelligentia oritur*, ait S. August. *de Trinit.* lib. 14, c. 8 ; ergo necesse est hominem per meditationem concipere, quod se tradere debeat divino obsequio.

Ad hoc autem duplex est consideratio : una quidem ex parte divinæ bonitatis et beneficiorum ipsius, ex qua consideratione excitatur dilectio, quæ est proxima devotionis causa, juxta illud : « *Mihi adhærere Deo bonum est*, et ponere in Domino Deo spem meam; » Ps. 72, v. 28. — *In meditatione mea exardescet ignis;* Ps. 38, v. 4.

Porro ea, quæ sunt divinitatis, sunt secundum se magis excitantia dilectionem et ideo devotionem, quia Deus est super omnia amabilis et diligendus. Attamen, ob debilitatem mentis humanæ, quæ indiget ut ad cognitionem et dilectionem divinorum per sensibilia manu ducatur, frequenter major devotio excitatur ex consideratione passionis Christi, et ex aliis mysteriis humanitatis ipsius, quam ex consideratione divinæ magnitudinis.

Ex illa consideratione bonitatis divinæ sequitur delectatio, juxta illud : *Memor fui Dei et delectatus sum;* Ps. 76, v. 4. Per accidens tamen illa consideratio tristitiam quamdam causat in his, qui nondum plene Deo fruuntur : « Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum : — fuerunt mihi lacrymæ meæ panes. » Ps. 41, v. 3, 4.

Alia vero causa est ex parte hominis considerantis suos defectus, ut recognoscat suam infirmitatem et innitatur divino auxilio atque excludat præsumptionem, per quam aliquis impeditur ne Deo se subjiciat, dum suis viribus innititur. Unde dicit S. August., *de Anima*, c. 50 : « Devotio *pius* est et *humilis* affectus in Deum : *humilis* ex conscientia *infirmitatis propriæ*, *pius* ex consideratione *divinæ clementiæ;* juxta illud : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi;* » Ps. 120. Quæ propriorum defectuum consideratio per se causat tristitiam, et per accidens lætitiam propter spem auxilii. S. Th. 2. 2, q. 82.

NUMERUS II

De Adoratione.

78. — *Quæritur* quid sit adoratio, et quotuplex?

Resp. Adoratio in genere, *est actus quo testificamur alterius excellentiam, et nostram erga illum submissionem.* Unde duo complectitur adoratio : *alienæ* scilicet *excellentiæ* significationem, in quo proprie consistit honor, et *propriæ submissionis* testificationem.

Triplici sensu sumitur nomen adorationis, *latissime*, *late*, et *stricte*.

Adoratio *latissime* sumpta est quæcumque veneratio alteri exhibita in signum ejus excellentiæ, quælibet ea sit. Sic

Abraham, Gen., 23, v. 7, *adoravit filios Heth :* hæc adoratio est mere civilis et politica.

Adoratio *late* sumpta est veneratio alteri exhibita propter supernaturalem ejus excellentiam. Sic *Josue cecidit pronus in terram, et adorans* Angelum ; Josue, 5, v. 15. Hæc adoratio religiosa est, et dividitur 1. in *Latriam*, quæ exhibetur soli Deo ob infinitam ejus excellentiam ; *Duliam*, quæ Sanctis exhibetur propter creatam eorum excellentiam supernaturalem ; et *Hyperduliam*, quæ B. Virgini Mariæ, propter singularem ejus super omnes Sanctos excellentiam, exhibetur. 2. In *absolutam*, quæ rei propter intrinsecam ejus excellentiam exhibetur ; sic Christus adoratur : et *relativam*, qua aliquid adoratur ob excellentiam personæ, ad quam habet habitudinem aliquam aut conjunctionem ; sic adoratur Crux.

Adoratio *stricte* dicta est *cultus latriæ soli Deo debitus, consistens in actu quo et infinitam ejus excellentiam, et supremum ejus in res omnes dominium, et nostram summam erga illum submissionem testificamur*, juxta illud Matth. 4, v. 10 : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Proinde adoratio stricte sumpta est actus vere ac proprie virtutis religionis specificus.

Quibus verbis patet divinum esse præceptum Deum aliquoties adorandi ; est et naturale, quia istud dictat ratio ; quo autem tempore urgeat hac præceptum colligi debet ex dictis de præcepto fidei, spei, et charitatis. S. Th. 2. 2, q. 84.

NUMERUS III

De Oratione.

Dicemus de orationis notione, necessitate, objecto et subjecto.

PUNCTUM PRIMUM

De Orationis notione.

79. — *Quæritur* quid sit oratio, et quotuplex ?

Resp. 1° Oratio, late sumpta, est *omnis interior animi motus in Deum*, sive per mentis cogitationem, sive per cordis affectum. Hoc sensu definitur : *Ascensio mentis in Deum ;*

S. Damasc., *de Fide orth.;* vel : *quædam spontanea et dulcis ipsius animi in Deum inclinatio;* S. August.

Proprie autem et stricte sumpta, oratio definiri potest : *Petitio rerum decentium a Deo;* S. Damasc. *ibid.;* vel : *actus rationis practicæ desiderium animæ coram Deo explicantis, ut aliquid ab ipso impetretur.*

Dicitur 1 : *actus rationis,* id est, mentis; quia oratio elicitur ab intellectu, et a voluntate tantum imperatur, quatenus voluntas intellectui præcipit ut desiderium suum Deo explicet.

Dicitur 2 : *practicæ;* quia animæ desiderium non ostendimus Deo, ut illud tantum cognoscat, sed ut rem desideratam præstet.

Dicitur 3 : *desiderium animæ coram Deo explicantis;* in his indicatur et conditio prævia orationis, scilicet animæ desiderium, et propria orationis essentia, seu illius desiderii coram Deo explicatio, et ille ad quem dirigitur oratio, seu Deus.

Dicitur 4 : *ut aliquid ab ipso impetretur;* quibus designatur motivum orationis; unde illa desiderii explicatio coram Deo, est petitio quædam, qua Deum conamur inducere et promovere ad id præstandum quod desideramus.

2° Oratio est *mentalis* aut *vocalis, publica* aut *privata. Mentalis* est illa, quæ solo actu mentis fit; *vocalis* autem est oratio, qua internus animi actus ore etiam exprimitur.

Privata aut *publica* est oratio, prout fit a persona privata et privato nomine, vel auctoritate et nomine Ecclesiæ.

PUNCTUM II

De Orationis necessitate.

PROPOSITIO

80. — *Oratio necessaria est adultis necessitate præcepti, imo necessitate medii.*

Et quidem 1° *Necessitate præcepti.* Nam innumeri sunt Scripturæ textus, in quibus commendatur oratio : *Oportet semper orare; petite, et dabitur vobis; vigilate et orate, ut non intretis in tentationem; non accipitis, eo quod male peta-*

tis, etc. Matth. 7, v. 7; 26, v. 41; Jacob. 4, v. 3; porro talia verba manifeste præceptum continent, atque indicant orationem esse medium ordinarium a Deo stabilitum ad gratias necessarias obtinendas.

2° *Necessitate medii.* SS. Hieron. et August., Pelagium impugnantes, necessitatem gratiæ seu auxilii divini ad salutem petunt ex necessitate orationis : porro de fide est auxilium Dei esse necessarium necessitate medii ad salutem; ergo necessaria est oratio. S. Aug., lib. *de Dono Persev.* c. 16, sic loquitur : « Cum constet alia Deum dando etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia *nonnisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam.* » Et lib. *de Natura et Gratia*, c. 43, n. 50, ait : « Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, et facere quod possis, et *petere quod non possis :* » quam sententiam amplectitur Conc. Trid. sess. 6, c. 11.

Revera, Deus quantum est de se, omnibus adultis dat vel offert, tempore opportuno, auxilia necessaria ad justificationem consequendam; Tract. *de Gratia*, n. 287-289. At ulteriores gratiæ, quibus efficaciter justificationem consequitur adultus, in eadem permanet, superando graves tentationes, et difficiliora præcepta adimplendo, ac demum perseverantiam finalem obtinet, ordinarie non conceduntur nisi assidue, perseveranter et fiducialiter orantibus, juxta vulgare apud sanctos effatum : *Qui orat salvabitur, qui non orat, condemnabitur;* ac juxta eorumdem praxim, qua invictum ab oratione spiritum non relaxabant. Quare confessarii, pastores, qui suo officio fideliter incumbunt, indefessim suas oves jugis precationis exercitio assuefaciunt, atque in hujusmodi exercitio dignoscendum est unum ex signis prædestinationis. Tract. *de Gratia*, 264-269, 327-332.

Rationem multiplicem cur oratio sit pars cultus obligatoria, jam exposuimus in Tract. *de Revelat.*, n. 29.

81. — *Quæritur* 1° *quandonam* urgeat præceptum orandi sub pœna peccati?

Resp. Difficile est tempus illud præcise determinare, quo præceptum orandi obligat *per se* fideles, sub pœna peccati;

certum tamen est *non posse diutius differri orationem sine peccato*, juxta illud Christi Domini, Luc. 18, v. 1 : *Oportet semper orare et non deficere;* et illud Apost. I Thess. 5, v. 17 : *Sine intermissione orate;* et Rom. 12, v. 12; *Orationi instantes.* Istorum enim textuum, ex communi Interpretum sententia, sensus est, orandum esse, non quidem omnibus et singulis momentis, quod est impossibile, sed assidue et omni tempore opportuno, statutis precationum temporibus nunquam prætermissis. Communius tempus mensis unius per se notabile reputatur. Preces matutinæ et serotinæ nullo præcepto expresse injunguntur; plures tamen dicunt earum omissionem esse veniale peccatum ratione consuetudinis generalis; cæterum in praxi, qui illas sæpius omittunt, excusari difficile possunt, quia exinde frequentius in peccata labuntur.

Certum est etiam *præceptum orandi obligare per accidens*, 1. *quando quis sentit gravem tentationem :* unde Christus Apostolis dicebat, Matth. 26, v. 41 : *Orate, ut non intretis in tentationem.* — 2. *Quando quis est in evidenti periculo mortis, præsertim si sit in statu peccati;* tunc enim maxime, si unquam alias, petenda est remissio peccatorum. 3. *Quando peccator tenetur ad gratiam se disponere*, v. g., quando debet sacramenta suscipere vel administrare. 4. *Quando eximium beneficium ad salutem necessarium a Deo expectatur*, 5. Si *Communitas*, v. g., Urbs, Provincia, Regnum, *in magno periculo constituta sit;* constat enim Deum nolle sæpe liberare populum a periculo aliquo, sive a malo, nisi rogatus fuerit, juxta illud Psalm., 105, v. 23; *Et dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione, in conspectu ejus;* fideles ergo in hoc casu tenentur, *ex charitate*, orationi incumbere. 6. Si *proximus in extrema spirituali* necessitate actualiter sit constitutus.

Hinc Parochi et Confessarii debent plebem sibi commissam frequenter docere quam necessaria sit oratio, et divinum orandi præceptum sæpius inculcare fidelesque hortari ut matutino ac serotino tempore oratio in christianis familiis fiat, nihilque nisi præmissa brevi aliqua oratione aggrediantur.

82. — *Quæritur* 2° quinam sint orationis *effectus?*

Resp. Oratio, præter consolationem spiritualem, quam affert animæ, habet vim *merendi*, *satisfaciendi* et *impetrandi.*

Etenim, quatenus procedit ab homine in statu gratiæ existente, est *meritoria* gratiæ et gloriæ, sicut et alia opera supernaturalia hujusce hominis; quatenus in se est aliquo modo naturæ molesta et pœnalis, fit *satisfactoria;* quatenus est petitio quædam, impetrat a Deo quidquid petitur, dummodo adsint conditiones requisitæ, ut patet ex promissione Christi : « Dico vobis, *omnia quæcunque orantes petitis, credite* quia *accipietis*, et *evenient vobis.* Marc. 11, v. 24. — *Omnis qui petit, accipit.* » Luc. 11, v. 10.

Attamen utilitates illæ in omni oratione etiam bona, non semper reperiuntur. Nam fieri potest, 1, ut oratio sit impetratoria, non tamen meritoria, v. g., si peccator petat remissionem peccatorum, vel si Beatus in cœlo postulet aliquid pro nobis viatoribus. 2. Interdum contingit, ut oratio sit meritoria tantum, non autem impetratoria; v. g., si vir justus petat aliquid quod non expediat ad ejus salutem, quomodo Apostolus petivit sibi auferri stimulum carnis et non impetravit, licet ejusmodi oratio fuerit meritoria. Unde

83. — *Quæritur* 3° quænam sint *conditiones* ad orationem requisitæ?

Resp. Quatuor conditiones ex SS. Augustino et Thoma requiruntur, ut oratio sit infallibiliter impetratoria : 1° ut quis petat necessaria ~~vel utilia~~ ad salutem; 2° ut pie petat; 3° ut perseveranter; 4° ut pro seipso.

1ª *Conditio est, ut oratio sit de rebus ad salutem necessariis, ~~aut utilibus~~.* Constat ex allata definitione S. Joan. Damasc., ubi dicit quod oratio est petitio *decentium* a Deo; unde Christus Discipulis suis dicebat : *Quærite primum regnum Dei;* et Apostolos quosdam reprehendit quod aliquid a regno Dei diversum peterent : *Nescitis*, inquit, *quid petatis.* Matth. 6, v. 23; 20, v. 22. Unde et I Joan. 5, v. 14 : *Quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos :*

atque, ex S. Paulo, I Thess. 4, v. 3 : *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra;* ergo, etc.

2ª *Conditio est, ut oratio pie fiat :* tunc pie fit, cum procedit ex fide, spe, et affectu supernaturali; hinc Christus dixit : *Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis,* Matth. 21, v. 22; hinc etiam Jacobi, 1, v. 6, dicitur : *Postulet in fide, nihil hæsitans.* Quod autem ex affectu bono procedere debeat, id est, cum pio motu et auxilio gratiæ, patebit ex dicendis infra de oratione peccatoris. Debet etiam fieri cum *attentione, devotione, et reverentia;* hujus enim conditionis defectus causa est, cur plurimorum fidelium orationes non sint impetratoriæ, juxta illud Jacobi, 4, v. 3 : *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis.*

3ª *Conditio est perseverantia in oratione :* quæ conditio valde commendatur in Scripturis, et duabus parabolis a Christo explicatur; altera, Lucæ 11, v. 5, hominis illius, qui tres panes petiit ab amico; altera, c. 18, v. 3, 4 et 5, de Vidua, quæ a Judice vindictam per importunas preces et perseverantiam impetravit; quapropter Christus, ejusdem cap., v. 1, dixerat : *Oportet semper orare et non deficere;* id est, non desistere a petitione, etiamsi non statim concedatur, sed *instanter* petere.

Ratio hujus conditionis sumi potest ex ordine divinæ Providentiæ. Nam sæpe expedit, ut non statim concedatur id quod petitur; et res diu desiderata majori in pretio habetur. Unde S. Aug., *Serm. de verbis Domini,* dicit : « Cum aliquando tardius dat, *commendat dona,* non negat. *Diu desiderata, dulcius obtinentur; cito* autem data *vilescunt.* Pete, quære, insta. Petendo et quærendo crescis, ut capias. Servat tibi Deus, quod non vult cito dare, ut tu discas magna magne desiderare. »

4ª *Conditio,* quam tamen nonnulli rejiciunt, *est ut quis oret pro seipso,* quia alter pro quo oramus, non est sæpe dispositus, ut accipiat; et hæc est doctrina S. Aug., quam sequitur S. Thomas. Quando tamen alii pro quibus oramus, sunt sufficienter dispositi, tunc Doctores communiter docent orationem esse impetratoriam. Ratio est, quia promissio Christi videtur universalis; nam Joan. c. 16, v. 16

dicit : *Ut quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Et Jacobi c. 5, 16 : « *Orate pro invicem, ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua.* »

84. — *Quæritur* 4° utrum *peccatores* utiliter orare possint?

Resp. 1. *Oratio peccatorum non est meritoria saltem de condigno,* quia meritum de condigno supponit statum gratiæ.

2. *Peccatores utiliter et efficaciter Deum orant,* præsertim, quando servantur quatuor conditiones assignatæ; et hoc modo petivit et impetravit David, Zachæus, Latro, Magdalena, Publicanus, et alii multi. Unde S. August. Tractatu 44 in Joan., dicit : « Si peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens, et pectus suum percutiens, diceret : *Domine, propitius esto mihi peccatori.* »

Equidem, dicitur quod *peccatores Deus non audit,* Joan. 9, v. 31.

Duplex est enim peccantium genus : alii bono affectu et voluntate, cum Dei auxilio orant, et sic exaudiuntur; alii autem male orant et cum affectu malo ad peccatum, de quibus dicitur Proverb. 28, v. 9 : *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.*

85. — *Quæritur* 5° utrum in omni oratione, etiamsi non fiat ex speciali obligatione, requiratur attentio?

Resp. Fideles tenentur attentionem adhibere in quacunque oratione. « Quod si quis in oratione *ex proposito mente evagetur, hoc peccatum est,* et impedit orationis fructum. » S. Th. 2. 2, q. 83, a. 3.

Revera distractio voluntaria peccatum est, quia certe irreverenter cum Deo agit, qui, aliquid ab eo postulans, *voluntarie animo vagatur;* quapropter sollicite docendi sunt fideles quam debeant esse attenti in oratione, ne defectu istius conditionis, sæpe contingat quod in Psalmo dicitur, quod *oratio ejus fiat in peccatum.* Vide tamen Tract. *de Oblig.* n. 41.

PUNCTUM III

De Orationis objecto.

Alia sunt bona, quibus male uti non potest homo, qualia sunt vita æterna, auxilia divina, virtutes supernaturales : alia vero sunt bona, quibus male uti potest homo, qualia sunt vita, corporis sanitas, scientia, etc. Itaque

PROPOSITIO

86. — *Vita æterna et omnia media ad illam necessaria absolute petenda sunt; bona autem quibus homo male uti potest, petenda sunt sub conditione, si sint utilia ad salutem.*

Etenim 1. homines ad vitam æternam consequendam sunt creati; ergo illam incessanter petere debent, sicuti et media ad illam conducentia. Unde, postquam in Oratione Dominica constitutus est *finis*, quem imprimis desiderare ac petere debemus, videlicet, Dei gloria ac nostra beatitudo, petimus deinde ut nobis concedantur ea, quæ possunt impedire hujus finis consecutionem, ut egregie notat S. Aug. Bona autem illa petenda sunt absolute, quia iis male uti nemo potest.

2. Non debemus absolute petere, nisi id quod semper ad salutem conducit : at bona temporalia interdum a vita æterna avertunt; ergo non debent peti, nisi supposito quod sint ad salutem necessaria vel utilia.

Hinc 1. bona temporalia peti possunt, non quidem ut præcipua et suprema bona, sed ut minus principalia bona et adminicula, quibus ad beatitudinem tendamus, in quantum, scilicet, per ea bona vita corporalis sustentatur. Revera Salomon, Deum alloquens, dicit : *Tribue tantum victui meo necessaria.* Prov. 30, v. 8.

Hinc 2. divitiæ, honores, dignitates a Deo peti possunt *conditionate*, nempe, si ad salutem sint utiles : imo ordinarie petendæ non sunt, ne conditionate quidem, quia sæpius ad spiritualem perniciem conducunt, quam ad salutem; unde rursum Sapiens : *Divitias*, inquit, *ne dederis mihi..., ne forte satiatus illiciar ad negandum*, etc.; *ibid.*, v. 8, 9.

Peccat igitur mortaliter, qui a Deo rem malam petit, v. g., favorem et auxilium ad peccatum aliquod committendum, quia hoc est omnino Deo injuriosum.

Similiter, qui rem indifferentem petit, v. g., victoriam seu in ludo lucrum, peccat, si lucrum hujusmodi non referat ad finem honestum; est enim aliqua in Deum irreverentia : non tamen mortaliter peccat, nisi finis intentus sit graviter malus.

87. — *Quæritur* an orationis objectum convenienter assignetur in *Oratione Dominica?*

Resp. Affirmative. Etenim Christus ipse illam orationem instituit, ut doceret Apostolos orare : atqui perfectum est illud omne, cujus auctor est Christus; ergo objectum orationis convenienter assignatur in Oratione Dominica.

« Oratio Dominica *perfectissima* est, quia, si recte et congruenter oramus, nihil aliud dicere possumus, quam quod in ista oratione positum est. » S. August. Epist. 120, aut 130.

Revera in Oratione Dominica non solum petuntur, *quæ* recte desiderare possumus, sed etiam *eo ordine*, quo desideranda sunt; ita ut hæc oratio non solum instruat postulare, sed etiam sit *informativa totius nostri affectus*, ait S. Th. 2. 2, q. 83, a. 9.

Etenim ad orationem tria requiruntur, scilicet, sufficiens ratio petendi cum fiducia, petitio rerum decentium, et secundum ordinem necessitatis aut utilitatis cujusque.

Porro 1. Oratio Dominica in primis nobis suppeditat motivum quam maxime efficax petendi cum fiducia, per ista verba quæ sunt quasi Dominicæ Orationis præfatio aut ad eam introductio : *Pater noster, qui es in cœlis.* Cum sit pater, et quidem *noster*, qui *caritas* est infinita, *vult* nostram orationem exaudire; cum sit *in cœlis*, seu Deus ipse, nostram orationem exaudire *potest;* et inde cum omni fiducia orare debemus.

2. Quæ petere possumus sunt finis et media.

Finis noster Deus est, in quem affectus noster tendit dupliciter scilicet, vel *propter ipsum Deum*, ad procuran-

dam ei gloriam, et ideo ponitur prima petitio : *Sanctificetur nomen tuum;* seu nomen Dei ut sanctum ab hominibus habeatur, sicque gloria Dei in hominibus propagetur.

Vel affectus noster tendit in Deum ad *fruendum* gloria Dei ita ut *diligamus nos in Deo;* et ideo ponitur secunda petitio : *adveniat regnum tuum;* seu nobis veniat gloria regni Dei, atque in ea regnemus.

Media ad illam gloriam procurandam, et hanc consequendam beatitudinem, sunt vel *per se*, conducendo positive et directe ad finem; vel *per accidens*, negative et indirecte conducendo ad finem per impedimentorum remotionem.

Medium *per se* est principale vel instrumentale. *Principale* medium ad gloriam Dei et ad nostram beatitudinem, est conformitas nostræ voluntatis voluntati divinæ; et ideo ponitur tertia petitio : *Fiat voluntas tua;* et quidem quoad modum, in omnibus actibus nostris, ex toto corde nostro, et ex caritatis motivo; et propterea additur : *Sicut in cœlo, et in terra.*

Instrumentale medium est auxilium quasi coadjuvans ad Deum glorificandum, et ad merendam gloriam Dei; et ideo ponitur quarta petitio : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;* scilicet, *Panem,* quo intelligitur et *gratia,* quæ est panis supernaturalis animæ; et *panis sacramentalis* seu Eucharistia, in qua etiam intelliguntur omnia alia sacramenta, cum Eucharistia sit præcipuum sacramentum : et *panis corporalis,* ut per panem intelligatur omnis sufficientia victus, eo quod panis, cum sit præcipuus cibus, virtualiter omnem victum ad sustentationem vitæ corporalis designat. Propterea in S. Matth. 6, v. 11, additur : *Panem supersubstantialem,* id est *præcipuum,* ut exponit S. Hierony.

Sed etiam *quotidianum,* ut significetur nos quotidie indigere pane sive gratiæ, sive eucharistico, sive corporali, et ideo panem illum triplicis speciei quotidie a Deo petendum esse.

Tandem : *Da nobis hodie,* quo indicatur panem illum a Deo petendum esse pro hodierna seu præsenti necessitate; et ideo *abundantiam* panis corporalis non esse, saltem ordinarie, a Deo erogandam, juxta illud : « Tribue *tantum*

victui meo necessaria; ne forte *satiatus,* illiciar ad *negandum,* et dicam : *Quis est Dominus?* aut *egestate* compulsus *furer,* et *perjurem* nomen Dei mei? » Prov. 30, v. 8, 9.

Medium *per accidens* seu ad glorificandum Deum et ad fruendum ejus gloria per impedimontorum remotionem, triplex est pro triplici hujusmodi impedimento; scilicet ex parte animæ, condonatio peccati præsentis, quod directe excludit conformitatem nostræ voluntatis voluntati divinæ, ac proinde directe opponitur gloriæ Dei et nostræ beatitudini; unde petitio quinta : *Dimitte nobis debita nostra,* et quidem, quoad modum seu mensuram, *sicut et nos dimittibus debitoribus nostris.*

Sed etiam, ex parte animæ præservatio a peccato futuro, quod nos impedit ab observantia voluntatis divinæ; unde petitio sexta : *Et ne nos inducas in tentationem;* per quod non petimus, ut non tentemur, sed ut a tentatione non vincamur, quod est in tentationem induci.

Tandem, ex parte corporis, liberatio vel præservatio a malis, quæ causa aut occasio dejectionis, iræ, blasphemiæ fieri possunt, unde petitio septima : *Sed libera nos a malo.*

Itaque tres priores petitiones perfecte complebuntur in vita futura; quatuor autem posteriores ad vitæ præsentis necessitatem pertinent.

In oratione Dominica secundum Lucæ Evangelium, 11, v. 2, 3, 4, ponuntur solum quinque petitiones, ut ostendatur tertiam petitionem esse duarum præmissarum quodammodo repetitionem, quia voluntas Dei ad hoc præcipue tendit, ut sciat unusquisque in eo se liberari a malo, quod non infertur in tentationem. S. Th. 2. 2, q. 83, a. 9. — Catech. Rom., 4ª pars. Bossuet, *Mëdit. sur l'Evang., Serm. sur la mont.,* journ. 22-27; *Dern. sem.,* journ. 51.

PUNCTUM IV

De Orationis subjecto, seu de iis pro quibus orandum est.

PROPOSITIO

88. — *Orandum est pro omnibus hominibus in hac vita degentibus, sive justis, sive peccatoribus, sive fidelibus, sive infidelibus.*

Etenim dicitur : « Obsecro igitur primum omnium *fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus...*; hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, *qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire;* » I Tim. 2, v. 1-4. S. Petrus addit, *Deum nolle aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Cum ergo Deus velit omnes homines salvos fieri, si velint et non impediant, certe divinæ voluntati nostram conformare debemus, optando et petendo ut ita fiat.

89. — *Quæritur* 1° an teneamur pro *inimicis* nostris orare?

Resp. 1. Nos tenemur, sub pœna peccati, eos non excludere a communibus orationibus, ut diximus alibi.

2. Tenemur nos aliquando etiam *specialiter* pro inimicis nostris orare, quando, v. g., sunt in extrema vel gravi necessitate, sive spirituali, sive corporali, juxta illud Christi præceptum, Matth. 5, v. 44 : *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos.*

90. — *Quæritur* 2° utrum orandum sit pro *mortuis?*

Resp. 1. Pro Beatis in cœlo existentibus non est orandum, quia orationibus nostris non indigent, sed illorum orationes nobis potius necessariæ sunt. Hinc tritum illud S. Aug. : *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.*

2. Pro damnatis non est orandum, quia orationes nostræ sunt illis omnino inutiles, cum non sint capaces gratiæ ullius aut veniæ obtinendæ; in inferno quippe nulla est redemptio, ut fides docet.

3. Orandum est pro iis defunctis, qui sunt in Purgatorio; ut a pœnis liberentur, sicut probatur in Tract. *de Euchar.*, n. 245, et in Tract. *de Purgatorio.*

Hinc aliquando nos tenemur sub peccato, ex lege charitatis, pro defunctis orare, maxime pro benefactoribus et parentibus; quia fidelium animæ, quæ a Dei visione retardantur, magnis doloribus in Purgatorio torquentur, et per orationes ac sacrificia possunt a nobis adjuvari.

§ III

De Vitiis Religioni oppositis.

Dupliciter contra Religionem peccari potest scilicet, vel per *defectum*, et hoc peccati genus *irreligiositas* dicitur; vel per *excessum*, non quod nimium in vero Dei cultu excedi possit, sed quia vitiosus est aliquando et inordinatus cultus, qui ei impenditur, et hæc peccati species *superstitio* nuncupatur.

NUMERUS PRIMUS

De Irreligiositate, et de ejus speciebus.

Irreligiositas ex S. Thoma, est *vitium oppositum religioni per defectum, quo Deus in se vel in rebus sacris inhonoratur*, Quinque sunt ejus species, nempe, *blasphemia, tentatio Dei, sacrilegium, simonia et perjurium :* de perjurio dicemus in secundo Decalogi præcepto, ubi de juramento. De quatuor itaque prioribus hic agendum est.

PUNCTUM PRIMUM

De Blasphemia.

91. — *Quæritur* 1° quid sit blasphemia, et quotuplex? *Resp.* Blasphemia laudi debitæ Deo directe opponitur, et definitur : *Locutio contumeliosa in Deum;* his verbis continetur etiam omnis maledictio in creaturas, quatenus Dei sunt, et in eis relucet divina sanctitas, potentia, etc.; ita ut per se blasphematoriæ sint locutiones, quæ ex communi apprehensione, vel ex usu regionis, vel ex modo loquendi derisorio aut iracundo, aliisve circumstantiis, Dei contumeliam seu inhonorationem continent.

Dividitur 1. in *hæreticalem*, *imprecativam*, et mere *dehonestativam*.

Blasphemia *hæreticalis* est ea, quæ hæresim continet, et sic duplicem habet malitiam, nempe est contra fidem et religionem, atque per se inducit excommunicationem; Tract. *de Censuris*, n. 40. Fit, *vel aliquid falsi pronuntiando de Deo*, vel *creaturæ attribuendo, quod solius Dei proprium est.*

Sic hæreticales sunt hujusmodi blasphemiæ : *Deus est*

crudelis; Deus non est omnipotens; Deus non prospicit rebus humanis; mundus a dæmonibus regitur, Deus est injustus; Deus injuste me tribulationibus gravat; Deus injuste sinit malos esse felices in hac vita; Deus mei est plane oblitus; quare Deus me creavit? Item : *Denego Deum, denego Evangelia;* quia denegatur Dei existentia, vel Dominium, aut infallibilis veritas. — Item : *Denego Deum, si res non ita sit;* quia negare Deum sub conditione cujusvis objecti, est negare Dei existentiam ab omni objecto creato esse independentem. Item juxta plures : *Quod enuntio tam verum est, quam verum est esse Deum,* vel *quam verum est Evangelium;* quia hac locutione divinæ veritati adæquatur res creata et contingens. Si tamen, ut plerumque fit, non ex erroneo animo proferatur, tunc non committitur hæresis, sed duntaxat peccatum plus minusve grave adversus religionem et externam fidei professionem. Idem dicendum est de gallica locutione : *Mille dieux!* ordinarie qui talia profert, non intendit asserere mille deos.

Blasphemia *imprecativa* est ea, *qua quis Deo malum imprecatur*, ut si dicat : *Utinam Deus non esset! Utinam Deus supremam non haberet potentiam! Sit Deus maledictus!* hæc odium Dei continet. — Item : *Perdat te mors, vel sanguis Dei; perdant te sacramenta;* quia injuria irrogatur morti, sanguini et sacramentis Christi, quæ ad hominum salutem, non vero perniciem ordinata sunt. — Item locutio gallica : *S. nom de D.*, siquidem hujusmodi voces, ex sensu fidelium, in Deum contumeliosæ sunt, atque his implicite æquivalent : *Maledictum nomen Dei!* Quidam tamen in præfata locutione rationem blasphemiæ per se non apprehendunt, nisi intentio blasphematoria implicite saltem interveniat.

Blasphemia mere *dehonestativa* ea est, *qua per modum contumeliæ et contemptus, indecenter ac irreverenter enuntiatur etiam quod Deo vel Christo convenit*, ut istud quod Juliano Apostatæ tribuitur : *Vicisti, Galilæe!* et hac altera, qua Christi mors, caput, viscera, etc., contumeliose nominantur.

Unde per se nullo modo blasphematoriæ sunt hæc locutio-

nes gallicæ : *Nom de nom! Mille noms! Nom de Dieu!* Hæc tamen ultima locutio, propter vanam nominis Dei usurpationem, a veniali culpa non eximitur. A fortiori blasphemiæ non sunt inurbanæ locutiones, quæ incipiunt litteris *B. F. M.*, vel *J. F.*, etiamsi verbum *sacré* ipsis præmittatur, v. g., *sacré B.* Sed etiam per se ab omni culpa immunes sunt, qui illis vocibus utuntur, nisi caritati erga proximum adversentur, uti fit quando talia verba convicii causa proferuntur.

Dividitur 2. in *internam*, quæ interius perficitur, et *in externam*, quæ verbis, vel aliis signis externis exprimitur; quæcunque enim signa in Deum contumeliosa sunt, ut spuere in cœlum, infrendere dentibus, etc., vere sunt blasphemiæ. Unde in nostra definitione vox *locutio*, late sumitur pro quavis significatione convicii et maledicti in Deum.

Dividitur 3. in eam, quæ *directe* et *immediate est in Deum*, et eam quæ est contra *Sanctos*, vel *quascunque creaturas*, etiam irrationales, *quatenus* sunt creaturæ Dei, vel ejus instrumenta.

92. — *Quæritur* 2° an *omnis blasphemia* sit de se peccatum *mortale*, nec admittat levitatem materiæ?

Resp. Affirmative. Namque : *Maledicentes ei disperibunt;* Ps. 36. — *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur;* Levit. 24, v. 16. — « Nihil *horribilius blasphemia* quæ ponit in excelsum os suum; » S. Hierony. *in Isa.* 18.

Revera quælibet Dei contumelia est gravis injuria et contemptus Dei, infinitam ejus deprimens majestatem; solumque venialis fieri potest ex defectu sufficientis advertentiæ. Imo, qui ex prava consuetudine, lingua mentem prævertente, proferre solent blasphemias materiales et prorsus indeliberatas, tenentur, sub peccato mortali, efficere et conari, ut consuetudinem hanc corrigant; alias enim illæ blasphemiæ sunt voluntariæ in causa, nempe in tali consuetudine non retractata.

Cæterum, gravior est, quæ in Deum immediate, quam quæ in Sanctos profertur blasphemia; quia gravius est Deum in seipsum contumelia efficere, quam repræsentatum

in Sanctis. Ut autem blasphemia sit mortale peccatum, non requiritur formalis intentio Deum inhonorandi, sed sufficit virtualis, cum quis, v. g., ex ira, vel indignatione, aut joco ea libere profert, quæ ex communi intelligendi modo aut ex circumstantiis, Dei inhonorationem continent.

Itaque sedulo Confessarii expendere debent an pœnitentes, qui blasphemiæ se reos accusant, blasphemiam reipsa, an solummodo juramentum, vel obscena verba admiserint; an blasphemiam hæreticam, aut imprecativam; præter enim peccatum contra religionem, prior continet peccatum contra fidem aut externam ejus professionem; posterior vero continet et odium Dei; an blasphemiam immediate contra Deum. vel B. Virginem aut alios Sanctos: eæ enim specie differunt; an ex inveterata consuetudine peccaverint, necne.

Appellatio autem nominis Dei, vel Jesus aut Sanctorum, non ex contumelia, sed per modum loquendi, ut *O Jesu! O bone Deus!* licet non sit blasphemia, vana tamen est Dei nominis usurpatio; et ideo ordinarie a veniali culpa excusari non potest, ut probatur, tum ex Eccli. 23, v. 10: *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis*, id est, a peccato irreverentiæ contra eos; tum *ratione*, quia sanctum et terribile nomen Dei, sine ullo religionis sensu usurpare tanquam aliquid profanum, vera est irreverentia.

Denique assidua dæmonis nominatio, licet absque imprecatione, sed per modum loquendi, cum Christianum non deceat, omnino vitanda est; atque etiam ratione scandali, grave peccatum fieri posse notant plures Theologi.

PUNCTUM II

De Tentatione Dei.

93. — *Quæritur* 1° quid sit *tentatio* Dei?

Resp. Tentatio Dei, prout hic sumitur, *est dictum, vel factum, aut omissio, ad capiendum experimentum potentiæ, sapientiæ alteriusve divini attributi, per extraordinarium effectum a Deo temere exspectatum.*

Dupliciter istud fieri potest : 1. *explicite et cum directa intentione*, ut contigit illi Monacho qui, referente Cassiano, Collat. 2, in puteum se projecit ad explorandam Dei in se providentiam. Huc pertinent eæ probationes justitiæ vel innocentia, quæ fiebant olim candenti ferro, aut aqua fervente, vel duello; 2. *implicite*, cum quis ad obtinendum finem ordinariis uti mediis negligit, v. g., remediis ad sanitatem recuperandam, cibis ad vitæ sustentationem, studio ad tractandum digne Dei verbum, præparatione ad Officii divini recitationem.

94. — *Quæritur* 2° an tentatio Dei sit *illicita?*

Resp. Affirmative. Dicitur enim : *Non tentabis Dominum Deum tuum;* Matth. 4, v. 7. Revera creatura sine gravi irreverentia præsumere non potest futurum ut, pro ejus arbitrio, leges suas immutet Deus et operetur miracula.

Unde per se graviter peccat, qui innocentiam suam probari postulat duello, ferro candenti, vel qui ad martyrium ultro se offert; qui absque justa causa se exponit periculo mortis, eo quod divinum exspectat auxilium. Leviter autem peccat, qui in morbo levi, rejectis remediis, a Deo sanitatem sperat, vel qui ex negligentia imparatus accedit ad prædicandum Dei verbum, sperans a Deo speciale auxilium. Tandem nullomodo peccat qui sperat se naturaliter, Deo juvante, a morbo levi liberatum iri; nec qui, ex gravi causa, cum prudentia, humilitate, et sub conditione quod Deo placuerit, a Deo miraculum petit; tunc enim non est Deum tentare, sed Dei auxilium expostulare tempore opportuno, ut præstitit Abraham, Gen. 15, v. 8. Vide S. Th. 2. 2, q. 97, a. 2.

PUNCTUM III

De Sacrilegio.

95. — *Quæritur* 1° quid sit sacrilegium, et quotuplex?

Resp. Sacrilegium est *rei sacræ violatio* seu *rerum sacrarum indigna tractatio.* Res autem sacra ea est, quæ *aliquo modo ad cultum Dei deputatur*, et ita fit quoddam divinum, cui debetur aliqua reverentia ad ipsum Deum relata; ac

proinde omnis rerum sacrarum irreverentia ad ipsius Dei injuriam et ad sacrilegium pertinet.

Triplex est sacrilegium, nempe, personale, locale, reale.

1° *Personale* sacrilegium est illud, quo indigne tractatur persona sacra, uti Clericus, Religiosus. Dupliciter hoc fieri potest, scilicet, per violationem privilegiorum talibus personis jure canonico concessorum, vel per luxuriam.

1. *Per violationem privilegiorum*, tum *Canonis*, tum *Fori:* Canonis quidem, id est, cum injuste, et suadente diabolo, percutiuntur Clerici aut Monachi, sive professi, sive non; cum injuste detinentur, aut quovis modo ignominiose tractantur per vim tactu physico, saltem mediato, consummatam. Vide Tract. *de Censuris*, n. 53.

Fori vero privilegium in prædictis personis violatur, cum in causis, sive civilibus, sive criminalibus, excepto casu privilegiato, ad seculare tribunal provocantur Clerici in sacris constituti, aut alicujus ecclesiæ ministerio addicti, aut demum habitu clericali vacantes studiis in scholis; aut etiam cum publicis oneribus contra ecclesiasticam immunitatem privata auctoritate subjiciuntur. Tract. *de Censuris*, n. 46.

2. Per *luxuriam*, quatenus per aliquod luxuriæ peccatum violatur *persona per votum Deo dicata ad servandam castitatem.* Unde, vi illius voti seu ex virtute sive religionis, sive fidelitatis, illicitum fit, quod prius licitum erat in statu matrimonii; et ex triplici virtute religionis, fidelitatis et castitatis, illicitum fit, quod ante votum erat illicitum ex virtute tantum castitatis. Si vero non sit votum, sed præceptum Ecclesiæ servandi absolutam castitatem, ut plures sentiunt de cœlibatu ecclesiastico, tunc castitas servanda est ex virtute castitatis et etiam religionis, quia Ecclesia ex motivo religionis illum cœlibatum imposuit, et ideo sacrilega erit talis præcepti violatio; Tract. *de Obligat.*, n. 53. Quæ spectant hujusmodi sacrilegium personale, fusius absolvuntur in Tract. *de Virtute castitatis*, n. 60.

2° Sacrilegium *locale* est *violatio loci sacri, seu cujusvis loci publica Episcopi auctoritate per consecrationem aut benedictionem deputati vel ad Sacrificium Missæ, vel ad Sacra-*

menta, aut divina Officia, vel ad corpora fidelium sepelienda, si cœmeterium sit ecclesiæ contiguum; lib. 3, tit. 21, in 6. Unde uti loca sacra non reputantur sacristia, cameræ adjacentes, caveæ subterraneæ, turris campanarum, chorus monialium a corpore ecclesiæ aut oratorii publici separatus; nec cœmeterium etiam benedictum ecclesiæ non contiguum, nec etiam, saltem probabilius, oratoria privata, licet benedicta, qui sub nomine *ecclesiæ* non comprehenduntur, atque sola voluntate dominorum ad usus profanos reduci possunt. Institut. canon. Tract. 4, n. 132, 134, 135, 137.

Quatuor modis committi potest locale sacrilegium : 1. Per actus quibus *polluitur* locus sacer ex Jure canonico, uti injusta et copiosa sanguinis humani effusio, sepultura excommunicati, hæretici denuntiati, alicujus non baptizati; effusio voluntaria, illicita et publica seminis humani; non vero si effusio sit occulta, ut probabiliter, nec per turpes aspectus, tactus, conversationes; Tract. *de Virtute castitatis*, n. 60. 2. Per actus *peccaminosos*, qui fiunt contra sanctitatem loci sacri, uti effractio, spoliatio, incendium, furtum, rixæ, equorum stabulationes, hisque similia. 3. Per actus *profanos*, qui lege *immunitatis* prohibentur, uti deambulationes in loco sacro, conversationes, strepitus judiciorum secularium, nisi juxta causa excuset; moderata autem deambulatio, privata comestio, absque scandalo, clamore et contemptu, non est gravæ peccatum. 4. *Per violationem juris azyli*. Tract. *de Censuris*, n. 56.

3° Sacrilegium *reale* est *indigna tractatio rei sacræ distinctæ a persona et loco*. Dupliciter violatur res sacra : 1. *positive*, cum indigne tractatur, ut fit per indignam administrationem vel susceptionem sacramentorum, per profanationem Reliquiarum, Imaginum et Vasorum sacrorum, per abusionem verborum Scripturæ, non solum ad confirmandos errores, sed etiam ad res pure profanas, ut docet Conc. Trid., sess. 4, Decreto de Canonicis Scripturis, per abusum Vestium sacrarum, invasionem bonorum et Jurium Ecclesiæ, et supressionem piorum legatorum. 2. *Negative*, cum non custoditur ea cura, qua decet, ut si Vasa sacra,

Pallæ, Corporalia præsertim, non teneantur satis munda; si permittatur sacras Species in pyxide corrumpi; si Eucharistia sub clavi non asservetur.

96. — *Quæritur* 2° an sacrilegium sit peccatum *mortale* ex genere suo?

Resp. Affirmative. Etenim per illud Deus in rebus sacris inhonoratur. Est autem tanto gravius crimen, cæteris paribus, quanto sanctior est res quæ violatur; sic persona est loco sacratior, quia sanctitas loci ad hominis sanctitatem ordinatur, ut legitur II Mach. 3, v. 19. Sic gravius est sacrilegium commissum in Episcopum, quam in Presbyterum; contra locum in quo asservatur Eucharistia, quam in quo solum est altare. Dico autem *cæteris paribus*, quia enormis effractio templi, cum ejus exspoliatione, gravius est crimen levi percussione Clerici.

Potest tamen sacrilegium esse veniale ob levitatem materiæ, qualis est levis indecentia in susceptione sacramenti, vel si quis in transitu per ecclesiam vendat aut emat aliquid sine mora in paciscendo; quia vero omnia sacrilegia non sunt ejusdem speciei infimæ, nec gravitatis, in Confessione debet exprimi in qua re fuerint commissa.

PUNCTUM IV

De Simonia.

97. — *Quæritur* 1ª quid sit simonia?

Resp. Simonia, a Simone Mago sic dicta, definitur : *Sacrilegium, quo aliquid spirituale, vel spirituali annexum, pretio temporali commutatur;* vel, ex communi ac recepta S. Thomæ et Antiquorum doctrina, quæ in idem recidit, est *studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale aut spirituali annexum.*

Dicitur 1 : *studiosa seu deliberata voluntas*, id est, volitio libera.

Dicitur 2 : *emendi vel vendendi*, id est, non gratis dandi aut accipiendi, sed interveniente pretio temporali, et cum pacto oneroso. Emptionis autem et venditionis nomine comprehunduntur alii contractus onerosi, v. g., locatio,

permutatio, mutuum, aliique omnes contractus, qui vulgo vocantur innominati : *Do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias :* Do, v. g., titulum Parochi, ut des aliquid pretio æstimabile; Do Canonicatum, ut in domo mea officio Capellani fungaris; Efficio apud Principem ut te ad Episcopatum nominet, ut tu vicissim pensionem, quam solvere teneor, condones; denique, Facio ut meo suffragio, sede vacante, Vicarius generalis eligaris, ut mihi pecuniam mutuo præbeas. Ratio est, quia illi omnes contractus, quoad indignam rei sacræ tractationem, æquivalent emptioni aut venditioni, quatenus, scilicet in his omnibus datur res spiritualis pro pretio temporali. Neque tamen requiritur ut quis rem temporalem cum spirituali æquare velit, aut existimet rem temporalem posse esse pretium commensuratum et æquale rei spirituali; sed sufficit, si, ipsa aliqua res temporalis detur pro re spirituali, vel obtineatur res spiritualis *propter* æstimationem rei temporalis.

Usitatum vero est apud Scriptores ecclesiasticos, ut pretium, quo res spiritualis vendi potest vel emi, *munus* appelletur; illudque triplex est, scilicet, vel *a manu*, vel *a lingua* vel *ab obsequio*.

Nomine *muneris a manu* intelligi debet *utilitas quæcunque aut temporale commodum, pro quo, tanquam pro pretio, res spirituatis confertur*, sive sit pecunia, sive aliud quidpiam pecunia æstimabile, v. g., domus, ager, supellex, sive etiam debiti alicujus remissio, solutionis dilatio, imo et mutui dilatio; est enim temporale commodum, quod sine sacrilegio et simonia dari, aut promitti, vel accipi non potest pro re spirituali, et in ejus commutationem.

Nomine *muneris a lingua* intelliguntur *preces, laudes, adulationes non quidem simpliciter, sed quatenus favorem hominum conciliare possunt conferenti Officium spirituale*. Unde simoniacus est, qui alteri tale officium promittit, ex pacto expresso vel tacito ut de se bene loquatur, sibique quovis modo famam conciliet.

Denique, nomine *muneris ab obsequio* intelligi debent *alia quæcunque obsequia seu servitia temporalia, alicui præstita vel præstanda sub pacto expresso vel implicito, aut cum inten-*

tione acquirendæ in eorum compensationem alicujus rei spiritualis; cap. Cum essent, de Simonia.

Dicitur 3 : *aliquid spirituale;* quo nomine hic intelligitur id, quod est aliquo modo supernaturale, et ad animæ salutem a Deo specialiter institutum, sive quod a Deo provenit, et ad Deum ordinatur, quatenus est gratiæ auctor et salutis : potest autem aliquid esse spirituale et supernaturale, vel 1. per *essentiam*, ut gratia sive habitualis, sive actualis, virtutes infusæ, dona Spiritus Sancti, etc., quæ non possunt esse proprie materia emptionis et venditionis, nec cadunt in contractum onerosum; vel 2. ratione *effectus*, quia scilicet spiritualem effectum producit, cujusmodi sunt sacramenta, sacræ conciones, orationes tum publicæ tum privatæ, Sacramentalia, etc.; vel 3. denique ratione *causæ*, quia scilicet provenit a causa spirituali : tales sunt effectus gratiarum gratis datarum, prædictiones, prophetiæ, benedictiones, usus jurisdictionis ecclesiasticæ, dispensationes, concessiones absolutionis, facultas absolvendi a peccatis et censuris, excommunicationes, suspensiones, etc.: hæc enim omnia spiritualia sunt, et sine gravissimo sacrilegio emi, vendi, aut in pactum deduci non possunt.

Dicitur 4 : *vel spirituali annexum;* quo nomine intelliguntur ea quæ, licet temporalia sint, et naturalia, aliquatenus tamen fiunt sacra per connexionem quam habent cum rebus sacris et supernaturalibus; idque triplici modo fieri potest.

1. Quidem, quando rerum illarum materia *supponitur*, et præcedere debet consecrationem, ac res seu functiones sacras, ad quas ex Ecclesiæ institutione ordinantur : hujusmodi sunt templa, altaria, vasa, vestimenta consecrata vel benedicta, quæ, ex Ecclesiæ instituto, prærequiruntur ad sacram Missæ oblationem, vel ad sacramenta ministranda : hæc autem omnia dicuntur a quibusdam Theologis annexa *antecedenter* rei spirituali.

2. Quando res illæ requiruntur tanquam aliquid rei sacræ *necessario annexum*, et *veluti intrinsecum*, qualis est actio celebrandi Missam, baptizandi, absolvendi, concionandi, et quilibet alius hujusmodi labor intrinsecus actioni

sacræ : illa autem dicuntur annexa *concomitanter* rei spirituali.

3. Quando rem sacram præsupponunt tanquam aliquid *ab ea dependens*, ut jus percipiendi reditus Beneficiorum, quod supponit aliquod officium spirituale propter quod datur : et illa dicuntur annexa *consequenter* rei sacræ.

Porro, si agitur de illis rebus temporalibus, quæ spiritualibus annexæ sunt *antecedenter*, vendi possunt absque simonia, quia spiritualitas seu consecratio rei temporalis, quasi accidentaliter advenit, ipsa vero manet semper secundum se æstimabilis pretio temporalis. Simoniacum tamen esset rem illam, v. g., calicem, majori pretio vendere ob consecrationem.

Quoad temporale *concomitanter* annexum spirituali, notandum est nihil posse accipi tanquam pretium *laboris sacro ministerio intrinseci;* nam vendi non potest labor iste, quin vendita censeatur res sacra, cui per se necessario ac inseparabiliter conjunctus est, atque hic locum habet sententia Paschalis, Papæ, cap. *Si quis objecerit*, causa 1, quæst. 3 : « Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. »

Propter eamdem rationem et auctoritatem, nunquam emi aut vendi possunt ea, quæ rei spirituali annexa sunt *consequenter*.

98. — *Quæritur* 2° *quotuplex sit Simonia?*

Resp. 1. Simonia alia est contra *Jus divinum et naturale*, alia solummodo contra Jus *positivum* et *ecclesiasticum*.

Simonia contra *Jus divinum* est illa, quam modo definivimus, et consistit *in commutatione rei temporalis pro spirituali :* unde illa simonia est intrinsece mala, exclusa etiam Ecclesiæ prohibitione.

Simonia contra *Jus ecclesiasticum* est pactio seu conventio quæ, ob aliquam simoniæ speciem vel suspicionem, ab *Ecclesia prohibetur sub pœnis simoniæ*, quamvis ex se intrinsece mala non sit. Sic alicujus rei etiam sponte oblatæ receptio pro examine ad Beneficia vel Ordines; venditio officiorum quorumdam spiritualium, ut thesaurarii, advo-

cati ecclesiastici; receptio alicujus pretii pro oleo sacro aut chrismate, non sunt proprie venditio rei spiritualis, nec ideo quid ex Jure naturali simoniacum; et tamen prohibentur ut tale a Jure ecclesiastico.

2. Simonia est *mentalis, conventionalis, realis, confidentialis.*

Simonia *mentalis* est ea, quæ fit sine ullo peccato externo, sive implicito, sive explicito, sed *ex sola intentione accipiendi, aut dandi pro re spirituali temporalem, vel pro temporali spiritualem.* i.e., a studious voluntas, — desire of simony, —

Simonia *conventionalis* dicitur, quando aliquod pactum externum seu conventio intervenit dandi rem spiritualem pro temporali; atque illa est etiam duplex : si enim pactum ex nulla parte sit exsecutioni mandatum, dicitur simonia *pure conventionalis :* si vero ex alterutra tantum parte completum sit pactum, v. g., si traditum sit pretium temporale, sed nondum tradita res spiritualis; aut contra, si res spiritualis sit tradita, nondum tradito pretio temporali, dicitur simonia *conventionalis mixta.* i.e. only partly executed. —

Simonia est *realis,* quando pactum utrinque realiter completur, v. g., si, post pactum de vendendo spiritali Officio, traditum sit reipsa Officium ex una parte, et pretium ex altera, aut saltem illius pars, aut instrumentum debiti.

Simonia *confidentialis*, consistit in eo quod is, qui alteri beneficium dat utcunque, aut eligendo, aut præsentando, aut postulando, aut conferendo, aut instituendo, aut in alterius favorem resignando, quidpiam propria auctoritate ex facto seu confidentia sibi reservat.

99. — *Quæritur* 3° an Simonia sit *grave* sacrilegii peccatum?

Resp. Affirmative. Constat 1. ex accerrima S. Petri objurgatione adversus Simonem Magum, Act. 8, v. 20, 22, 23 : « *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri... Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua... In felle enim amaritudinis,* inquit, *et obligatione iniquitatis video te esse.* » Item, ex gravi increpatione Giezi facta ab Eliseo Propheta, IV Reg. 5, v. 26, 27.

2. *Ex horrendis verbis*, quibus, in Jure canonico, a Conc. et a SS. PP. simonia percellitur : modo enim dicitur *exsecrabile flagitium*, aliquando *prima* et *præcipua hæresis*, alibi *turpissimum lucrum* et alios morbos longe superans. Hinc Innoc. III. cap. *Per tuas*, de Simonia, sic ait : « Cæteras exceptiones ut furti, adulterii, propter immanitatem hæresis simoniacæ (ad cujus comparationem cætera crimina quasi pro nihilo reputantur), duximus repellendas. » Legenda autem sedulo in Jure canonico tota quæstio prima causæ 1; legendus item titulus tertius lib. 5 Decretalium, ubi de Simonia.

3. *Ex gravissimis pœnis*, quæ simoniæ reali et confidentiali infliguntur, de quibus consule Tractat. *de Censuris*, n. 59, 60, 61.

Revera per simoniam res sacra aut spiritualis indigne ac irreligiose tractatur; tunc enim cum re temporali quodammodo adæquatur, quasi tam vilis foret, ut instar rerum temporalium vendi posset : *Quis enim non vile putat esse, quod venditur?* ut ait Hormisdas Papa, Epist. ad Episcopos Hispaniæ. Sed etiam per simoniam perinde agitur, ac si res spiritualis hominum dominio ac potestati subjecta esset, sicuti res temporalis; cum tamen ex solius Dei gratuita voluntate pendeat, ut ex Act. 8, v. 20, colligitur.

Si vero interveniat aliqua causa dandi vel accipiendi temporalia, occasione rei spiritalis, quales sunt rationes stipendii, sustentationis, laboris extraordinarii, vexationis redimendæ, *tunc temporalia dare vel exigere, non est simonia.* Ita Suarez, lib. 4 *de Simonia.*

NUMERUS II

De Superstitione, et de variis ejus speciebus.

100. — Superstitio est *inordinatus cultus veri vel falsi numinis;* unde duplex est generatim, una ex parte *rei* quæ colitur, cum non debet coli, et est cultus falsi numinis; et alia ex parte *modi* quo colitur res cultu digna, et est cultus veri numinis, inordinato modo exhibitus.

Superstitionis, ex *parte rei* quæ colitur, duplex est species : nimirum, *idololatria* et *magia.*

Duplex est ex parte modi colendi Deum superstitionis species, nempe cultus *falsus*, et cultus *superfluus*. De iis omnibus superstitionis speciebus agendum est.

PUNCTUM PRIMUM

De Idololatria.

Idololatria idem est ac *idoli latria*, id est, cultus divinus exhibitus creaturæ : ex communi autem usu, idolum significat id omne quod colitur ut Deus, cum Deus non sit.

101. — Triplicis speciei est idololatria, scilicet *perfecta*, *imperfecta* et *simulata*.

Idololatria *perfecta* dicitur, cum quis idolo divinum honorem exhibere intendit, *falso existimans illud esse Deum;* quod peccatum sine dubio gravissimum est, includens etiam infidelitatem, et in homine baptizato includens apostasiam a fide, ratione cujus incurreret pœnas Hæreticorum.

Idololatria *imperfecta* dicitur, cum quis sciens unum esse Deum, nec proinde credens in idolo esse divinitatem, tamen *ex summa perversitate voluntatis vult ipsi deferre honorem divinum;* vel ex odio et formali contemptu Dei, vel ex desiderio aliquid a dæmone obtinendi, aut ex alio pravo affectu.

Hæc autem idololatria, quamvis non habeat errorem intellectus adjunctum, gravissimum est peccatum, imo priori deterius, quia cum majori cognitione et malitia committitur.

Denique idololatria *simulata* dicitur, quando quis, sine æstimatione divinitatis in idolo, et sine interno affectu submissionis, huic tamen exhibet *exterius cultum latriæ*, v. g., ob mortis metum; et hæc idololatria est etiam peccatum mortale, quia est mendacium perniciosum contra præceptum confitendi fidem, honori divino valde injuriosum et hominibus scandalosum. Hinc Ecclesia tantopere horruit eorum crimen qui, vel gravissimorum tormentorum metu, idolis thus adolebant Hinc S. Augustinus, lib. 6, *de Civit.*, c. 10, graviter arguit Senecam : « Quia, inquit, illustris populi Romani Senator erat, volebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat... eo damnabilis quod illa, quæ mendaciter agebat sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret. » Vide S. Thomam, 2. 2, q. 94.

PROPOSITIO

102. — *Idololatria præcepto divino et naturali est prohibita.* Certum est.

Prob. tum ex I Decalogi præcepto, quod sic expressum est : *Non habebis deos alienos coram me;* et de idolis ait : *Non adorabis ea, neque coles,* id est, *non adorabis interius neque coles exterius,* ut ait Glossa : tum ex ipso dictamine rationis naturalis, aperte docentis creaturæ non esse tribuendos divinos honores. Imo S. Thomas, 1. 2, q. 94, a. 3, ait idololatriam ex se esse gravissimum peccatum, licet ex parte ipsius peccantis aliud peccatum possit esse majus : « Sicut enim in terrena Republica, inquit, gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem regium alteri impendat quam vero regi, quia, quantum in se est, totum Reipublicæ perturbat ordinem; ita *in peccatis,* quæ *contra Deum* committuntur *quæque sunt maxima, gravissimum* esse videtur quod aliquis *honorem divinum creaturæ impendat,* qui, quantum in se est, facit alium Deum in mundo, *minuens principatum divinum.* »

PUNCTUM II

De Magia.

103. — Magiæ notionem, species, existentiam et illicitatem jam exposuimus et statuimus in Tract. *de Angelis,* n. 129 et seq. Hic igitur quædam tantum addenda supersunt.

Magia, ex ibidem dictis, est *ratio mira operandi, dæmonis industria;* et ideo semper implicat aliquod pactum sive expressum sive tacitum cum dæmone. Itaque

104. — *Quæritur* 1° quandonam pactum cum diabolo sit expressum, vel tacitum?

Resp. — *Expressum* est illud pactum, quando quis postulat a dæmone aliquam cognitionem aut operationem, vel *expressis verbis* rogando, vel *expressa intentione* aliquid faciendo ut se immisceat, vel aliquid operando per quod *scitur* ipse dæmon cooperaturus, sive sit petitio simplex sine ulla promissione vel pacto ex parte petentis, sive adjunctum habeat pactum expressum, quo petens se obligat ad obsequium dæmonis aut ad perpetuam cum eo societatem, si ad divinandum vel operandum adjuvet.

Tacitum est autem, quando *serio et cum reflexione* adhibentur media vana et observationes inutiles, quæ ad occultorum notitiam vel ad aliquam operationem nullam vim habent neque naturaliter, neque ex institutione Dei. Qui

enim ea serio adhibet, *tacite dæmonis opem petit, quamvis forte non habeat intentionem illum invocandi;* siquidem talis notitia quæsita, vel talis operatio a solo dæmone potest exspectari, cum constet hujusmodi media a Deo non esse instituta, nec a bonis Angelis adhiberi, nec a causa naturali procedere.

105. — *Quæritur* 2° quænam sint *signa* diabolicæ superstitionis?

Resp. Signa hujusmodi sumuntur vel ex parte effectus producti, vel ex parte causæ producentis.

1. *Ex parte* effectus producti, toties signum est magicæ superstitionis, quoties effectus productus superat omnem humanam industriam, et aliunde constat illum non esse a Deo; tunc enim necesse est ut sit a diabolo, v. g., præstigiosa mortuorum visio, momentanea translatio in locum remotum, transformatio, Astrologia judiciaria circa actus *liberos* et eventus *casuales*, quæ ideo a Conciliis, SS. Patribus, et SS. Pontificibus est reprobata, imprimis ex Bulla *Cœli et terræ*, Sixti V, anno 1586 data. Imo et a jure civili sæpius est prohibita. Adde quod juxta Codicem Pœn. art. 479, n. 7, qui divinandi vel somnia explicandi artificium exercent, mulcta pecuniaria et etiam aliquando carcere plectendi sunt; art. 480. 481, ibidem.

2. *Ex parte* causæ producentis, signa sunt magicæ superstitionis, 1. si fiat *expressa* invocatio dæmonis; 2. si causa adhibita *prorsus insufficiens* sit ad talem effectum producendum; 3. si causæ ex se efficaci adjungatur *circumstantia vana* tanquam *necessaria :* v. g., si proferantur nomina falsa, ignota, ridicula; si remedia componi debeant ex herbis tali die, v. g., S. Joannis, præcise collectis; si jumenti vena debeat aperiri certa die alicui Sancto dicata; 4. si adhibeantur *res sacræ* ad effectum *vanum*, vel inutilem, aut ad effectum ad quem nec a Deo, nec ab Ecclesia sunt institutæ, aut cum circumstantia vana tanquam necessaria, v. g., si immergatur statua Sancti alicujus ad obtinendam pluviam, aut si ad impetrandam sanitatem requirat aliquis ut Missa celebretur cum ornamentis coloris

incongrui, vel cum insolito cereorum numero aut colore; in his autem ultimis casibus, peccato magicæ superstitionis adjungitur sacrilega rerum sanctarum profanatio, in confessione declaranda.

106. — *Quæritur* 3° an, qui vanis illis utitur mediis, *expresse excludendo pactum cum dæmone*, sit ab omni peccato immunis?

Resp. Negative. Nam homo ille pugnantia vult et contraria; verbis enim non vult pactum expressum, actibus autem vult implicitum, quatenus vult uti mediis, quæ nonnisi dæmonis interventu utilitatem habere possunt. Neque refert quod propter experientiam credat illa esse utilia; experientia enim est ab ipso dæmone procurata. Si vero bona fide credat esse a Deo, in hoc decipitur, et materialiter saltem facit quod de se includit pactum tacitum; at poterit excusari vel a toto, vel a tanto, secundum gradum ignorantiæ, qua laborat.

107. — *Quæritur* 4° quotuplex sit *divinationis* species?

Resp. 1. Divinatio ex parte *pacti* duplex est : alia nempe quæ fit cum expressa dæmonis invocatione, alia quæ fit cum tacita solum invocatione, ut supra dictum est; 2. Ex parte *medii* quod adhibetur, multiplex est, scilicet, *Necromantia*, quæ fit per mortuos in speciem suscitatos; *Chiromancia*, quæ per lineas manus; *Augurium*, quod per garritum avium; *Aruspicium* et *Auspicium*, quæ per animalium viscera, motum et numerum; *Astrologia judiciaria*, quæ ex situ et concursu siderum liberas hominum actiones prædicit; *Sors divinatoria*, quæ per sortes rei occultæ vel futuræ cognitionem inquirit, ut cum ex cribri versione divinantur fures, aut ex taxillorum projectu prædicitur quis victoriam sit reportaturus; hæc tamen ex speciali Dei impulsu fieri potest et esse licita; unde ea usus est Josue, 7, v. 14. Est et alia divinatio *per somnia*, quæ, extra casum extraordinariæ Dei operationis, vere utique superstitiosa est, Levit. 19, v. 26, et Deut. 18, v. 10, 12, graviter prohibita.

108. — *Quæritur* 5° quotuplex sit *vanæ observantiæ* species?

Resp. Alia est quæ fit cum expressa dæmonis invocatione, alia cum implicita et tacita. Istius triplex est species: 1ª est *Ars notoria*, qua quis, ad scientiam aliquam repente et sine studio acquirendam, adhibet media vana et improportionata, ut ignota verba, certas preces, aliquam potionem, etc.; 2ª est *Observantia sanitatum*, qua ad morbos curandos similiter usurpantur media vana aut vanis admixta circumstantiis, ut supra explicatum est; 3ª est *Observantia eventuum*, qua quis ex eventu fortuito, puta ex inversione salinæ super mensam, ex offensione pedis in egressu, etc., aliquid prosperi vel adversi conjicit, et inde suas actiones moderatur; cum enim ista nullam habeat vim naturalem aut supernaturalem ad ea mala vel prospera annuntianda, observantur ut signa vana, quibus cooperatur dæmon, ut animas hominum talibus vanitatibus implicet, et a Deo ac virtutibus avertat.

109. — Ex dictis circa magiam, facile colligitur quid sit sentiendum de virga bifurcata, quam divinatoriam vocant. Licet virgæ hujus, certo quodam modo adhibitæ, et in quibusdam circumstantiis motum ac conversionem physice explicare conati sint nonnulli, illius tamen usum in sequentibus casibus omnino vitiosum esse et superstitiosum apud omnes facile constare debet: 1. *ubi agitur de detegendis agrorum absconditis limitibus;* ratio est, quia lapis ex hominum instituto ad constituendum agri limitem designatus, nihil habet physici, quod non habeat alius lapis, ideoque virga, quæ non movetur circa secundum, naturaliter moveri non potest circa primum. 2. *Quando virgæ motus et conversio pendet ex agentis interiori intentione*, adeo ut non moveatur illa, nisi circa ea, quæ inquiruntur; ratio est, quia causæ naturales et physicæ in iis circumstantiis eumdem semper et necessario suum producunt effectum, independenter a cujuslibet libere agentis intentione; ergo, si virgæ motus pendeat ab ea utentis intentione, non agit ut causa naturalis et physica, sed virtute superioris agentis, quod quidem non nisi diabolus esse potest. Jam vero, si in duplici præcedenti casu *certo* superstitiosus est virgæ usus, gravis ingeritur in quemlibet ejusdem virgæ usum superstitionis suspicio, ratione cujus in quibuscumque circumstantiis reprobandus videtur.

110. — *Quæritur* 6° an maleficium distinctam specie

malitiam præter magicam superstitionem contineat, et quibusnam remediis uti liceat ad dissolvendum maleficium?

Resp. 1. Cum per maleficium proximo nocumentum inferatur, injustitiam continet, quam maleficus reparare tenetur, damnum illatum resarciendo.

2. Remedia maleficiorum alia sunt naturalia, alia supernaturalia, alia moralia. Quod spectat ad remedia *naturalia*, illa initio sumenda sunt ex præscripto medicorum, adhibendo ea quæ apta sunt ad purgandos humores, quibus utitur dæmon ad mentem vel imaginationem turbandam.

Remedia *supernaturalia* seu spiritualia sæpe magis prosunt, maxime oratio frequens cum magna fide, spe, conscientia pura, sacramentorum, præsertim Eucharistiæ usus, sacrificium Missæ, bona opera, præsertim misericordiæ et humilitatis, jejunia, item exorcismi, aqua benedicta, Agnus Dei, aliæque res ab Ecclesia benedictæ, reliquiæ, cultus Angeli Custodis, signum sanctæ crucis, cujus comperta vis est contra dæmonis machinationem, invocatio nominis Jesu et Mariæ.

Moralia remedia sunt amotio vel destructio signorum magicorum vel annulorum, characterum, ligaturarum, etc., ad quorum præsentiam dæmon infert nocumentum.

Si enim certum sit ea sine novo maleficio dissolvi posse, ex communi sententia, licitum est cuilibet ea tollere vel maleficium ad id cogere; quia hæc dissolutio non includit societatem ullam cum dæmone aut ejus invocationem, sed potius hostilem cum eo animum significat. Verum, si constet, aut probabile sit, vel dubium, maleficium a malefico sine nova operatione magica dissolvi non posse, peccarent certe mortaliter qui eum quamvis paratum ad hoc inducerent; quia nunquam licet ab alio petere id quod est intrinsece malum, nec sunt facienda mala, ut eveniant bona, inquit Apostolus.

PUNCTUM III

De peccato Cultus illegitimi.

111. — Cultus illegitimus dicitur *cultus quo reipsa Deus inhonoratur, vel quia non sumuntur res aptæ ad colen-*

dum Deum, vel quia non assumuntur quando et quomodo oportet.

Vitiosum esse hujusmodi cultum et consequenter illicitum, per se patet, constabitque ex explicatione diversorum modorum cultus illegitimi : nam alius est *falsus*, alius *superfluus*.

112. — Cultus *falsus et perniciosus* ille est, qui *in mendacio est fundatus :* v. g., si quis Deum colere velit circumcisione aliisque cæremoniis judaicis, quæ Ecclesiæ sensu significant Christum nondum venisse; item, si quis falsas reliquias proponat, vel falsis testimoniis, seu historiis, aut miraculis, doctrinam Fidei et Religionis Christianæ confirmare velit. Hæc enim mendacia in rebus ad Religionem pertinentibus sunt perniciosa, et *ex genere suo* mortalia, teste S. August. lib. de Mendacio, cap. 14 : « Primum est, inquit, evitandum capitale mendacium longeque fugiendum quod fit in doctrina Religionis, ad quod mendacium nulla conditione quisquam debet adduci. »

113. — Cultus *superfluus* dicitur ille, qui mendacium non continet quidem, sed ex alio defectu inanis est, ex eo quod adhibeatur, Dei colendi gratia, *id quod non est secundum Dei vel Ecclesiæ institutionem, aut communem consuetudinem ;* unde per id potius inhonoratur quam colitur. Primo hoc vitio laborare solent rustici et idiotæ, quorum devotio et pietas in eo tota consistit, ut *certum numerum* precum, stationum, girationum, candelarum, jejuniorum. etc., observent, vel diebus Sabbati abstineant ab unguibus resecandis, serere nolint, etc., quamvis alia opera servilia exerceant. Secundo vitio laborant qui, contra Ecclesiæ statutum vel rubricas, cæremonias in Officio aut in Missa addunt, vel devotionis causa, contra expressam Concil. Trid. doctrinam.

Observant tamen Doctores multi superstitiones has cultus superflui non excedere culpam venialem, quando ex bona intentione fiunt et ex ignorantia quæ affectata non sit aut crassa; quia tunc non videtur esse gravis in Deum irre-

Peccat. L. is transgressed by superfluous worship

verentia : erit tamen culpa mortalis, 1, si adsit magia et pactum tacitum cum dæmone; 2. si id fiat contra præceptum expressum in materia gravi, v. g., si fit notabilis inversio in cæremoniis Missæ; 3. si in cultu adhibeatur actio per se mala, ut turpis cantilena, etc.; 4. si adsit contemptus Dei, vel rubricarum aut statutorum, vel aliorum scandalum.

Cæterum, cum illi modi cultus superflui valide sint diversi, et pro iis diversa dari debeant remedia a prudente Confessario, ideo distincte explicandi sunt in confessione, quoties malitiam peccati mortalis attingunt.

CAPUT II

DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO

114. — *Quæritur* quodnam sit *secundum* Decalogi præceptum?

Resp. Secundum Decalogi præceptum his verbis continetur, Exodi, 20, v. 7 : *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra*, id est *temere*, sine causa et absque reverentia, præsertim ad confirmandum falsum.

Cum autem præceptum hoc, ut dictum est, n. 9, spectet generatim reverentiam Deo tribuendam, negativum quidem est primario et directe, affirmativum vero indirecte et consequenter. *Quatenus affirmativum*, præcipit ut debita Deo reverentia exhibeatur, tum ea recte faciendo, quæ sub ejus nominis attestatione promissa sunt, tum vota exsolvendo, tum etiam religiose tractando quæcunque ad Deum pertinent, etc.

At vero, *quatenus negativum*, prohibet ne quid injuriosum in Deum committatur, ideoque proscribit non solum juramentum irreligiosum et voti prævaricationem, sed et cæteras irreligiositatis species, blasphemiam, tentationem Dei et sacrilegium, de quibus supra egimus. Superest ergo ut de juramento disseramus, et de voto.

ARTICULUS PRIMUS

De Juramento.

Dicimus 1° de natura et speciebus juramenti; 2° de juramento licito et illicito; 3° de obligatione juramenti promissorii.

§ I

De notione et speciebus Juramenti.

115. — *Quæritur* 1° quid sit *juramentum?*

Resp. Juramentum est *attestatio Dei ad confirmationem rei quæ asseritur, vel promittitur.*

Dicitur 1 : *attestatio*, id est, advocatio et assumptio Dei in testem, seu actio per quam Deus in testem adducitur.

Dicitur 2 : *attestatio Dei;* juramentum enim fit ad confirmandum aliquid per infallibile testimonium, quale est solius Dei, qui nec aliquid ignorare, nec mentiri potest. Juramenta ergo Ethnicorum per falsos deos non sunt vera juramenta, nec obligant nisi forte ex eorum conscientia erronea : at juramenta per creaturas in quibus specialiter elucet sanctitas, bonitas, potentia vel majestas Dei, v. g., per Evangelium, Reliquias, Crucem, altare, Ecclesiam, Fidem Catholicam, Angelos, item per cœlum, terram, solem, etc., censentur vera juramenta, quia tunc non ipsæ creaturæ invocantur, sed tacite vel implicite Deus, qui in illis singulari modo elucet aut residet, assumitur in testem, sicut Christus Dominus, Matth. 23, v. 22, explicuit, dicens : *Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei et in eo, qui sedet super eum.* Hoc autem intelligi non debet de creaturis ignobilioribus; v. g., per hanc paleam, vestem, etc., censetur illusorium, nisi intendatur vel addatur expressa relatio ad Deum, v. g., per hunc ignem Dei.

Dicitur 3 : *ad confirmationem;* quia finis juramenti est confirmatio veritatis cum tanta certitudine, ut sufficiat ad finiendam omnem controversiam : *Omnis* enim *controversiæ finis, ad confirmationem, est juramentum*, Hebr. 6, v. 16; ad quod *requiritur* et *sufficit* divinum testimonium, tanquam solum infaillibile.

Dicitur 4 : *rei quæ asseritur vel promittitur;* quibus verbis significatur objectum et præcipua juramenti divisio in *assertorium* et *promissorium*.

116. — *Quæritur* 2° quotuplex *sit juramentum?*

Resp. Juramentum 1. ratione *subjecti*, est *internum*, vel *externum*, prout fit solum in mente per verbum mentis, vel exprimitur exterius per verba vel facta. Externum est *verbale*, *reale* et *mixtum*. *Verbale* solis verbis peragitur; *reale* solis actionibus, v. g., manus elevatione, contactu rerum sacrarum, etc., *mixtum* verbis simul et actionibus, nempe, quando verbis attestationem Dei exprimentibus additur actio aliqua corporalis ad majorem solemnitatem et obligationem, v. g., contactus Evangelii.

2. Ratione *formæ*, est *invocatorium* et *imprecatorium*. *Invocatorium* fit per simplicem invocationem seu attestationem divini testimonii, quando scilicet Deus advocatur solum ut testis, v. g., *Deum testor*, *Testis sit mihi Deus*, *Per Deum*, *Per fidem Dei*, etc. Juramentum *imprecatorium* fit per exsecrationem seu imprecationem alicujus mali, quando scilicet Deus advocatur etiam ut vindex qui puniat, si verum non sit quod asseritur vel promittitur, v. g., *Moriar*, *Dispeream*, *Sic Deus me adjuvet*, *Diabolus me rapiat*, etc. Quibus jurandi formulis sicut malum imprecamur, si verum non dicimus, sic etiam bonum deprecamur, si verum dicimus.

Cum multæ dubiæ sint juramenti formulæ, istam proponimus regulam, nempe : hæc haberi non debent pro juramento, si ea proferens non habuit intentionem jurandi; secus, si talem intentionem habuit. Sic, v. g., formulæ, *novit Deus*, *coram Deo loquor*, non exprimunt juramentum, si *narrative* proferantur; secus vero, si *invocative*, quod ex circumstantiis, vel ex intentione loquentis dignoscitur, nec exprimunt juramentum formulæ : *Est tam verum hoc*, *quam ego existo*, *quam Deus existit*, *quam sum præsens*, *per fidem meam*, *per fidem honesti viri*, *per fidem regis*, *per conscientiam*, *moriar* vel *diabolus me rapiat*, *nisi ita sit*. Imo, juxta S. Ligor. n. 138, et alios, juramentum non est dicere *juro*, vel *juro ita esse*, nisi præcesserit interrogatio de juramento præstando. Cæterum ab omni ambigua juramenti formula abstinere debent fideles, præsertim vero

Sacerdotes et Clerici, tum quia periculosa sunt, tum quia scandalum generant, juxta illud Eccli. 23, v. 17 : *Indisciplinatæ loquelæ non assuescas os tuum ; est enim in illa verbum peccati.*

3. Ratione *objecti* est *assertorium* et *promissorium*. Assertorium fit solum ad confirmandam aliquam veritatem seu assertionem, v. g., *Testis est mihi Deus, quod nihil adversus Petrum habeam odii...* Juramentum *promissorium* vero ad quod reducitur *comminatorium*, est illud quod, ultra præsentem veritatem, adducitur Deus ad confirmandam aliquam promissionem seu obligationem in futurum. In hoc quidem juramento promissorio semper includitur assertorium, quia qui de aliquo opere faciendo jurat, ille Deum testem adducit, quod scilicet, in præsenti habeat voluntatem id faciendi ; insuper vero Deum quasi testem seu fidejussorem facit se postea opus facturum : v. g., *Per Deum juro me aureos mille tibi daturum.*

4. Juramentum est *simplex* vel *solemne*. *Simplex* est illud, quod fit per simplicem et puram Dei invocationem, verbis signisve expressam. *Solemne* vero est illud, quod fit peculiari ritu aut cæremonia secundum legem aut consuetudinem verbis addita : tale est juramentum quod fit tactis Evangeliis, ara, cruce, etc., vel etiam coram notario, testibus, etc.

5. *Judiciale* est, vel *extra judiciale ; absolutum* vel *conditionale, sincerum* vel *dolosum*, etc., quorum naturam, utpote manifestam, definiri non necesse.

§ II

De licitate Juramenti.

PROPOSITIO

117. — *Juramentum, si debito modo fiat, est licitum et actus religionis.* De fide est.

Prob. 1° Deuter. 6. v. 13 : *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis.* Et Psalmo 62, v. 12 : *Laudabuntur omnes qui jurant in eo.*

2° Exemplo Sanctorum, Abraham, Jacob, Moysis ; item S. Pauli, qui in Epistolis suis aliquoties juravit : imo de ipso Deo dicitur, Psal. 109, v. 4 : *Juravit Dominus*, etc.

Ratio est, quia juramentum est actus latriæ, quo reverentiam exhibemus Deo tanquam majori, cujus testimonium sit omni alio majus et infallibile. S. Thomas, 2. 2, q. 89, a. 4.

118. — *Obj.* Christus prohibuit omne juramentum, Matth. 5, v. 34, 37, cum dicit: *Ego autem dico vobis non jurare omnino... Sit autem sermo vester, est, est; non, non, quod autem his abundantius est, a malo est.* Item Jacobus, 5, v. 12; ergo etc.

Resp. His locis prohibentur solum juramenta vana vel juramenta per creaturas, quorum apud Judæos invaluerat consuetudo, non autem religiosa juramenta. Jubet quidem Christus, ut abstineamus ab omni juramento, quantum in nobis est atque in communi colloquio et conversatione; sic enim veraces vult esse discipulos suos, ut quilibet iis credat nec jurantibus : at non prohibuit juramentum, ita ut in nullo casu sit licitum.

Porro etsi juramentum ex se bonum sit, non est ideo frequentandum, sed est ex illorum bonorum genere quæ, posita tantum necessitate, sunt appetenda, ut medicina supposito morbo. Ita ex S. August. S. Thomas, *ibid.* a. 5. Quocirca hæc veritas non est populis proponenda, ne in juramenta prorumpant incaute.

119. — *Quæritur* quænam conditiones ad licite jurandum requirantur?

Resp. Tres conditiones ad licite jurandum omnino requiruntur, juxta illud Jerem. 4, v. 2 : *Et jurabis, vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia.*

Et quidem 1. *veritas*, ut vera et moraliter certa sit propositio, quæ juramento confirmatur.

2. *Justitia*, ut res, cum juramento promissa sit bona et honesta.

3. *Judicium*, ut res, quæ asseritur vel promittitur, sit gravis momenti, ad hoc ut juramentum cum magna discretione, reverentia et gravis necessitatis vel utilitatis causa proferatur.

Quod si una de his conditionibus desit, illicitum erit ac perversum juramentum, proindeque peccatum, ut mox dicemus.

§ III

De irreligioso Juramento.

Triplex est juramentum irreligiosum, scilicet, *falsum*, cui deest veritas, *injustum*, cui deest justitia et bonitas, seu quod fit pro re illicita; *indiscretum*, cui deest judicium, seu quod fit pro levi et vana causa. Quæritur autem an triplex illud juramentum sit semper peccatum mortale.

PROPOSITIO PRIMA

120. — *Juramentum sine veritate præstitum, est semper peccatum mortale ex natura sua, quantumlibet levis videatur materia.* Certum est.

Prob. 1° *Script. Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui;* Levit. 19, v. 12.

2° *Ex SS. PP.* S. Aug. *Serm.* 28, *de Verbis Apostoli*, c. 2, sic loquitur : « Quia *grave* peccatum est *pejerare*, compendium tibi dedit Scriptura : *Noli jurare.* » Et *Epist.* 47 alias 153; « Sine ulla dubitatione minus malum est per Deum falsum jurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter : » atqui peccatum mortale est juramentum per deos falsos præstitum; ergo a fortiori perjurium, quod est, inquit infra S. Doctor, « immane peccatum, a quo nos longe esse voluit qui omnino ne juremus, admonuit. »

3° *Ratione.* Qui enim jurat pro mendacio, quamvis levissimo, ille Deum in testem adducit in confirmationem rei falsæ, quod in gravem semper irreverentiam Dei cedit, quatenus per hoc dat intelligere, juxta mentem suam Deum falli aut fallere posse, testificando ut verum quod falsum est.

Accedit censura hujus propositionis ab Innocentio XI damnatæ : « Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam Deus *velit* aut *possit damnare hominem.* »

121. — *Quæritur* quotuplex distingui potest *modus* jurandi *sine veritate?*

Resp. Triplex. *Primus* est, si quis jurat id *quod falsum esse novit*, vel *putat*, quamvis contingat id esse verum : et

hic modus est perjurium proprie dictum, seu mendacium juramento confirmatum, semper mortale, nisi desit advertentia.

Secundus modus est, *quando quis juramento confirmat id quod verum esse estimat, sed incaute et temere, cum certus non sit rem ita se habere ut asserit;* et hic modus ratione periculi jurandi falsum, est etiam peccatum mortale perjurii; potest tamen fieri veniale ex parvitate periculi, puta, quia jurans aliquam adhibuit diligentiam, sed non omnino sufficientem, vel quia probabilibus indiciis rem novit, sed non moraliter certis.

Huc pertinet prava consuetudo jurandi ad quodlibet dictum, non advertendo an verum sit quod juratur, necne; quæ consuetudo reprobatur in Scripturis, Eccli. 23, v. 9 : *Jurationi non assuescas os tuum, multi enim casus in illa;* et v. 12 : *Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga.* Hæc ergo consuetudo constituit hominem in proximo periculo sæpius jurandi falsum, imo toties, quoties jurat sine ulla cautione; ideoque, si quis hoc periculum advertens, consuetudinem hanc non retractat efficaci proposito faciendi quod in se est, ad illam emendandam, omnia ejus perjuria etiam indeliberata, quibus voluntarie se exponit, censebuntur *voluntaria in causa,* nempe in tali consuetudine, quam non vult exstirpare.

Tertius modus jurandi sine veritate requisita est, quando quis *ambigue jurat,* utendo scilicet amphibologia et æquivocatione; sed de hoc alibi.

PROPOSITIO II

122. — *Juramentum cui deest justitia, est peccatum mortale, saltem si sit de re mortaliter mala.* Certum est.

Prob. 1° ex cap. *Qui Sacramenta,* causa 22, quæst. 4, ubi sic legitur : « Qui Sacramento se *obligaverit,* ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat; pro perjurio, uno anno a Communione Corporis et Sanguinis Domini segregatus, reatum suum eleemosynis, fletibus, et quantis potuerit jejuniis absolvat. » Ex quibus patet juramentum de re graviter mala esse grave peccatum, cum et perju-

rium appelletur, et tanta pro eo pœnitentia imponatur.

2° *Ratione.* Quia ita jurans vel non habet animum exsequendi, vel habet : si prius, stricte perjurus est, mendaciumque juramento confirmat, cum juret se exsequi velle quod reipsa non vult exsequi. Si posterius, tripliciter peccat, 1. quatenus vult rem malam perficere; 2. quia Dei majestatem lædit, cui contumeliam infert, dum eum testem vocat efficacis suæ voluntatis lethaliter peccandi; 3. quia Dei sanctitatem graviter offendit, dum illius interposito nomine se obfirmat in voluntate peccandi, sicque Deum facit quasi fidejussorem mali.

123. — Hinc juramentum de peccato veniali faciendo videtur pluribus etiam esse mortale, propter gravem injuriam quam continet.

Sicut enim, aiunt, peccat mortaliter qui mendacium leve juramento confirmat, quia magnam infert injuriam divinæ veracitati; ita a pari juramentum de faciendo peccato veniali debet reputari grave peccatum, propter gravem injuriam, quæ fit divinæ sanctitati, quatenus jurans veluti adducit auctoritatem Dei, ut se obliget ad peccandum : quod est significare Deum confirmatorem mali. Dicunt tamen nonnulli esse duntaxat veniale peccatum, si jurans intendat solummodo Deum vocare *testem præsentis dispositionis*, non autem ex Dei interposito nomine se *obstringere ad peccandum venialiter*.

Addit S. Thomas, 2. 2, q. 89, a. 7, *peccaturum eum, qui juraret se non facturum aliquod bonum notabile*, quamvis ad illud non obligetur; v. g., se non ingressurum religionem, quia ponit obicem Spiritui Sancto. Et Catechismus Romanus gravis peccati reum esse pronuntiat, qui jurat se non servaturum consilia evangelica, quia tale juramentum includit contemptum Dei.

PROPOSITIO III

124. — *Juramentum cui deest judicium, seu quod fit sine gravi causa, est peccatum contra secundum præceptum Decalogi.* Certum est.

Prob. Exodi 20, v. 7 : *Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra;* et ex verbis Jeremiæ supra relatis, ubi inter conditiones ad juramentum licitum requisitas, ponitur judicium seu discretio; et revera, juramentum cum sit res sanctissima, non debet adhiberi promiscue, sed cum pietate et magna reverentia.

Difficultas est solum an hujusmodi juramentum veniale sit, an mortale. Quibusdam grave peccatum esse videtur; gravis enim, aiunt, Deo irrogatur injuria, cum in rei inutilis confirmationem testis adducitur. Deinde, ex vi terminorum secundi præcepti Decalogi, prohibitum videtur duntaxat juramentum *indiscretum :* at illud specialiter Deus non prohibuisset, si ex se leve esset. Alii tamen communius reputant juramentum sine judicio esse veniale tantum per se, id est, secluso *scandalo* et *periculo pejerandi*, quia est tantum vana usurpatio nominis Dei.

Dicitur : *absque scandalo et periculo pejerandi*. Ratio hujus conditionis per se patet. Sed quælibet speculative seligatur opinio, hanc regulam firmam sibi proponent sequendam in praxi Confessarii, nempe reos peccati mortalis habendos esse, qui detinentur consuetudine non retractata jurandi sine attentione, *sive verum hoc an falsum, quod jurare solent.*

Cæterum, attendant Confessarii quod pœnitentes juramenti nomine significant tum *blasphemias* contra Deum, tum *imprecationes* et *maledictiones* contra se et proximum : quæ peccata sunt valde diversa.

§ IV

De Juramenti promissorii obligatione.

Dicemus 1° de obligatione quam affert; 2° de causis impedientibus ne contrahatur illa obligatio; 3° de causis eam auferentibus.

NUMERUS PRIMUS

De obligatione adimplendi Juramentum promissorium.

PROPOSITIO

125. — *Juramentum promissorium affert obligationem faciendi quod juramento promissum est.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Numer, 30, v. 3 : *Si quis... se constrinxerit juramento, non facit irritum verbum suum; sed omne, quod promisit, implebit.* Et Matth. 5, v. 33 : *Reddes autem Domino juramenta tua.*

2° *Ratione.* Nam religio graviter obligat, ut homo faciat id esse verum quod juravit, ut ait S. Thomas; ne vel Deum faciat testem falsitatis, quantum in se est, vel saltem ne, violando promissionem ipsius Dei testimonio confirmatam, auctoritatem ejus parvi-pendere videatur, quod certe gravis est irreverentia, et peccatum ex genere suo mortale.

126. — *Quæritur* 1° an perjurium promissorium possit fieri veniale, ratione parvitatis materiæ?

Resp. Non omnino constat. Quidam auctores negant, quia, inquiunt, gravem semper includit injuriam Deum adducere falsitatis testem. Alii communius cum S. Antonino putant illud fieri posse veniale ex parvitate rei promissæ, *præsertim* si materia illa parva non sit tota juramenti materia, sed pars duntaxat; v. g., si quis juraverit se daturum centum nummos, et aliquot asses retineat, secundum hanc sententiam non peccabit mortaliter : aliunde jurans *non intendit* ordinarie se obligare ad id totum, quod verba rigorose exprimunt, sed ad id tantum quod moraliter significant.

127. — *Quæritur* 2° an juramentum promissorium, si fictum sit, et sine intentione jurandi emissum, obliget?

Resp. Quamvis juramentum illud non sit proprie dictum juramentum, potest tamen gravem obligationem inducere ad id, quod promissum est : 1. quidem ratione justitiæ, quando scilicet fictio jurantis damnum proximo attulit. 2. Ratione scandali, quod sæpius sequeretur, si non fieret quod promissum est. 3. Ratione religionis, quatenus publica illa perjurii species in irreverentiam Dei cederet, cujus nomen adhiberetur ad alios decipiendos; unde in foro externo sic jurans cogendus est ad servandum juramentum secundum ordinarium verborum sensum, ut ait Alexander III, cap. *Ex rescripto.*

Hinc etiam ab Innoc. XI damnata est hæc propositio : « Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. »

NUMERUS II

De Causis impedientibus ne contrahatur obligatio per Juramentum promissorium.

Causæ illæ sumuntur vel ex parte *jurantis*, vel ex parte *rei* cum juramento *promissæ*, id est materiæ juramenti.

128. — I. *Ex parte personæ jurantis*, sæpe contingit ut impediatur obligatio juramenti promissorii, 1° defectu libertatis sufficientis; 2° si jurans habuit intentionem expresse limitatam; 3° si habuit intentionem limitatam tacite vel implicite, ex dispositione Juris aut ex recepta consuetudine : quæ tria fusius explicanda sunt.

1° Itaque *defectus libertatis impedit, quominus juramentum promissorium obligationem inducat;* ratio est, quia, cum obligatio illa sit sub peccato mortali, ad eam contrahendam ea saltem requiritur deliberatio seu libertas, quæ ad peccatum mortale sufficiat.

Utrum juramentum per vim aut *metum gravem* etiam *injuste* extortum obliget, controvertitur : communior sententia affirmat, quia vis et metus absolute non repugnant libertati. Hinc qui juravit pecunias se daturum latroni, tenetur implere juramentum ex vi religionis, ut patet ex cap. *Debitores*, de Jurejurando. Qui tamen sic juravit, potest ante solutionem petere dispensationem seu relaxationem juramenti, ut patet ex cap. *Verum*, de Jurejurando; et si jam solvit, jus habet petendi, ut debitor compellatur ad restituendum, ex eodem cap. *Debitores*. Alia sententia negat, quia juramentum nequit promissionem de jure naturali irritam confirmare; juramentum enim sequitur naturam actus, cui annectitur. Vid. Tract. *de Contract.*, n. 100.

2° *Obligationem juramenti impedit expressa limitatio intentionis jurantis*. Certum enim est jurantem, si dolum non adhibuerit, non obligari ultra suam intentionem expressam, quibuscunque verbis, etiam generalibus juraverit;

quia, ut ait S. Gregorius, citatus causa 22, quæst. 5, can. 11 : « Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant. Divina vero judicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur. » Quod si jurans non addidit expressam limitationem, nec evidenter constet de ejus intentione, non obligatur juramento, nisi juxta strictam interpretationem verborum, ut colligitur ex cap. *Ad nostrum*, 3 de Jurejurando.

3° *Obligationem juramenti impedit limitatio tacita intentionis, et subintellecta ex dispositione Juris vel ex consuetudine :* in omni enim juramento insunt et subintelliguntur conditiones quædam generales, quamvis non exprimantur, et ad tres possunt revocari.

Prima conditio est, *Si potuero*, vel, *Si licite potuero*, nam ad impossibile vel illicitum nemo potest obligari ; ita definit Nicolaus III, cap. *Contingit*, de Jurejurando, in Sexto.

Secunda conditio est, *Salvo jure alterius*, præsertim Superioris, ut patet ex cap. *Venientes*, de Jurejurando ; sic juramentum servandi secretum non obligat, si Superior legitime contradicat, vel irritet ex justa causa, vel dispenset.

Tertia denique, *Si res in eodem statu manserint*, neque adveniat mutatio, qua prævisa, non fuisset quis juraturus, ut colligitur ex cap. *Quemadmodum*, de Jurejurando. Hinc qui juravit se tali die jejunaturum, excusatur si eo die ægrotet, ut Doctores communiter censent quorum hæc est regula, juramentum non debere extendi ad incognita, sive ad ea quæ, si in mentem venissent, jurans verisimiliter excepisset.

Addunt communiter Doctores in juramento *subintelligi conditiones omnes particulares, quæ supponuntur adesse in actu, cui adjicitur juramentum*, quia jurans non censetur voluisse se obligare nisi sub talibus conditionibus particularibus ; juramentum enim est accessorium, quod sequitur naturam principalis, ex regula 42 Juris in Sexto. Hinc jurata sponsalia non obligant eum, qui religionem ingreditur ; et Clericus, qui juravit residentiam, potest abesse in casibus Jure concessis, ut colligitur ex cap. *Ex parte*, 2 de Clericis non residentibus,

129. — II. *Ex parte materiæ, impeditur ne juramento promissorio contrahatur obligatio,* 1. si materia seu res promissa sit in se impossibilis, vel illicita ac sub peccato prohibita, quia ex regula 6ª Juris : « Nemo potest ad impossibile obligari; » et ex regula 58ª : « Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum; » nam juramentum non est vinculum iniquitatis, Et probatur insuper ex cap. *Pervenit,* de Jurejurando, cap. *Si diligenti,* de Foro competenti. 2. Si juramento confirmata promissio *soli Deo facta,* sit de re vana, vel indifferenti, vel minus bona, quam sit res opposita, juramentum non obligat. Ratio est, quia Deo gratum non est ut, propter adductum ejus testimonium, fiant res vanæ, vel inutiles, vel minus bonæ, omissis melioribus.

(Neque Deus tunc dici potest fieri testis falsitatis : qui enim juravit, tacite subintellexit, *Si Deo magis gratum sit,* vel, *Nisi aliter expedire videatur.* Hinc non obligat jurata promissio non exeundi domo, vel domum aliquam non ingrediendi, nisi facta sit ex aliquo motivo honesto aut utili, puta ad vitandam peccati occasionem; non autem, si ex indignatione.)

Dixi : *si juramento firmata promissio soli Deo facta sit :* si enim cedat in alicujus hominis vel communitatis utilitatem, aut Ecclesiæ commodum, generaliter obligat, quamvis de re indifferente, vel minus bona, dummodo sine peccato impleri possit : ratio est, quia in promissione homini facta spectatur tantum quid sit illi gratius, non autem quid, pensatis omnibus, simpliciter melius sit, sicut in promissione Deo facta; n. 125.

NUMERUS III

De Causis auferentibus obligationem Juramenti promissorii.

130. — *Quatuor* sunt causæ propter quas juramentum promissorium desinit obligare : 1ª est materiæ mutatio; 2ª irritatio; 3ª remissio seu condonatio; 4ª dispensatio aut commutatio.

1° Quidem, quoad *mutationem materiæ,* ex dictis constat obligationem juramenti promissorii cessare, quando,

mutatis circumstantiis, res jurata fit vel impossibilis juranti, vel illicita ob Superioris prohibitionem; hinc S. Isidorus, relatus causa 23, q. 4, can. 5, ait : « In malis promissis rescinde fidem...; impia enim est promissio, quæ cum scelere adimpleretur. » In dubio tamen juramentum servandum est, quatenus licite potest servari.

2° Quoad *irritationem*, certum est vinculum juramenti posse aliquando ab eo auferri, qui est Superior jurantis, ut fusius dicemus de voto : sic juramenta impuberum a patre vel tutore possunt irritari; sic maritus potest irritare multa juramenta uxoris; dico, multa juramenta, quia superiores non possunt irritare omnia juramenta subditorum, sed ea solum quæ juri suo nocent.

3° Quantum ad *remissionem*, si juramentum promissorium principaliter factum sit in alicujus hominis commodum, obligatio ejus desinere potest per condonationem illius, in cujus utilitatem illud factum fuerat, dummodo condonatio illa non sit injuste extorta, ut patet ex cap. 1 de Jurejurando. Remissio autem hujusmodi expressa esse potest, vel tacita duntaxat, modo satis constet de intentione condonantis.

At, si juramentum principaliter factum sit in honorem Dei, quamvis in alicujus hominis gratiam, non poterit ab homine condonari istud juramentum, v. g., si quis juret se ingressurum religionem, daturum se eleemosynam pauperibus non designatis.

4° Quoad *dispensationem*, constat juramenta soli Deo facta posse commutari vel dispensatione relaxari a Superiore legitimo, ut dicemus de voto; in hoc enim vota et juramenta æquiparantur.

Dixi : *juramenta soli Deo facta;* quia, si confirment promissionem homini factam *et ab eo acceptatam*, ordinarie relaxari aut commutari non possunt *sine consensu* illius hominis, quia præter vinculum religionis, adest etiam vinculum justitiæ et jus homini acquisitum per promissionem acceptatam; quo jure privari non potest sine suo consensu. Sed ante acceptationem, multi Doctores putant dispensa-

tionem hujus juramenti dari posse a legitimo Superiore, quamvis id fieri non debeat nisi gravi de causa.

Potest autem aliquando relaxari, vel commutari promissio, etsi fuerit acceptata : 1° quidem, ex S. Th., 2, 2, q. 89, a. 9, quando dubium est an juramentum valeat, necne; vel an res promissa sit licita vel illicita, proficua vel nociva; 2° quando agitur de bono communi, v. g., si quis cum juramento promisit fore ut non denuntiet vel accuset reum; nam inde oriri posset criminum impunitas; 3° quando juramentum injuria, dono, vi, aut metu fuit injuste extortum : in his enim casibus Episcopus potest dispensare sine alterius consensu.

131. — Cæterum *quoad commutationem,* observandum est juramenta pia, intuitu solius honoris divini facta, posse, perinde ac vota, *proprio jurantis arbitrio* commutari in opera aperte meliora, ex cap. *Pervenit,* de Jurejurando; sed non ita posse commutari juramenta in alicujus hominis commodum facta : ratio est, quia Deus meliori opere semper præsumitur esse contentus. At vero homo, in cujus utilitatem factum est juramentum, non est semper contentus opere absolute meliori; ideoque, nisi sponte remittat, aut adsit aliqua causa excusans, servari debet juramentum, ut patet ex cap. *Cum contingat,* de Jurejurando.

ARTICULUS II

De Voto.

Dicemus de voti 1° natura et speciebus; 2° obligatione; 3° cessatione.

§ I

De natura Voti, et ejusdem speciebus.

132. — *Quæritur* 1° quid sit *votum?*

Resp. Votum est *promissio voluntaria et deliberata Deo facta de re possibili et meliori.*

Dicitur 1° : *promissio,* id est, actus voluntatis quo quis vult efficaciter se ad aliquod opus bonum obligare Deo. Hinc votum non est simplex propositum aliquid faciendi sine

obligatione. In simplici enim propositione vult quidem homo rem aliquam amplecti, sed non sub pœna novi peccati; at votum est spontanea fidei suæ seu fidelitatis obligatio, vovensque sibi novam intendit obligationem imponere rei faciendæ, tanquam Deo debitæ. Neque tamen requiritur, ut promissio manifestetur per verba aut actiones, sicut in promissionibus homini factis; sed sufficit voluntas actualis sese obligandi Deo, quæ ipsi satis est cognita : *Deus* enim *intuetur cor*.

In illa voluntate se obligandi consistit tota essentia voti, ita ut ille, qui *sine tali intentione* solis verbis aliquid Deo promittit, non voveat.

Dicitur 2° : *deliberata*, id est, facta cum ea saltem advertentia et libertate, quæ sufficiat ad peccandum mortaliter, juxta communem Doctorum sententiam. Cum enim obligatio voti sit, omnium judicio, res gravis momenti utpote sub peccato mortali obligans, magnam considerationem et plenum libertatis usum requirit : necessaria tamen non est diuturna deliberatio, vel mora temporis, sicut nec ad peccatum mortale requiritur. Aliunde, sedulo hortandi sunt fideles, præsertim mulieres et adolescentes, ut nunquam vota emittant, nisi de consilio vel approbatione confessarii, speciatim si agatur de voto castitatis.

Dicitur 3° : *facta Deo;* quia votum, cum sit actus religionis et latriæ, ut docent omnes, soli Deo fieri debet. Unde quæ interdum dicuntur fieri Sanctis, v. g., Beatissimæ Virgini, aut S. Petri, etc., vel non sunt proprie vota, sed promissiones religiosæ pertinentes ad cultum duliæ, si ipsis Sanctis immediate fiant; vel, si vera sint vota, fiunt soli Deo et in honorem tantum Sanctorum, quatenus fiunt de aliqua actione facienda ad Sanctorum cultum pertinente, aut cum invocatione Sanctorum, aut quatenus offeruntur Sanctis, ut ea ipsi Deo offerant.

Dicitur 4° : *de re possibili*, quia impossibilium nulla est obligatio; alia est autem possibilitas in voto, ac in lege; sub voto enim cadere possunt ea, quæ non cadunt sub lege; lex siquidem fit de bono; votum vero fieri potest quoque

V 15

de perfecto, dummodo non superet vires humanas divina gratia adjutas.

Dicitur 5° : *et meliori;* quibus verbis significatur qualis esse debeat materia voti.

1. Scilicet, oportet ut votum non sit de re mala et peccaminosa, sive sit mala in se, ut in voto occidendi hominem, sive ex fine principali et immediato voti, qui scilicet non solum voventis voluntatem, sed et voti materiam ac objectum inficiat, ut in voto dandi eleemosynam principaliter ad obtinendam vindictam, vel ad rem turpem consequendam.

2. Requiritur ut votum non sit de re vana et omnino indifferenti; Deus enim non curat de ejusmodi promissione.

3. Ut non sit de re minus bona, quam sit res opposita, id est, carentia rei promissæ, quia Deo grata esse non potest, nisi sit bona et honesta, et majus bonum non impediat; hinc, per se loquendo, non obligat votum nubendi, quia ordinarie, et extra specialem obligationem, melius est non nubere.

135. — *Quæritur* 2° *quotuplex sit votum?*

Resp. Votum multipliciter dividitur a Theologis : divisiones ex parte effectus, materiæ et formæ hic exponemus.

1° Ex parte *effectus*, votum est *absolutum*, vel *conditionatum*. *Absolutum* dicitur illud, quod fit simpliciter et sine conditione, v. g., voveo jejunium tali die; *conditionatum* est illud, quo res aliqua promittitur sub conditione, quæ conditio suspendit obligationem voti donec ea impleatur; v. g. : voveo peregrinationem, si sanitas patri restituatur. Attamen, quando conditio est de præsenti, vel de præterito, votum non censetur conditionatum : neque suspendit proprie obligationem, quia conditio est vel censetur jam in re posita. Hinc statim obligat votum sic emissum : voveo religionem, si pater vivit, vel si jam obiit; sed tamen obligatio non urgebit nisi cognita conditione.

2° Ex parte *materiæ*, votum est *personale*, *reale*, aut *mixtum*.

Personale est promissio alicujus actionis vel omissionis

personalis, ab ipsa persona vovente præstandæ, v. g., votum orandi, jejunandi, etc.

Reale illud est, quo promittitur præstatio vel remissio alicujus rei pretio æstimabilis, quæ non sit actio ipsius voventis, v. g., votum dandi eleemosynam, etc.

Mixtum utrumque complectitur, v. g., votum peregrinandi ad ædem Lauretanam, ibique offerendi calicem.

Vota personalia a solo vovente possunt impleri; ideoque post ejus mortem nullam relinquunt hæredibus obligationem ea adimplendi, nisi tamen in duplici casu, scilicet, 1. quando testator imponit hæredi adimplementum voti sui personalis tanquam conditionem ad hæreditatem adeundam : tunc hæres, adeundo hæreditatem, saltem implicite obligationem contrahit *ex justitia*, id præstandi, quod *ex voto* debebat reddere testator. 2. Quando hæres in se libens suscipit adimplendum votum personale defuncti; quia in specie iste est alter vovens; unde non est mirum si et ipse teneatur *vi voti*, quod emisit, ut patet ex c. 6. tit. 34, lib. 3 Decret.

Realia autem vota, et mixta in quantum realia sunt, hæres tenetur adimplere, saltem in quantum non superant vires hæreditatis, etiamsi absque promissione successerit, non quidem ex vi voti, sed *ex justitia*, quia, adeundo hæreditatem, implicite se obligavit ad adimplenda defuncti onera, et ad satisfaciendum oligationibus realibus, ut patet ex c. 6, tit. 26, lib. 3 Decret., et sub hoc respectu dicitur hæres repræsentare personam defuncti. Quid autem de voto sive reali, sive personali ab aliqua communitate emisso, statim dicetur.

3° Ex parte *formæ*, votum est solemne, vel simplex. *Solemne* quidem, quando ut tale habetur ab Ecclesia, et exinde producit quosdam speciales effectus; *simplex* autem est votum, quando ab Ecclesia uti solemne non habetur, nec ideo voti solemnis speciales effectus producit. Vide Institut. canon. Tract. 6, n. 55.

Jam vero, omnis homo, rationis expeditum habens usum, vovere potest, ut docent communiter Doctores cum S. Th. 2, 2. q. 88, a. 8, modo non adsit impedimentum. Impedimenta

autem sunt vel *Juris specialis dispositio*, quia, v. g., ætatem determinatam requirit pro votis religionis; vel *defectus plenæ libertatis* disponendi de materia, quæ vovetur, ut evenit in iis qui sunt sub potestate aliorum, v. g., in filiis familias, in conjugato, in domestico.

Imo ipsæ communitates vota emittere queunt, eisque se obligare, ut experientia constat, eaque vota edi possunt vel ad tempus, aut in perpetuum; atque, juxta omnes, talia vota, sive sint personalia, sive realia, reddenda sunt ab iis quoque, qui in eadem communitate sunt post mortem voventium, usquedum illa vota durant, tum temporanea, tum perpetua.

O At non consentiunt auctores de ratione, ex quo talia vota sunt adimplenda a voventium successoribus, an, scilicet, vi consuetudinis seu legis, an autem *vi voti*. Probabilior videtur sententia quæ tenet supervenientes in societatem teneri vi voti. Tale enim votum, ex hypothesi, emittitur a communitate, qua tali, seu uti personam moralem efformanti : atqui talis persona moralis eadem permanet, quandiu existit eadem illa communitas; ergo *vi voti* tenentur omnes, qui constituunt illam personam moralem, quandiu permanet. De Angelis, lib. 3, tit. 34, n. 2.

§ II

De obligatione Voti.

PROPOSITIO

134. — *Datur præceptum divinum de voto adimplendo, illiusque prævaricatio est grave peccatum ex genere suo.*

Prob. 1° *Script.* « Cum *votum voveris* Domino Deo tuo, non tardabis reddere : *quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* » Deuter. 23, v. 21. — « Si quid *vovisti Deo*, ne moreris reddere : *displicet enim ei infidelis et stulta promisso : sed quodcumque voveris, redde; multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere;* » Eccle. 5, v. 3, 4. Apostolus, de quibusdam viduis loquens, ait : *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, id est,

violaverunt promissionem servandæ castitatis Deo factam; I Tim. 5, v. 12. Ita enim SS. PP. et Concilia hunc textum interpretantur.

2° *Traditione.* S. August. *Epist.* 46, nunc 127, n. 8, sic loquitur : « Quia jam vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priusquam esses voti reus, liberum fuit, quo esses inferior...; nunc vero quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed *a magna iniquitate deterreo.* »

« Licet universis liberum sit arbitrium in vovendo, usque tamen *solutio necessaria post votum, ut sine proprio salutis dispendio, alicui non liceat resilire.* » Innoc, III, c, 6, 10, tit. 34, lib. 3 Decret. Ex hoc textu patet hujusmodi obligationem in materia gravi regulariter obligare sub gravi.

3° *Ratione.* Virtus religionis exigit ut promissiones Deo factæ exsolvantur. « Si enim inter homines bonæ fidei contractus nulla solent ratione dissolvi, inquit S. August. apud D. Thomam, quanto magis promissio Deo facta solvi non debet? » Malitia ergo prævaricationis voti consistit in perfidia contra fidelitatem in implendis promissis, vi religionis Deo debitam. Quod si materia voti jam aliunde sit præcepta, illius transgressio multiplicem habet malitiam : hinc fornicatio, post votum castitatis, non solum est peccatum contra castitatem, sed etiam contra religionem ratione tum infidelitatis, tum sacrilegii.

Dixi : *prævaricatonem voti esse grave peccatum ex genere suo;* potest tamen fieri venialis, tum ex defectu advertentiæ, tum ex levitate materiæ. v. g., si modicum quid omittatur in voto rei gravis. An autem violatio voti totius quod est in materia levi, venialis esse possit, res est controversa; communior tamen sententia docet, eo etiam in casu solum esse venialem, eo quod in virtute Religionis admittatur magis vel minus, excepto juramento assertorio, in quo Deus invocatur in testem veritatis illius, quod pronuntiatur. Insuper, sub levi voveri potest materia etiam gravis, quia votum est quasi lex privata pendens ab *intentione* legislatoris. Ita S. Lig.

Ea porro in votis censetur esse gravis materia, de qua

posset dari præceptum sub mortali obligans, seu quæ, vel per se, vel ex circumstantiis, ad honorem Dei, aut spiritualem voventis utilitatem notabiliter conducit; et ideo qui semel non implet et votum jejunandi, confitendi, Missam audiendi, etc., peccat mortaliter.

Hinc non solum peccant, qui vota sua violant, sed etiam, 1. qui sine causa præfinito tempore ea non implent; unde qui vovit jejunium tali die, peccat mortaliter, si eo die non jejunet, perinde ac si die ab Ecclesia statuto non jejunaret.

2. Item, peccant mortaliter qui absque causa, votorum, quorum etiam tempus non definierunt, executionem notabiliter differunt, si illa sint in materia gravi. Quanta autem dilatio sufficiat ad peccatum mortale vel veniale, non potest una regula definiri; hæc enim determinatio pendet tum ex materia voti, tum ex circumstantiis in aliquibus votis : v. g., in voto ingrediendi religionem minor requiritur dilatio, quam in aliis. Duos vel tres annos in omni voto gravi sufficere docet S. Lig. cum communi sententia.

135. — *Quæritur* 1° an vovens possit aut etiam aliquando debeat votum *ante* vel *post præfixum tempus implere?*

Resp. Istud definiendum est ex intentione voventis, aut ex natura voti. Tempus enim præfixum est vel præcise ad non ultra differendam solutionem, vel ad suspendendam obligationem : si fixum sit ad non ultra differendam solutionem, 1. potest prævenire tempus; qui enim, v. g., dicit, *Non differam ultra mensem mea confiteri peccata,* certe potest etiam incunte mense confiteri, nec ad hoc tenetur postremos mensis expectare dies, quia tunc absolute intra terminum obligat promissio.

2. Si prævideat vovens futurum esse impedimentum in posteriori parte temporis, tenetur prævenire terminum et in priori parte implere votum, quia, cum absolute debeat illud implere in aliqua præfixi temporis parte, consequens est quod, si non possit in una, teneatur in altera.

3. Si ultra determinatum tempus voti differat observationem, debet postea quamprimum implere, sicut debitor cui præfixus est mensis terminus ut solvat, a solvendo non

est immunis, elapso termino, sed postea solvere tenetur.

Si autem fixum sit tempus ad suspendendam obligationem, usque ad talem terminum, ita ut res promissa huic determinatæ diei sit affixa, v. g., in honorem Sancti vel Mysterii, cujus memoria celebratur, tunc tempus præveniri non potest, quia talis promissio habet pro objecto tempus illud, prout ab ab alio quovis tempore tum antecedente tum consequente distinguitur, nec vovens vovit actum nisi tali die faciendum; unde ante illum diem non obligat votum. Pari ratione, qui executionem talis voti suo tempore omisit, licet peccati pœnitentiam agere debeat, votum postea implere non tenetur; quomodo qui die festo non interfuit Sacro, sequenti die non ideo tenetur interesse.

136.— *Quæritur* 2° quid agendum in dubio circa votum?

Responsio pendet ex probabilismi systemate, quod quisque amplectitur, et ideo remittimus ad Tract. *de Act. hum.*, n. 138-143.

Quando solum dubitatur de *qualitate* vel *quantitate* rei promissæ, votum explicandum est secundum voventis intentionem; si de intentione non constet, hæc elicienda est ex conjecturis, ex materia, ex fine, aliisque circumstantiis. Si autem his inspectis, dubium supersit, votum debet intelligi ad communem et usitatam verborum, quibus vovens usus est, acceptionem. Si tandem verba non recordetur, juxta probabilistas et æquiprobabilistas, pars libertati favens eligi potest.

§ III

De cessatione Voti.

137. — Obligatio voti cessare potest ob causas intrinsecas, vel extrinsecas. Causæ *intrinsecæ* sunt *mutatio substantialis* materiæ, ita ut res promissa fiat vel impossibilis, vel illicita, vel minus bona quam res opposita; cessatio *causæ motivæ* seu finis principalis et proximi, propter quem emissum est votum; *impossibilitas moralis* votum adimplendi. Hujusmodi causas jam expendimus in Tract. *de Legibus*, n. 101, 103, et ideo illuc remittimus.

Extrinsecæ causæ sunt irritatio, dispensatio et commutatio voti, de quibus sigillatim dicendum venit.

NUMERUS PRIMUS

De irritatione Votorum.

138. — *Quæritur* quid sit irritatio votorum, quotuplex, et quinam vota irritare possint.

Resp. 1° Irritatio voti est ejus *annulatio* vel *suspensio* facta ab eo, cujus potestati *dominativæ subest voluntas voventis aut materia voti,* quatenus, qui votum illud emittit, censetur hoc emittere sub tacita conditione : *si ille* a quo dependet vovens, *consenserit, vel non contradixerit.* Dominativa autem potestas dicitur etiam *administrationis,* atque procedit ad instar illius, quam habet paterfamilias in domo sua; propterea nuncupatur *dominativa, œconomica, domestica.* Vide Inst. Canonic., Tract. 6, n. 156.

2° Irritatio duplex est, *directa* vel *indirecta. Directa* et absoluta est *totalis* annulatio voti ab eo facta, a cujus voluntate pendet *persona* ipsa seu *voluntas voventis.*

Indirecta autem et minus propria irritatio non est absoluta voti annulatio, sed potius ejus *suspensio* ab eo facta, a quo non pendet quidem absolute voluntas voventis, sed pendet *materia* talis voti, ita ut, si tale votum impleretur, illius juri et potestati nocumentum esset allaturum; quare, cessante tali nocumento et damno, iterum reviviscet votum et ejus obligatio.

3° Jam vero, 1. vota impuberum *directe* irritari possunt a patre, vel ab eo qui patris locum tenet, v. g., a tutore, ab avo paterno, et, eorum defectu, a matre, licet non sit tutrix; imo probabiliter a matre, etiam præsente, non tamen contradicente, patre vel tutore, ita ut nihil vovere possint impuberes, nisi subintellecta conditione : *Si pater vel tutor consenserit aut non repugnaverit.* Constat ex dispositione juris canonici et Ecclesiæ consuetudine. S. Ligor., n. 229, 230.

2. Sed etiam pater, aut qui ejus locum tenet, vota filiorum puberum emissa ante pubertatem, irritare potest, modo filii pubertatem adepti adhuc sint sub potestate paterna,

et vota non confirmaverint; imo probabiliter, etiamsi illa ratihabuerint, nescientes irritabilia esse, S. Ligor., n. 228.

Quoad autem *indirectam* irritationem, regula generalis hæc est : *Qui jus habet in materiam voti, id omne potest facere post votum, quod ante votum facere poterat, ita ut jus illius nullatenus ligetur voto supervenienti.*

Unde 1. S. Pontifex et Episcopus, imo et reges ac domini temporales, possunt irritare subditorum vota facta de rebus, quas *ante* votum poterant illis legitime prohibere, ex cap. *Magnæ*, de Voto.

2. Potest maritus indirecte irritare ea uxoris vota, quæ sibi ac familiæ suæ gubernationi nocent : non autem, ut fert probabilior opinio, alia vota, v. g., de brevibus orationibus, de castitate post viri mortem servanda, de moderato jejunio. Similiter uxor potest ea solum irritare mariti vota, quæ juri suo adversantur, ut vota quæ impediunt mutuam cohabitationem.

3. Pater indirecte tantum irritare potest vota filiorum *puberum* non emancipatorum. quæ et quatenus vergunt in damnum potestatis paternæ, qualia longæ peregrinationis aut eleemosynæ ex paternis bonis faciendæ vota. At non ita dicendum de votis castitatis, religionis, confessionis : in his enim puberes sunt sui juris. Similiter, curatores irritare possunt vota minorum, quæ officiunt eorum administrationi. Mater autem vel avia nihil possunt circa vota minorum nisi quatenus suscipiunt munus curatoris, vel quatenus votum in illarum detrimentum fit, vel quia rem voto promissam prohibendi jus habent.

Herus potest suspendere famuli vel ancillæ votorum exsecutionem, quatenus solum impediunt, vel imminuunt obsequium sibi debitum.

4. Quoad religiosos, hæc statuuntur. Peracta professione in congregatione proprie dicta, sive regulari, sive seculari, superior, vi potestatis dominativæ, potest vota in seculo emissa ab aliquo professo directe irritare; indirecte autem irritare potest novitiorum vota in quantum superiori impedimentum afferunt in recte administrando conventu. Vota autem a religioso emissa post professionem,

nec ad ipsam professionem pertinentia, superior, imo probabiliter superiorissa, ex potestate dominativa, irritare potest, excepto voto transeundi ad strictiorem religionem. Vide Institut. canon., Tract. 6, n. 179, 180.

139. — Cæterum, ex notione irritationis directæ, vel indirectæ, hæc tria constant scilicet : 1. *vota directe irritata, nunquam reviviscunt*, quia Superior eis contradicendo efficit ut sint nulla, defectu conditionis requisitæ, cum inferior valide vovere nequeat nisi sub hac tacita conditione, *Si pater, vel Superior non contradixerit;* vota autem *indirecte irritata*, cum suspendantur solum, *reviviscunt et obligant*, quando voti materia Superiori desinit esse subjecta. 2. *Irritatio fit nomine proprio irritantis*, non vero nomine Dei, ut dispensatio et commutatio; et ideo ad ejus valorem nulla requiritur causa, quia ad validum juris proprii usum causa non requiritur. Idem per se verum est de licitate; attamen id raro fit absque culpa veniali, quia vel imprudenter, vel irrationabiliter sic impeditur spiritualis profectus subditi. 3. Præfata vera sunt de votis *etiam Papæ reservatis*, quia hæc reservatio respicit potestatem tantum jurisdictionalem, non vero dominativam. Vide Institut. canon., Tract. 6, n. 179.

NUMERUS II

De dispensatione Votorum.

140. — *Quæritur* 1° quid sit voti dispensatio, et an hujusmodi potestatem dispensandi habeat Ecclesia?

Resp. 1. Dispensatio voti est *actus jurisdictionis ecclesiasticæ, quo obligatio per votum contracta, nomine Dei ex justa causa remittitur et relaxatur*. Unde talis potestas competit iis tantum, qui habent subditos, eosque in foro externo gubernant; sicut enim illi leges faciunt, sic pariter ipsis datum est, ut vincula votorum relaxent : ita S. Pontifex, Episcopi et ab iis delegati; item, Abbates et Generales Ordinum, qui omnes habent potestatem dispensandi circa vota, non autem Parochi aut alii inferiores Sacerdotes.

Talis relaxatio non fit nisi *nomine Dei*. Votum enim cons-

tituit obligationem hominis ad Deum: et ideo non potest aliquis hoc relaxare vinculum, nisi Dei nomine, ex potestate a Christo collata propter rectam Ecclesiæ administrationem.

2. Hanc dispensandi potestatem Ecclesiæ competere, constat ex verbis Christi, Matth., 16, v. 19 : *Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis;* v. 18 : *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Quæ, cum generalia sint, non solum significant potestatem solvendi vincula peccatorum, sed etiam votorum. Confirmatur eadem veritas tum ex perpetuo Ecclesiæ usu, tum quia ad commune bonum fidelium expedit, imo necessaria est hæc potestas.

Neque tamen dici potest Ecclesiam solvere vinculum Juris naturalis, quia Jus naturale solum dictat votum esse servandum, quandiu manet votum et voti vinculum : qui autem dispensat, non facit ut, durante voto, possit quis illud non servare, sed facit ut votum desinat esse, atque ita tollit vinculum voti; id est, *auctoritate superioris dispensantis fit ut hoc quod continebatur sub voto, jam non contineatur, in quantum determinatur in hoc casu hoc non esse congruam materiam voti,* scilicet, propter aliquam circumstantiam quæ supervenit; S. Th., 2, 2, q. 88, a 10, ad 2. Proinde talis Ecclesiæ potestas consistit in *authentica interpretatione* Deum in tali casu, positis circumstantiis in dicta specie concurrentibus, non acceptare editum votum aut remittere obligationem. Tract. *de Matrim.*, n. 256.

141. — Hinc 1° dispensatio in votis semper requirit causam, alioqui non solum illicita esset, sed etiam invalida : cum enim hæc potestas a Prælatis exerceatur tanquam Dei Vicariis et dispensatoribus jurium ac bonorum illius, certe non debet esse in destructionem, sed in ædificationem; neque vero rationabiliter præsumere possunt Ecclesiæ Prælati Deum relaxare velle promissionem sibi factam, nisi adsit justa causa.

142. — Hinc 2° triplici capite dispensatio ab irritatione differt : 1. irritatio non indiget jurisdictione ecclesiastica,

sed immediate fit per potestatem dominativam vel in personam et voluntatem voventis, vel in materiam voti; dispensatio vero requirit potestatem spiritualem ecclesiasticæ jurisdictionis pro foro externo. 2. Irritatio non requirit causam ut valida sit, quanvis ordinarie sit illicita, si absque ulla causa fiat; dispensatio vero data sine causa est invalida propter rationem allatam. 3. Irritatio supponit votum nondum esse firmum; contra dispensatio.

143. — *Quæritur* 2° quis possit circa vota dispensare?

Resp. S. Pontifex tali facultate potitur pro universa Ecclesia, eamque exercet sive per se, vel per suum Majorem Pœnitentiarium in universo orbe, vel per Legatos a latere in provinciis, ad quas missi sunt, vel tanquam privilegium hanc concedens potestatem confessariis Ordinum religiosorum exercendam, tamen de consensu et licentia suorum superiorum, aliisque sibi bene visis ecclesiasticis viris eam delegans.

Episcopi autem, et ii, qui habent jurisdictionem in foro externo quasi episcopalem, vel ii quoad hoc delegati, possunt dispensare in omnibus, quæ non sunt S. Pontifici reservata; id patet ex ipsa notione potestatis dispensandi. Unde non exstat hujusmodi potestas nisi quoad proprios subditos, vel quoad eos solummodo, ad quos in hoc quis delegatus est.

Episcopus, juxta Suarez aliosque complures, non potest peregrinos, v. g., scholasticos, qui extra propriam Diœcesim student, a voto aut juramento dispensare, sed solum hæc, urgente spirituali necessitate, ad tempus suspendere, donec ad proprium recurrant Episcopum.

144. — *Quæritur* 3° quænam sint vota S. Pontifici reservata?

Resp. Reservantur S. Pontifici : 1° vota solemnia religionis; tria vota *simplicia* absoluta et perpetua in congregationibus secularibus etiam a S. Sede nondum approbatis emissa; imo quodlibet ex tribus votis obedientiæ, castitatis, aut paupertatis, modo sit absolutum et perpetuum, licet

emittatur in congregatione improprie dicta, nempe, in qua non simul emittuntur tria religionis vota, sed unum, aut duo tantum. Hæc statuimus in Institut. canon., Tract. 6, n. 181-184. Præterea a voto temporaneo aut conditionato obedientiæ, emisso in aliqua congregatione non exempta, dispensare nequit Episcopus, nisi accedat congregationis consensus; *ibid.*, n. 184.

2° Votum perpetuum et absolutum servandi integram castitatem etiam a laico emissum.

3° Votum suscipiendi, devotionis causa, peregrinationem hierosolymitanam, aut compostellanam seu S. Jacobi, aut visitandi limina Apostolorum.

4° Vota *obligatoria*, in quibus de præjudicio *tertii* agitur, a quo eadem sunt acceptata, et vota *pœnalia*, quæ *preservativa* a peccato nuncupantur. Namque Benedict. XIV, in constitut. *Benedictus Deus*, data occasione jubilæi, in confessariis pro commutatione in alia opera votorum, utrumque illud votum excepit; tamen de voto præservativo hæc addit : « Nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrænet, quam prior voti materia. » Imo idem S. Pontifex, Constitut. *Convocatis*, 25 nov. 1749, ipsi majori Pœnitentiario denegat dispensandi in votis obligatoriis a tertio acceptatis. Revera, præjudium hoc tertii, eo invito, non potest a judice inferiori sperni, sed tantum a supremo judice, ut ait de Angelis, lib. 2, tit. 34, n. 1. Vide Institut. canon., Tract. 6, n. 185.

Illa autem vota sunt reservata tantum, quando *stricte* sunt talia : hinc non reservatur 1. votum *non nubendi*, licet in praxi vix a voto castitatis perpetuæ distinguatur; 2. *vota disjunctiva* faciendi hæc prædicta, vel alia non reservata; nam ex regula 70ª Juris : « In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterum impleri; 3. non reservantur vota *conditionata*, quandiu conditio non est impleta.

O Imo, ex sententia satis communi, non reservantur prædicta vota *si metu injusto sunt* exorta; neque reservantur opera in quæ S. Pontifex vota reservata commutavit; nec etiam ea de quibus dubium est an valide sint emissa, vel an sint ex iis quæ reservantur. Postremo in votis reservatis,

gravi occurrente necessitate, possunt Episcopi dispensare, quia talis præsumitur esse mens S. Pontificis; imo, si difficilis sit ad Papam recursus, puta ob voventis paupertatem vel bellorum impedimenta, potest Episcopus ab ipso perpetuæ castitatis voto dispensare. Vide Tract. *de Matrim.*, n. 256, 257-261; Institut. canon., Tract. 4, n. 99.

145. — *Quæritur* quænam sint causæ ad dispensandum in votis?

Resp. 1° Sufficientia illa prudentis viri arbitrio est definienda, quia major pro graviori voto, quam pro minus gravi requiritur causa.

2° In hac materia, tria attendenda sunt, scilicet : « Quid *liceat* secundum *æquitatem;* quid *deceat* secundum *honestatem;* quid *expediat* secundum *utilitatem.* » Tres ergo sunt causæ *generales*, honor Dei, utilitas Ecclesiæ, et spiritualis necessitas voventis; seu pietas, utilitas, necessitas.

Causæ autem *particulares* ordinariæ dispensationis sunt, 1. modus imperfectus voti, v. g., quando factum est ex metu, levitate, aut errore circa causam impulsivam, etc.; 2. major utilitas dispensationis, spectatis omnibus, habita præsertim ratione boni spiritualis personæ voventis; 3. difficultas magna voti exsequendi, quando supervenit vel non fuit prævisa, quamvis non sufficiat per se ut votum non obliget; 4. notabilis aliqua necessitas vel utilitas Reipublicæ et boni communis vel etiam familiæ, etc.; 5. dubium de obligatione aut valore voti. Quoniam autem plerumque contingit causam non esse sufficientem ad puram dispensationem voti, præsertim si illud sit magni momenti, ideo Prælati non solent simpliciter dispensare, sed cum dispensatione adjungunt aliquod opus pium, im modum compensationis.

○ Videlicet, S. Pœnitentiariæ praxis est, ad tramites c. 1, tit. 34, lib. 3 Decret, ut dispensando commutet, vel votorum adimplementum differat, vel ab illorum trangressionibus absolvat, consideratis causis et adjectis clausulis nonnullisque aliis adjunctis. Eodem modo procedit Major Pœnitentiarius.

O Similiter ordinarie Episcopi, quoad vota S. Pontifici reservata, committuntur ad *dispensandum commutando;* et, si aliter agerent, concessæ facultatis limites excederent. Quando autem dispensant vi ordinariæ potestatis, optime se gerunt, si eas clausulas adhibeant, et ea injungant, quia solent apponi et injungi a S. Pœnitentiaria. De Angelis, lib. 3, tit. 34, n. 5.

NUMERUS III

De commutatione Votorum.

146. — *Quæritur* 1° quid sit voti commutatio, et quotuplici modo fieri possit?

Resp. Commutatio voti est *subrogatio alterius operis pii loco operis voto promissi, facta nomine Dei;* ac proinde ad hujusmodi commutationem requiritur causa sufficiens, ut dictum est pro dispensatione.

Triplici modo fieri potest illa commutatio, nempe, in bonum melius, æquale, aut minus.

Et quidem 1. *in bonum seu opus majus et melius,* quod, scilicet, spectatis omnibus circumstantiis, ad majorem utilitatem voventis, ac majus Dei obsequium conducit.

2. *In bonum notabiliter minus;* et tunc non est mera commutatio, sed includit dispensationem, saltem partialem, ideoque requirit tum causam legitimam, tum etiam potestatem dispensandi in votis.

In opus æquale, quod spectatis circumstantiis, prudenter et bona fide æque bonum appareat per respectum ad Dei gloriam et voventis utilitatem, præsertim spiritualem.

146[2]. — *Quæritur* 2° quis possit vota commutare?

Resp. Illi omnes qui possunt a votis dispensare. Nam dispensatio omnino tollit obligationem voti, dum commutatio illam obligationem retinet, eamdem modificando tantum, ita ut plus est dispensare, quam commutare : porro qui potest plus, potest et minus in eodem genere : ergo, qui potest in votis dispensare, potest eadem commutare. Proinde Episcopi, et ii qui habent jurisdictionem in foro externo quasi episcopalem, non possunt commutare vota

S. Pontifici reservata, ut dictum est de potestate dispensandi, n. 143.

Unde, qui potitur facultate, etiam simpliciter delegata dispensandi a votis, eo ipso potest eadem commutare, quia qui potest majus, potest et minus in eodem genere; sed non vice versa, cum major potestas in minore non contineatur.

Quisque privatus, etiam absque speciali causa, potest votum suum in opus evidenter melius commutare, ex c. 4, tit. 34, lib. 3 Decret. modo id Ecclesia in casu particulari non prohibuerit. Excipiuntur etiam vota Papæ reservata, n. 144, quæ in melius commutari nequeunt, nisi in professionem religiosam, ex c. 4, tit. 34, lib. 3 Decret.; vel vota juramento firmata, aut in alterius utilitatem emissa et ab eo acceptata; nec pro utroque hujusmodi voto suffragatur professio religiosa, ex Benedict. XIV constitut. *Inter præteritas*, dec. 1749. Verum, ne quis in propria causa decipiatur, tutius est et fere semper expedit ad superiorem recurrere, maxime quando est aliquis dubitandi locus de majori valore operis.

Juxta probabiliorem sententiam, qui votum emisit, non potest illud commutare in opus *æquale*, quia, ratione promissionis, censetur esse Deo gratius rem ipsam promissam ex fidelitate præstare, quam aliam æqualem ejus loco pro arbitrio substituere. Ita S. Th., Suarez, S. Ligor. n. 244.

O Tandem sacerdos delegatus ad vota commutanda, ea in opus notabiliter minus commutare nequit, cum tunc ex magna parte dispensaret: quod tamen latiori sensu accipiendum est, ita ut ad opus aliquanto minus sese porrigat. S. Ligor. n. 247.

O Cæterum, facta commutatione, licet redire ad primum opus, si commutatio facta fuerit in minus vel æquale, cum primum opus Deo gratius videtur. Idem uti probabilius affirmatur etiam quando commutatio facta fuerit in melius, quia commutatio fit in favorem voventis. S. Ligor., n. 248, 249.

O Si secundum opus fiat impossibile. ad primum redire necesse est, quoties commutatio ex auctoritate privata facta

est, eo quod in hoc casu prior obligatio non dissolvitur, sed tantum suppleri supponitur per æqualem aut meliorem. Si vero commutatio facta sit alterius auctoritate, non tenetur redire ad primum opus, etiamsi secundum opus fieret impossibile culpa voventis; prior enim obligatio per commutationem ipsam dissoluta est. S. Ligor. *ibid.*

146[3]. — *Quæritur* 3° quænam sint causæ sufficientes ad votorum commutationem?

Resp. Eædem sunt generatim ac pro dispensatione in iisdem, n. 145, cum hoc tamen discrimine, quod pro commutatione minor requiritur causa ac pro dispensatione, quæ totam obligationem tollit.

CAPUT III

DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO

147. — *Quæritur* 1° quodnam sit tertium Decalogi præceptum?

Resp. Hoc præceptum his verbis refertur, Exod. 20, v. 8, 10 : *Memento ut diem sabbati sanctifices... non facies omne opus in eo.*

Duplex est igitur objectum hujusmodi præcepti, aliud scilicet positivum, seu sabbati sanctificatio, aliud negativum seu quies ab omni opere servili.

Hinc præceptum illud est partim morale, partim vero cæremoniale. Et quidem *morale* seu naturale, quatenus lex ipsa naturalis requirit ut homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum rebus divinis. Si enim homo jure naturali tenetur vacare labori sive intellectuali sive servili ad sustentationem vitæ intellectualis et materialis, a fortiori eadem lege tenetur deputare aliquod tempus ad sustentationem vitæ moralis et supernaturalis.

Revera nulla gens est etiam barbara, quæ suam divinitatem festis ideo institutis non excolat; atque ad hoc natura ipsa adeo homines impellit, ut qui festa christiana abrogare tentarunt, alia debuerint substituere.

Cæremoniale autem seu ex jure positivo est illud præceptum, in quantum determinat tempus et diem ad vacandum rebus divinis. Quamvis enim ratio dictet Deum esse adorandum, et aliquod temporis cultui ejus esse devovendum, non præcipit tamen specialiter quod sit integra dies, hoc potius tempus quam illud, hoc potius modo quam altero; ergo ad illud omne determinandum positum est præceptum positivum, quod propterea *cæremoniale* nuncupatur; et ideo sub hoc respectu ab illo præcepto dispensare potest Ecclesia.

148. — *Quæritur* 2° quænam sit *dies*, cujus sanctificatio cadit sub tertio Decalogi præcepto?

Resp. In lege veteri, dies illa fuit septima, nomine *sabbati* seu cessationis designata; in lege nova, dies illa est prima hebdomadis seu dies *Dominica*. Et merito quidem. Etenim omnes solemnitates legis veteris fuere institutæ in commemorationem alicujus divini beneficii vel præteriti commemorati, vel futuri præfigurati : porro, inter beneficia Dei commemoranda, primum et præcipuum erat beneficium creationis, quod commemoratur in sanctificatione sabbati, ut expresse docetur in Scriptura : « *Memento ut diem sabbati sanctifices... sex enim diebus fecit* Dominus cœlum et terram, et *requievit in die septimo : idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum;* » Exod. 20, v. 8, 10, 11.

Similiter, inter omnia futura beneficia, quæ erant figuranda, præcipuum et finale erat quies mentis in Deo vel in præsenti per gratiam, vel in futuro per gloriam; et hæc requies figurabatur etiam per observantiam sabbati.

At Christus, resurgendo a mortuis, requievit a laboribus suis, qui longe præcellunt creationis laborem; sed etiam pro genere humano recuperavit jus non solum ad vitam naturalem, sed etiam ad vitam supernaturalem et ad æternam requiem; sicque hominem mirabiliter conditum, sed miserabiliter lapsum, mirabilius reformavit; ergo, in memoriam laborum et requiei Christi, seu operis Redemptionis, in quo recapitulantur omnia Dei opera et beneficia,

loco sabbati substituta est dies *Domini* seu dies Dominica, in qua Christus surrexit a mortuis, dedit Apostolis præceptum prædicandi Evangelium omni creaturæ, eisdem contulit potestatem dimittendi peccata, promisit adventum Spiritus Sancti, in qua tandem lex Evangelica promulgata est.

149. — Hinc præceptum sanctificandi diem sabbati datum est a Deo ab origine mundi; substitutio autem diei Dominicæ loco sabbati facta est ab ipsis Apostolis.

Etenim quod præceptum de sabbati sanctificatione datum fuerit ab origine mundi, infertur tum ex verbo *Memento* ut diem sabbati sanctifices, quod manifeste supponit illud præceptum jam existere; tum ex ratione ipsius præcepti a Deo significata, scilicet, quia Deus *requievit die septimo*, et *idcirco benedixit diei sabbati, et sanctificavit eum.* » Attamen Catech. Rom. docere videtur diem sabbati non fuisse religiose servatum nisi ex eo tempore, quo populus Israeliticus a Pharaonis est servitute liberatus; 3ª p. de *tertio Decal. præcept.*, n. 9, 14.

Certius etiam constat diei Dominicæ loco sabbati substitutio ab Apostolis. Namque diei Dominicæ expresse meminit S. Joan., Apoc. 1, v. 10 : « Fui in spiritu *in Dominica die.* » S. Paulus, I Cor., 16, v. 2, per *unam* sabbatorum, quæ est dies Dominica, ut interpretatur S. Chrysost., *Homil.* 13 *in Cor.*, collectas fieri jubet, ut intelligamus jam tunc in Ecclesia diem Dominicum sanctum habitum esse, ut ait Catech. Rom., *ibid.*, n. 12. Revera, quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, id non nisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur, juxta regulam S. August.

Duplex erit articulus, 1° de sanctificatione diei Dominicæ, 2° de cessatione ab operibus servilibus illa die.

ARTICULUS PRIMUS

De sanctificatione diei Dominicæ.

Quamvis sub illo titulo comprehendi possit etiam cessatio ab operibus servilibus, hic tamen agimus solum de

actibus ad cultum divinum pertinentibus, qui ex tertio Decalogi præcepto perficiendi sunt. Itaque

150. — *Quæritur* quinam actus *positivi* cadant sub tertio Decalogi præcepto?

Resp. Inter actus cultus divini, præcipui sunt Missæ interesse, peccata confiteri, Sacramenta et præsertim Eucharistiam frequentare, ad Concionem convenire, Catechismis interesse, Vesperis assistere, lectioni spirituali operam dare, precibus vacare, opera misericordiæ exercere, id est, pauperibus eleemosynam tribuere, ægrotantes visitare, mœrentes pie consolari.

Jam vero hæc omnia fidelibus sunt quidem commendanda, suadenda et inculcanda, ut præcipue die Dominica ea perficiant; attamen, si Missæ assistentiam excipias, cætera non cadunt sub præcepto divino nec ecclesiastico, juxta communem Theologorum sententiam.

Revera sic habet Benedict. XIV, Constitut. *Paternæ charitatis*, 1744, ad Festorum observantiam tuendam : « Omnes Christi fideles ab *operibus servilibus*, ad quæ peragenda *nulla necessitas* cogit, *omnino abstineant*, sed ab omni terrena cura et temporali sollicitudine liberi et vacui, ad Ecclesiam pergant : ibi sacrosancto Missæ sacrificio, *pia animi attentione* ingentia Dei beneficia recolentes, *intersint*. Quin etiam *exhortamur* in Domino, ut in precibus quoque, divinisque laudibus persolvendis, audiendoque verbo Dei frequentes sint; et per totum festum, quoad fieri potest, se exerceant in iis officiis, quæ christianam pietatem continent et comitantur. »

Unde, præter cessationem ab operibus servilibus non necessariis, et Missæ assistentiam, cætera sunt tantum de consilio, cum ad ea exhortetur tantum S. Pontifex.

Attamen *per accidens* tenentur fideles ad aliquid aliud, si ad aliquam obligationem implendam necessarium sit. Tenentur etiam assistere Concionibus die Dominica, si Concio sit necessaria ad instructionem christianam, vel morum compositionem, quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ad hunc finem necessaria; n. 157.

Hic igitur agendum est tantum; 1° de obligatione; 2° de modo audiendi Missam die Dominica; 3° de causis ab ea obligatione eximentibus.

§ I

De obligatione audiendi Missam die Dominica.

PROPOSITIO

151. — *Grave adest præceptum audiendi Missam diebus Dominicis.* Certum est.

Constat 1° ex Jure can. in variis locis, præsertim ex c. *Missas* 64, *de Consecrat.*, dist. 1; ex decreto 3. p. *dist.* 1, *can.* 63; 2° ex omnibus Catechismis, in quibus indubium præceptum de missa his diebus audienda declaratur; 3° ex sensu omnium fidelium, qui putant graviter peccare, qui, absque ratione sufficienti, die Dominica sacrificio Missæ non intersunt.

Illud autem præceptum est partim divinum, partim vero ecclesiasticum.

1° *Divinum* quidem. Nam 1. Christus obligationem sacrificii præcipit his verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*, ut exponit Conc. Trid. sess. 22, c. 1 : porro fieri nequit, quod hujusmodi præceptum non spectet etiam assistentes, siquidem et ipsi sunt offerentes per ministrum, et gratias speciales ratione assistentiæ ex oblatione sacrificii recipiunt; ergo adest pro omnibus adultis divinum præceptum assistendi sacrificio Missæ.

2. Apud omnes gentes etiam lumine fidei destitutas, sacrificia fuere semper in usu : porro hæc populorum consensio est aut expressio præcepti naturalis, vel orta est a primæva et divina traditione; ac proinde exstat præceptum naturale aut divinum colendi Deum per sacrificium.

3. Virtus Religionis aliquando obligat *per se*, haud secus ac virtus quælibet : porro actus præcipuus Religionis est sacrificium; per hoc siquidem modo perfectissimo elicimus actum adorationis, gratiarum actionis, pœnitentiæ et petitionis, ita ut summa Religionis sit in sacrificio; ergo, ex divino præcepto, omnes adulti tenentur Deum colere per

sacrificium, sive hoc per seipso offerendo, sive eidem assistendo atque per ministros offerendo.

2° Partim autem *ecclesiasticum* est illud præceptum. Etenim Christus, præcipiendo oblationem sacrificii, nec tempus, nec diem ad illam oblationem perficiendam determinavit; nec illud determinatur ex virtute Religionis aut natura rerum.

Ecclesia autem statuit sacrificium offerendum esse die Dominica, omnesque adultos teneri ad Missam audiendam illa die; ergo ex hac parte ecclesiasticum est præceptum colendi Deum per sacrificium.

Nec profecto tempore magis opportuno divinum illud præceptum adimpleri potest. Dies enim Dominica ad cultum divinum consecratur : porro, ex dictis, summa cultus divini præcipuusque Religionis actus est in sacrificio; ergo præsertim die Dominica oportuit Deum coli per sacrificium.

§ II

De modo audiendi Missam.

Tria requiruntur ad Missam rite audiendam, scilicet, præsentia corporis, pia mentis attentio, locus debitus. De his breviter sigillatim dicemus.

NUMERUS PRIMUS

De præsentia corporis ad Missam rite audiendam.

PROPOSITIO

152. — *Ad Missam rite audiendam, requiritur præsentia corporis moralis et continua.* Certum est.

Et quidem 1° *moralis*, qua scilicet, quis ita præsens est in loco ubi fit sacrificium, ut possit dici unus e numero assistentium et offerentium. Ad hoc autem sufficit, ut sit in loco unde Missam sequi possit quoad partes præcipuas, sive videndo, sive audiendo, aut ad signa aliorum assistentium attendendo.

Hinc 1. Missæ valide assistit, qui, etsi Sacerdotem non videat, nec audiat verba, Sacri partes distinguit sonitu campanæ, cantu chori, motibus assistentium, quibus mora-

liter jungitur, licet sit extra ecclesiam, in qua turba continetur non potest. Item, qui stat post altare, post columnam vel post parietem, modo ad partes præcipuas Missæ advertat.

Hinc 2. probabilius valide assistit, qui est in cubiculo, vel in domo proxima, ex qua per fenestram vel januam altare aut assistentes videat, aut partes Missæ distinguat, dummodo parvum sit spatium inter ecclesiam et locum in quo est. Secus autem, si magnum spatium aut platea intercedat, ut communius docetur. S. Ligor., n. 312. about 30 paces, 90 ft

Hinc 3. non assistit Sacro, qui multum et longe manet, etsi templum, altare, turbam videat, quia in usu communi dici non potest audire et adesse *moraliter*. Juxta De Lugo et alios, spatium triginta passuum a turba assistentium non adeo magnum videtur, ut impediat quominus Sacro adsit.

2° *Continua* etiam debet esse corporis præsentia, id est, perseverans ab initio ad finem Missæ, ita ut graviter peccet, qui omittit *notabilem* ejus partem, et venialiter, qui partem exiguam omittit, nisi justa causa excusetur. Unde

the communion of the people does not belong to the mass proper.

153. — *Quæritur* 1° quænam omissio reputanda sit gravis aut levis in Missa?

Resp. Pars notabilis non a diuturnitate, sed a dignitate pendet. Itaque, juxte communem sententiam, pars notabilis reputatur quæ est 1. ab initio Missæ usque ad Offertorium *inclusive;* 2. ab initio usque ad Evangelium *exclusive*, et *simul* post Communionem usque ad finem; 3. a Consecratione usque ad *Pater*, propter dignitatem; 4. Consecratio utraque, imo una consecratio, cum Communione; 5. probabilius una tantum consecratio, quia essentia sacrificii probabilius in utraque consecratione nititur.

Ut *pars levis* communiter habentur 1, quæ præcedunt Epistolam; 2. quæ Communionem sequuntur; 3. Offertorium; 4. Symbolum et Præfatio, etiamsi decantentur, quia illa ad essentiam sacrificii non pertinent; 5. probabiliter etiam quæ præcedunt Epistolam et sequuntur Communionem; vel quæ præcedunt Epistolam *inclusive*, vel etiam quæ præcedunt Evangelium *inclusive*. Imo quidam tenent

omissionem Communionis esse levem; sed hujusmodi opinio rejicienda videtur, cum ex statim dicendis, non satisfacit præcepto, qui non interest consecrationi et communioni ejusdem Missæ.

Qui autem Missam integram audire non potest, probabilius tenetur ad partem, si pars illa sit notabilis, quia sic scopus præcepti partim obtinetur. Certo teneretur, si posset Consecrationi assistere.

154. — *Quæritur* 2° an præcepto satisfaciat audiens *duas dimidias* Missas a *diversis* Sacerdotibus tum *simultanee*, tum *successive?*

Resp. 1. Non satisfacit, si audiat *simultanee*, ut constat ex communi legis interpretatione, et ex hac propositione ab Innoc. XI damnata : « Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui *duas ejus partes*, imo *quatuor simul* a *diversis* celebrantibus audit. »

2. Si vero ambas partes *successive* quis audiret, distinguendum est : non satisfaceret, si Consecratio et Communio, in eadem parte non essent; quia Ecclesia præcipit, ut fideles intersint *integro* et *perfecto sacrificio*, quod non habetur nisi Consecratio et Communio in eadem Missa inveniantur. Si vero inveniantur, probabiliter satisfacit, quia tunc ratio integra sacrificii in eadem parte habetur.

Attamen, juxta sententiam valde probabilem et in praxi sequendam, qui, post Consecrationem advenit, debet reliqua audire, eo quod constituant partem notabilem cæremoniæ ab Ecclesia præceptæ. Alii probabiliter negant, quia, cum desit sacrificii essentia, cessat eo ipso obligatio illi assistendi. S. Ligor., n. 310.

NUMERUS II

De intentione audiendi Missam, et de pia attentione ad Missam rite audiendam.

155. — *Quæritur* 1° quid sit intentio audiendi Missam; et an requiratur, ut quis præcepto satisfaciat?

Resp. 1. Intentio audiendi Missam est voluntas assistendi Missæ uti cæremoniæ religiosæ, non vero ex alio motivo a

virtute Religionis alieno, v. g., curiositatis causa aut ratione ecclesiam considerandi, etc.

2. Patet omnino requiri hujusmodi intentionem. Namque præcipitur auditio Missæ uti actus religionis : porro talem actum sane non perficit, qui Missæ non interest uti cæremoniæ religiosæ, sed ex alio motivo a Religionis virtute alieno; ergo, ut quis præcepto satisfaciat, illam intentionem habere necesse est.

156. — *Quæritur* 2° quid, quotuplex sit attentio ad Missam, et quænam requiratur?

Resp. 1. Attentio de qua agitur, est mentis applicatio ad Missam; et discrepat ab intentione in eo quod, hæc est in voluntate, dum attentio est in intellectu.

2. Duplex est attentio in genere *externa* et *interna*. Prior ea est, quæ excludit omnem actionem externam cum applicatione mentis ad Missam incompossibilem, ut esset confabulari, pingere, scribere, magna cum animi attentione aliquid diversum agere. Posterior vero consistit in applicatione mentis ad Missam uti cæremoniam religiosam.

Hæc autem interna attentio triplex esse potest, nempe, *superficialis*, quæ est tantum circa verba et actiones sacerdotis; *litteralis*, quæ est ad sensum litteralem verborum et rerum significationem; *spiritualis*, quæ est ad Deum ipsum per preces piasve meditationes, v. g., circa Dei attributa, vel passionis Christi mysteria, vel gesta B. Virginis aut Sanctorum.

3. Porro, ad valide audiendam Missam, requiritur attentio saltem *externa*. Namque, ut quis præcepto satisfaciat, requiritur intentio audiendi Missam uti religiosam cæremoniam virtualiter perseverans, n. 155 : atqui hanc intentionem revocat, qui actionem peragit cum ipsa auditione incompossibilem, qualis est illa quam excludit attentio externa; ergo hæc attentio requiritur.

Proinde non satisfaciunt præcepto, qui per notabilem Missæ partem de re seria confabulantur, vel imagines attente considerant, apparatus templi oculis lustrant, inscriptiones aut alia profana legunt, scientias meditantur,

pingunt, aut alia similia peragunt, nisi hæc fiant interruptim, aut ita ut attentionem externam et ideo Missam audiendi intentionem non tollant. S. Ligor., n. 317.

Quoad *internam* attentionem, quilibet ex tribus modis jam expositis, nempe, sive spiritualis, sive litteralis, sive superficialis, sufficit, juxta omnes.

An vero requiratur, ita ut non sufficiat attentio externa, controvertitur. Alii quippe sentiunt sufficere externam attentionem cum intentione quam implicat, audiendi Missam uti cæremoniam religiosam : hoc enim posito, eo ipso assistentia Missæ est actus religionis.

Alii autem requirunt attentionem saltem superficialem, ita ut assistens rationem sibi reddere possit quod reapse sacro intersit, et ita in confuso ad præcipuas illius partes advertat. Cæterum, difficile videtur quod virtualiter perseverare possit intentio audiendi Missam et ideo attentio externa, absque illa superficiali attentione.

Itaque 1. satisfaciunt præcepto ministrantes Missæ; satis enim attendunt exhibendo suum ministerium, quo actualiter ad sacrificium cooperantur. Idem dicendum est per se de sacristis, musicis, organistis, tympanistis, etc.; quia eorum actus ad Dei cultum referuntur, nec necessario impediunt attentionem ad ea, qui in altari peraguntur. S. Ligor. n. 317.

2. Similiter satisfaciunt, qui eleemosynam colligunt, modo ad Missam simul attendant; qui vel conscientiam tempore Missæ discutiunt ut confiteantur, vel sacramentalem pœnitentiam persolvunt, Breviarium recitant.

His enim mens ad Deum dirigitur; et aliunde duplici præcepto simul satisfieri potest, si res præceptæ possint eodem tempore præstari, ex dictis in Tract. *de Legib.* n. 81.

3. Satisfaciunt etiam qui *involuntarie* distrahuntur, licet toto sacrificii tempore, nisi alienis cogitationibus ita abripiantur, ut nullatenus attendant. Dormitans autem interdum inter Sacrum, satisfacit, aut saltem non graviter delinquit, modo aliqua ratione advertat ad id quod fit. S. Ligor. n. 316.

Imo satisfaciunt etiam quoad substantiam, seu a gravi

culpa excusantur, qui *voluntarie* distrahuntur, etiam tempore toto Sacri, modo simul attendant, hoc enim aliquando fieri potest, si distractiones non sint adeo vehementes.

Dubium est an satisfaciat præcepto, qui tempore Missæ peccata confitetur? Generatim non videntur inquietandi hac de re fideles, neque scrupulus eis injicendus, modo Missæ sufficienter attendant.

Ex his omnibus patet, quod non facile arguendi sunt fideles de culpa *gravi* ob defectum attentionis sufficientis in Missa; sed potius amanter adhortandi ut pie et sedulo ad divina Mysteria animum intendant. « Nemo enim anxius esse debet ob scrupulum attentionis non præstitæ, quia sufficit habuisse intentionem generalem colendi Deum; » ait S. Ligor. n. 313, post Elbel, Sporer, et alios plures.

In praxi tamen fidelibus, præsertim rudibus, enixe suadendum est, ut orationes aliquas recitent, im primis orationes consuetas pro Missæ auditione, vel Rosarium B. Virginis, ne nimiis distractionibus exponantur.

NUMERUS III

De loco debito ad Missam audiendam.

157. — *Quæritur* 1° an præcepto Missæ audiendæ satisfieri possit in *Oratoriis privatis?*

Resp. Oratoria privata sunt sacella in domo privata erecta ex privilegio a S. Pontifice concesso, ut ibi peragantur divina Mysteria.

Porro satisfacere possunt præcepto audiendæ Missæ in Oratorio privato, omnes qui in indulto comprehenduntur, nempe dominus Oratorii cum suis familiaribus, qui ejus servitio addicti sunt; exceptis tamen diebus festorum præcipuorum, scilicet, Paschatis, Pentecostes, Natalis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Annuntiationis, Assumptionis, festi S. Petri, et Omnium Sanctorum, Feriæ V in Cœna Domini, et S. Titularis ecclesiæ loci. Prohibetur præterea hisce diebus in tali Oratorio celebrare.

Unde non satisfaciunt extranei, ut constat ex communi sententia, et ex verbis Indulti, quod ordinarie sic sonat : *Volumus ut, qui de familia non sunt, non censeantur liberi ab*

obligatione audiendi Missam in ecclesia. Vide Tract. *de Eucharist.*, n. 251, 252.

Controvertitur autem an dominus teneatur uti privilegio, si ecclesiam adire non possit. Alii affirmant, si Sacerdotem commode habere valeat, eo quod obligetur procurare, ut Sacerdos adsit ad celebrandum, ne tum ipse, tum alii familiares et propinqui, qui ad ecclesiam accedere nequeunt, sacrificio Missæ interesse prohibeantur; S. Ligor., n. 519. Alii vero negant, ex principio, quod nemo privilegio uti tenetur. Vide *Institut. canon.*, Tract. 4, n. 133, ad 4.

158. — *Quæritur* 2° an adsit obligatio assistendi Missæ parochiali?

Resp. Juxta omnes, olim exstitit obligatio assistendi Missæ parochiali, saltem semel in tribus Dominicis continuis. Non minus autem constat, huic juri antiquo fuisse universaliter derogatum generali consuetudine contraria legitime prœscripta, ut infertur tum ex praxi communi fidelium, tum ex testimonio plerorumque Theologorum, tum ex Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 11, c. 14, ubi asserit « decretis Conciliorum et SS. Pontificum obligationem statuentibus derogatum fuisse contraria consuetudine; imo Episcopum pœnis adigere non posse subditos ad Missam neque ad Concionem in parochia audiendam, sed tantum illos hortandos esse. » Viget igitur in Gallia universalis illa consuetudo, quæ constituit quoddam jus commune, contra quod insurgere nequeunt Episcopi; n. 150.

Tenentur tamen fideles cujusvis regionis aut nationis, qui christiana instructione necessaria carent, assistere ordinarie Missæ parochiali, in qua tantum instrui possunt; et in hoc sensu plerique Theologi ista Conc. Trid. verba interpretantur : « Moneat Episcopus populum diligenter, *teneri unumquemque parochiæ suæ interesse*, ubi *commode id fieri potest*, ad audiendum *verbum Dei;* » sess. 22, c. 8. Alii vero sentiunt obligationem, si quæ unquam fuit, auscultandi proprium Parochum, verba facientem ad suum populum, ablatam nunc esse per contrariam consuetudinem; cum passim viri pii et docti alio se conferant ad sacros au-

diendos oratores. Revera S. Congregatio Concilii sæpius declaravit non posse Ordinarium mulctis ac pœnis subditos adigere ad Concionem auscultandam in Parochia, ut testantur Zerola et Barbosa, *in Collect. ad Trid.*, c. 4, n. 17.

§ III

De causis ab obligatione audiendi Missam eximentibus.

159. — Certum est multiplicem esse causam, quæ a præcepto audiendi Missam excusat.

1ª Est *impotentia physica et absoluta*, ratione cujus excusantur incarcerati, lecto affixi ob infirmitatem, et navigantes, si Sacerdote sint destituti.

2ª Causa est *impotentia moralis*, ratione cujus excusantur qui Missam audire non possunt, 1. sine magna difficultate, ut aliquando mulieres prægnantes, et illi qui ab infirmitate convalescentes, sunt adhuc nimis debiles, aut nimis a Templo distantes, habita ratione personarum, viarum, et temporis; vel 2, sine gravi damno spirituali proprio aut alieno, v. g., si quis aliter effugere non possit occasionem proximam peccandi mortaliter; vel 3. sine gravi damno temporali proprio vel alieno, ratione cujus excusantur custodes domus, ovilis aut infirmorum vel infantium, etc., si ex eorum exitu ad audiendam Missam secuturum sit grave incommodum judicio viri prudentis, neque illi possint officium suum per alios supplere; 4. præceptum audiendi Missam non obligat, quando impleri non potest sine aliquo periculo notabilis mali, v. g., amittendi vitam vel bona, incidendi in latrones, etc.; ratio est, quia Ecclesia non intendit obligare fideles cum tanto gravamine; 5. excusantur tandem, qui ab ecclesia *longe distant*, ita ut ad eam accedere non possint sine magna difficultate, præsertim hiemali tempore.

Non potest autem absolute assignari quænam distantia excuset a Missa, sed ex adjunctis personarum, locorum et temporum determinandum est. Regulariter excusat iter pedestre unius horæ cum quadrante, et minus, si plueret aut ningeret, aut alia causa adesset. S. Ligor. n. 339.

Infirmus, in dubio utrum incommodum sit sufficienter

grave ad illum eximendum, valde probabiliter ad Missam non tenetur, ait S. Ligor. n. 325; sed in praxi tutius est ut dispensatio petatur, si facile peti possit.

Probabiliter etiam excusat occasio lucri *notabilis* faciendi : quia præcepta Ecclesiæ non obligat sub incommodo valde gravi, ex dictis in Tract. *de Legib.*, n. 97.

ARTICULUS II

De Obligatione cessandi a nonnullis operibus diebus Dominicis.

160. — *Quæritur* quotuplicis generis opera distingui possint?

Resp. Quadruplicis generis, scilicet, opera liberalia, communia, servilia, forensia.

1. *Liberalia* opera sunt illa, quæ ad animum excolendum principaliter ordinantur, et animi viribus potius peraguntur, quæque ideo a personis liberis ordinario exercentur, ut legere, studere, scribere, linearum domus vel operis textorii adumbrationem ducere.

2. *Communia* seu naturalia opera sunt ea quæ omnibus, plebeiis perinde ac nobilibus, competunt, ut manducare, iter agere, ludere, instrumenta musica movere, digladiare, etc.

3. *Servilia* opera sunt externa quæ de se referuntur ad ornatum vel utilitatem corporis, quæque ideo servis seu mercenariis committi solent, qualia sunt artium omnium mechanicarum opera, ut fodere, arare, arbores plantare aut cædere, suere, etc.

Unde duplex ad opus servile requiritur et sufficit conditio : 1. ut sit opus externum et corporale; 2. ut de se referatur ad utilitatem corporis. Nec refert an recreationis causa, an intuitu mercedis fiat, quia intentio non mutat naturam operis; et ideo quæ plebeiis prohibita sunt, sunt et ingenuis interdicta.

4. *Forensia* opera ad forum judiciale vel mercatum spectant.

Jam vero quæstio est quænam ex illis operibus sint diebus dominicis et festis de præcepto licita, quænam illicita. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

161. — *Opera liberalia et communia sunt licita diebus Dominicis et festis de præcepto.* Certum est.

Constat ex omnium sensu, et universali constantique praxi.

Revera, ut præfatis diebus ab hujusmodi operibus abstineant fideles, non valent rationes afferendæ pro illicitate operum servilium et forensium.

Itaque illis diebus licet legere, scribere, aut transcribere, rationes accepti argenti vel expensi inire ac subducere, easdem ex libro diurno in alium transferre, scribere aut transcribere ea, quæ ad litis informationem pertinent; exarare delineationes artificum et fabrorum, etiam intuitu mercedis, libros corrigere tum delendo lineas, tum superponendo chartam conglutinatam.

Item licet iter agere pedibus, equo, curru, ex praxi universali, oppositaque sententia est antiquata, ait S. Ligor., n. 275. Imo uti licet lectica ab hominibus portata, ubi viget talis consuetudo, S. Ligor., *ibid.* Talia enim sunt opera naturalia et communia.

Probabilius licet acu pingere, eo quod id magis refertur ad exercendum ingenium, quam ad operandum. S. Ligor., n. 281.

Controvertitur an licet pingere. Alii picturam reputant artem liberalem, vel saltem mediam inter liberales et serviles, atque ideo scriptioni simillimam, præsertim si pictura fiat sine magno labore, qualis haberetur colores miscendo, tabulas præparando, etc. Ita Sporer, Layman, etc. Alii vero negant picturam esse artem liberalem, eo quod non dirigitur, sicut scriptura, ad animum excolendum, sed ad utilitatem corporis, ad sensuum oblectamentum, ad ædificiorum ornatum, sicut sculptura, quæ est opus servile, ut infra, n. 162; ita Salmant., Sanchez, Suarez. Utraque sententia S. Ligor., n. 280, probabilis videtur. Nihilominus valde probabilius est, ne dicamus certum, opus servile et illicitum esse picturam ad ædificiorum ornatum; et talis est sane praxis et sensus communis.

PROPOSITIO II

162. — *Diebus Dominicis et festis de præcepto prohibentur per se sub gravi omnibus fidelibus opera servilia proprie dicta.* Certum est.

Constat tum ex variis Conciliorum Pontificumque decretis, speciatim ex c. 3, *de Feriis;* tum ex consuetudine et praxi constanti et universali Ecclesiæ.

Experientia etiam constanti et universali non minus constat, quam sub omni respectu utilis, imo et necessaria sit hujusmodi praxis, tum ad sublevandum hominis corpus, quod continuo exercitio operum servilium vere obruitur, tum ad erigendam perficiendamque mentem et cor hominis, consecrando certos dies cultui divino, familiæ et civium convictui, exercitio operum liberalium, sicque vires sive corporis sive animæ semel infra unamquamque hebdomadam efficaciter reficiendo [1].

1. Le repos du dimanche est rigoureusement prescrit par la loi et très fidèlement observé en Allemagne, en Suisse, aux Etats-Unis. En Angleterre, les ateliers sont fermés le samedi, à midi. En 1853, six cent quarante-un médecins de Londres, dans une pétition au Parlement, déclarent que, « d'après la connaissance qu'ils ont des classes ouvrières et des lois régulatrices de l'économie humaine, le repos du septième jour est indispensable pour maintenir la santé du corps et la vigueur de l'esprit chez l'homme, quelle que soit sa position sociale. » « Priver l'ouvrier du repos du dimanche, dit Mussey, médecin de la Faculté de l'Ohio (États-Unis), c'est lui enlever du même coup toutes les joies de la vie, c'est le rendre incapable d'en user, puisque l'on aura tué son cerveau et énervé son cœur. »

« Diminuez, dit Proudhon, la semaine d'un seul jour, le travail est insuffisant, comparativement au repos; augmentez-la de la même quantité, il devient excessif. Etablissez, tous les trois jours, une demi-journée de relâche, vous multipliez par le fractionnement la perte de temps, et, en sciudant l'unité naturelle du jour, vous brisez l'équilibre numérique des choses. Accordez, au contraire, quarante-huit heures de repos après douze jours consécutifs de peine, vous tuez l'homme par l'inertie, après l'avoir épuisé par la fatigue. Là où le dimanche n'est pas respecté, il est constant qu'on ne travaille pas davantage, peut-être moins... Dans la célébration du dimanche est déposé le principe le plus fécond de notre progrès futur; c'est à la faveur du dimanche que cette réforme s'opérera. »

« Bien que, depuis des siècles, nous nous reposions un jour sur sept, dit le célèbre Anglais William Wilberforce, nous n'en sommes pas plus pauvres; nous sommes, au contraire, plus riches. L'homme, cette machine des machines, repose,

163. — Hinc 1° prohibentur præfatis diebus 1. opera ruralia, ut arare, terram fodere, serere, metere, vineas colere, etc.

2. Opera artium mechanicarum, v. g., ferrariæ, lignariæ, cæmentariæ, sartoriæ, sutoriæ, tectoriæ, typographicæ, excepta forsan characterum ordinatione; sculpturæ, quæ inter artes mechanicas communiter habetur; probabiliter tamen excipitur, si agatur de sola operis perfectione. S. Ligor., n. 281.

3. Alia opera ex se omnino servilia, qualia sunt imponere onera, ea tollere aut trahere, et alia hujusmodi.

4. Item opera quædam, quæ levem laborem exigunt, et a feminis etiam nobilibus fiunt, ut versare fusum; imo et ipsa Monialibus interdicuntur quæ pietatem sapiunt opera, scapularia, rosario, cordulas, imagines cereas, flores artificiales, etc., conficere, etiam citra ullum quæstus intuitum; eodem modo illicitum est iisdem diebus Christi aut B. Virginis statuam gratis et ex pia intentione fabricare.

164. — Hinc 2° licita sunt 1. opera quædam ex se servilia, sed quæ commode differri, vel anticipari aut non possunt, aut non solent, qualia sunt quæ requiruntur ad quotidianum usum, victum, necessitatem et dispositionem corporis, vestium, vel domus; v. g., parare cibos et coquere, colligere fructus hic et nunc mensæ apponendos,

renouvelle ses forces, de telle sorte que le lundi il retourne au travail plus intelligent, plus gai et plus vigoureux. »

« Depuis que j'ai résolu de fermer mon usine le samedi après midi, dit M. Déchelette, tisseur d'Amplepuits (Rhône), je n'ai pu constater que d'excellents résultats. Les ouvriers (qui ont été consultés) ont accueilli la réforme avec enthousiasme. C'est un plaisir de les voir travailler à leur petit jardin. Pendant que le mari plante et arrose, la femme se rend à la rivière, les enfants étendent le linge; une nouvelle industrie a remplacé celle du matin. On profite de cette soirée pour faire les réparations; les mécaniciens et les manœuvres qui y travaillent sont heureux de penser que le dimanche ils se reposeront comme leurs camarades. Nous n'avons pas reconnu la plus légère différence dans la production, et nous n'avons pas même une perte d'argent à déplorer. »

« Il faut garder à l'ouvrier le repos du dimanche, comme une oasis au milieu d'un désert. » Léon XIII.

animalia minora, ut pullos, lepores, etc., occidere, non tamen majora, ut vitulos, oves, boves, nisi anticipatam eorum occisionem impedierit vehementior caloris æstus; sternere lectum, quædam ædium loca verrere, usus quotidiani lavare vasa, et alia similia. Hæc constant ex praxi communi et omnium sensu.

2. Similiter licitum est venari, piscari, modo id non fiat magno cum labore, conatu, strepitu vel apparatu, nisi agatur de transitoriis piscibus, quos ingruente necessitate, præterquam in solemnioribus solemnitatibus, piscari licet, cap. 3, *de Feriis;* aut de clamosa pessimarum ferarum, ut luporum, venatione, quæ interdum auctoritate publica diebus sacris indicitur, cum aliis diebus commode fieri nequeat.

3. Item tonsoribus licet barbam radere, tum ex generali consuetudini, tum quia alioquin a pluribus magno ipsorum detrimento derelinquerentur.

4. Molitoribus etiam licet molere saltem probabiliter, si mola volvatur aqua aut vento, cum tunc parvus vel fere nullus ex parte hominis labor requiratur; secus vero, si jumentis agatur, nisi exigua sit hominis cooperatio. S. Ligor., n. 277.

An vero liceat ducere currum vel jumenta onusta, controvertitur. Juxta vero sententiam quæ hodie probabilior videtur, licet iter inceptum prosequi, imo et illud inchoare, dummodo ad currum onerandum notabilis ac diuturnus labor non requiratur. Cæterum, ab hujusmodi labore excusat sive bonum publicum procurandum, sive grave damnum vitandum. S. Ligor., n. 276.

165. — *Quæritur* 1° quænam materia sit gravis in opere servili diebus festi peracto?

Resp. Hoc pendet sive ex specie operis plus minusve servilis, sive ex parvitate temporis. Patet enim ad lethalem culpam minus temporis spatium requiri, si labor sit valde servilis, quam si parum. In primo casu, hodie communiter sentiunt auctores sufficere circiter duas horas cum dimidio; in secundo casu autem, requiri tres saltem

horas. Unde probabilius per se non peccat graviter, sed leviter tantum, dominus qui mandat sex famulis ut die festo laborent per horam; quia famulorum opera non uniuntur in unum, et singuli tantum venialiter peccant. S. Ligor., n. 306.

Cæterum, dies in festorum observatione incipit a medio noctis ad alterius noctis medium; et ideo peccant artifices, qui ultra mediam noctem opus protrahunt absque legitima causa.

166. — *Quæritur* 2° quænam causæ eximant ab illo præcepto?

Resp. Præceptum abstinendi a servilibus, quatenus positivum, non obligat cum magno incommodo; hinc ab eo excusat moralis necessitas. Porro quadruplex necessitas excusat ab obligatione abstinendi a servilibus operibus, festis diebus.

1° *Necessitas cultus divini*, ratione cujus licitum est altaria parare, Templa ornare, et alia hujusmodi facere quæ pertinent ad cultum divinum; hoc autem licitum esse Christus innuit Pharisæis, Matth. 12, v. 5 : *Non legistis in lege quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt?* Si tamen opera illa ante diem festum fieri possent, non excusarentur omnino qui ea festo die facerent; quippe quæ tali die exerceri non licet sine aliqua necessitate.

2° *Necessitas publica*, ratione cujus aliquando licet publicis operibus valde utilibus vacare, audita Missa : hinc excusari possunt, qui currus casu fractos, pontes aut vias publicas reficiunt, si opus sine jactura boni publici differri nequeat.

3° *Necessitas privata proximi*, ejusque indigentia, qua fit ut interdum diebus festis laborare liceat, v. g., ad tuendam vitam aut bona proximi, ad exstinguendum incendium. Sic excusantur fabri ferrarii, qui equos in via vel a rusticanis adductos calceant, aut vomeres agricolis die sequenti necessarios reducunt.

4° Denique *necessitas propria*, ratione cujus excusari

possunt pauperes, qui, judicio pii ac prudentis viri, se suamque familiam sustentare non possunt, nisi diebus festis laborent, quod tamen raro permittendum est; item, excusantur agricolæ qui, ob periculum pluviæ aut alterius damni, die festo vindemiant, metunt messem, aut fenum colligunt; similiter, opifices vitrarii, aut coquentes lateres excusantur, quoties absque gravi damno inchoatum opus non possunt interrumpere; pistores qui panem recentem habere debent, ut ementibus satisfaciant; sartores qui conficiunt vestes funebres aut nuptiales, quas neque per se neque per alios ante festum perficere valent. Probabiliter etiam excusantur, ob lucri notabilis et extraordinarii circumstantiam, illi qui laboribus se sustentant, quia pro illis tale lucrum omittere, idem est ac grave damnum pati. Demum excusare potest otii vitandi ratio, quando urget tentatio, quæ aliter vinci non posset : quod raro accidit. S. Ligor., 296-304, 362.

Quod spectat famulos et ancillas quibus ab heris, nulla cogente necessitate, præcipitur ut diebus festis laborent, etsi heri id non præcipiant in contemptum religionis, tenentur tamen, 1. heros rogare ut cessent sic cogere; 2. si non desistant a cogendo, tenentur ab illis discedere, prima data occasione, quam diligenter quærere debent; interim laborare possunt, si non sine gravi sui damno abstinere queant, quia lex Ecclesiæ cum tanto nocumento non obligat.

Cæterum, circa causas propter quas licitum est diebus festis laborare, tria debent observari : 1. quidem labor impedire non debet, quominus Missa audiatur; 2 caveri debet, quantum fieri potest, scandalum; hinc secreto laborandum est; et, si opus publicum sit, ordinarie petenda est a Pastore licentia; 3. necessitas debet esse moraliter certa, et talis a viris prudentibus judicata. Quare suadendum est fidelibus ut ordinarie, si commode possint, licentiam a superiore ecclesiastico postulent, ne cupiditate decepti, absque sufficienti causa, et cum aliorum scandalo laborent.

167. — Non solum Papa, sed et Episcopi ex justa causa

dispensare possunt in hac obligatione abstinendi ab operibus servilibus. Imo in parochiis ruralibus, ubi facilis non est ad Episcopum recursus, Parochi licentiam concedere possunt laborandi die festo, non quidem stabilem, sed diurnam et ad tempus, ac pro occasione occurrente.

PROPOSITIO III

168. — *Diebus Dominicis et festis de præcepto prohibentur sub gravi opera forensia quæ cum apparatu judiciali habentur, et mercatus, nundinæ, venditiones publicæ, quæ cum strepitu fiunt.* Certum est.

Constat ex jure canonico, c. 3 *de Feriis*, ex consuetudine, constanti universalique Ecclesiæ praxi.

Dixi 1° : *opera forensia quæ cum apparatu judiciali habentur*, ut partes interrogare, audire testes et advocatos, sententiam ferre : nisi tamen agatur de causa criminali, quæ jam incepta interrumpi sine gravi incommodo vel damno nequeat. Unde quæ pertinent ad litium et causarum instructionem, nec publicam actionem exigunt, licite possunt fieri a causidicis, procuratoribus, judicibus, modo Missa non omittatur.

Jure etiam novo Gallico prohibita sunt, 1. nonnulla opera *judicialia* seu forensia, expressa in art. 63, 781, 1037 Cod. Process. civ., salvis tamen exceptionibus in iisdem art. contentis; 2. plura etiam opera *servilia* et publica, quorum mentio habetur in art. 2 et 3 Legis 18 novembris 1824, de celebratione dierum festorum et dominicorum.

Dixi 2° : *mercatus, nundinæ, venditiones publicæ quæ cum strepitu fiunt.* Talia enim opera animum distrahunt plurimum et avocant a rebus divinis, ad quas festa destinantur.

Attamen, ob consuetudinem generaliter receptam, tolerantur nundinæ ad certum diem constitutæ, si in diem festum incidant. Ita Benedict. XIV, Constit. *Ab eo tempore;* S. Ligor., n. 286.

Tolerantur etiam in multis locis publicæ venditiones sub hasta, post peracta Officia; eo quod aliis diebus pauciores essent concurrentes.

Similiter passim invaluit consuetudo, ut, in gratiam rusticorum et opificum, qui per hebdomadam notarios adire nequeunt, notarii quælibet acta diebus dominicis conficiant.

Præterea, iniri possunt contractus qui sine strepitu fiunt, Scilicet, 1. in officinis publicis vendi et emi possunt esculenta, poculenta, calceamenta, candelæ, panni ad vestes conficiendas, et alia hujusmodi. Sed in non omnino apertis officinis fiat, ut sic ostendant mercatores ingrate vendere, atque se diem Dominicam ab aliis diebus distinguere.

2. Inter privatos licite ineuntur locationes, conductiones, et similia, atque venduntur et emuntur equi, boves, aliæque merces, sive in parva, sive in magna quantitate, etiamsi in hoc notabile tempus impendatur, modo non obstet auditioni Missæ.

3. Toleratur ut mercatores rerum parvi momenti (*petits merciers ou petits fruitiers*), ex uno in alium locum merces deferant, ostendant et vendant.

169. — Cæterum, in judicialibus et forensibus, juxta S. Ligor. n. 307, gravitas materiæ desumi debet non ex quantitate temporis, sed ex qualitate operis, quod efficacius abstrahit a rebus divinis.

PARS SECUNDA

DE PRÆCEPTIS SECUNDÆ TABULÆ, SEU DE OFFICIIS ERGA PROXIMUM.

170. — *Quæritur* quænam sint secundæ tabulæ præcepta?

Resp. Præcepta, quæ scripta erant in secunda ex duabus tabulis, quas Deus Moysi tradiderat, septem sunt, et hominem immediate ordinant ad proximum. Scilicet :

I. *Honora patrem et matrem, ut sis longævus super terram.*
II. *Non occides.*
III. *Non mœchaberis.*

IV. *Non furtum facies.*

V. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

VI. *Non desiderabis uxorem proximi tui.*

VII. *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis servum, non ancillam, non bovem,* etc. Exod. 20, v. 12-17.

« Et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* » Rom. 13, v. 9.

171. — Hinc 1° ex his præceptis, unum est per se affirmativum, atque ordinat hominem ad illos, quorum est debitor, nempe ad parentes, ut eis debitum reddat.

Alia autem præcepta per se sunt negativa, et hominem ordinant ad cæteros omnes, ut nulli nocumentum inferatur neque *opere,* neque *ore,* neque *corde.*

Opere quidem infertur nocumentum proximo, vel in propriam personam, et hoc prohibetur per præceptum : *Non occides;* vel in personam conjunctam, quoad propagationem prolis, et hoc prohibetur, cum dicitur : *Non mœchaberis;* vel in rem possessam, quæ ordinatur ad utrumque, et quantum ad hoc dicitur : *Non furtum facies.*

Oris nocumentum prohibetur per verba : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

Cordis tamen nocumentum prohibetur per præcepta : *Non concupisces uxorem proximi tui; non desiderabis domum* proximi tui, etc.

Quibus autem aliquid addit positivum præceptum *diligendi* proximum, quod est, ut vidimus, n. 65, objectum *secundum* primi præcepti Decalogi, et consectarium dilectionis erga Deum.

Nullum igitur in Decalogo exstat præceptum, quo homo expresse ordinetur ad seipsum; et hoc quidem ob triplicem præsertim rationem. Scilicet, præcepta Decalogi referuntur ad præceptum dilectionis : atqui lex naturalis propter peccatum obscurata erat quoad dilectionem Dei et proximi, non autem quantum ad dilectionem sui ipsius; ergo oportuit per revelationem dare homini præceptum de dilectione Dei et proximi, non vero sui.

2. Dilectio sui ipsius includitur in dilectione Dei et proximi; siquidem in hoc homo vere se diligit, quod se ordinat in Deum; ergo sufficienter regulatur dilectio sui per præcepta pertinentia ad Deum et ad proximum.

3. Præcepta Decalogi sunt illa, quæ immediate populus recepit a Deo, Deuter. 10, v. 4; et ideo oportuit talia esse, quæ statim in mentem populi cadere possint : porro, quod homo ex necessitate debeat aliquid Deo et proximo, hoc de facili cadit in conceptum hominis, et præcipue fidelis : at non ita in promptu apparet, quod aliquid sit debitum homini de his, quæ pertinent ad ipsum; primo enim aspectu videtur quod quilibet sit liber in his quæ ad ipsum pertinent; ergo præcepta, quibus prohibentur inordinationes hominis ad seipsum, perveniunt ad populum mediante instructione sapientum. S. Th. 1. 2, q. 100, a. 5.

172. — Hinc 2° convenienter ordinantur septem illa præcepta.

Etenim magis repugnat rationi et gravius peccatum est, si homo non servet ordinem debitum ad personas, quibus est magis debitor; et ideo, inter præcepta ordinantia ad proximum, primo ponitur præceptum pertinens ad parentes.

Gravius est etiam peccare opere quam ore, et ore quam corde tantum; et, inter peccata operis, gravius est homicidium per quod tollitur vita hominis jam existentis, quam adulterium per quod impeditur certitudo prolis nascituræ; et adulterium gravius est quam furtum, quod pertinet ad bona exteriora.

173. — Hinc 3° omnia hominum officia erga proximum ad triplicem virtutem pertinent, scilicet, vel ad *caritatem*, vel ad *pietatem*, vel ad *justitiam*.

Caritas complectitur officia *communia* dilectionis erga proximum in genere, juxta illud : *Diliges proximum sicut teipsum*. *Pietas* autem pro objecto habet officia *specialia* dilectionis erga parentes, et etiam erga superiores, juxta illud : *Honora patrem tuum*. Tandem *justitia* respicit omnia

bona sive interna, sive externa proximi, atque regulatur per sex ultima Decalogi præcepta.

Itaque in triplici capite, disserendo 1° de virtute caritatis erga proximum; 2° de pietate erga parentes et superiores; 3° de justitia erga omnes, dicemus de omnibus præceptis, quæ hominem immediate ad proximum ordinant.

CAPUT PRIMUM

DE CARITATE ERGA PROXIMUM

Dicemus in triplici articulo 1° de actu interno dilectionis erga proximum; 2° de actu externo ejusdem dilectionis; 3° de peccatis contra caritatem erga proximum.

ARTICULUS PRIMUS

De actu interno Caritatis erga proximum.

Tria inquirenda sunt, scilicet, 1. an detur præceptum diligendi proximum; 2. an etiam inimicus diligendus sit; 3. quis ordo servandus sit in dilectione proximi.

§ I

An detur præceptum diligendi proximum.

Nomine *proximi*, ut dictum est n. 65, intelliguntur Angeli, Beati, animæ in Purgatorio detentæ, et maxime homines viatores, sive justi sive peccatores, sive fideles sive infideles, sive concives sive extranei, sive amici sive inimici.

PROPOSITIO

174. — *Grave existit præceptum diligendi proximum amore supernaturali, affectivo et effectivo.* Certum est.

Et quidem 1° *diligendi proximum*, ut constat ex sexcentis Scripturæ locis. Sic Christus, cum dixisset primum et maximum mandatum esse de diligendo Deo, addit, Matth. 22, v. 39 : « *Secundum* autem simile est huic : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* » — « Et hoc *mandatum* habemus a Deo, ut qui diligit Deum, *diligat et fratrem suum.* » I Joan. 4, v. 21.

Revera, ut jam diximus n. 65, lex amicitiæ erga Deum postulat, ut, propter ipsum, diligamus omnes, qui ad illum specialiter pertinent : atqui proximus, de quo agitur, ad Deum ita pertinet, ut ab eo Deus possit et debeat amari, laudari et glorificari propter suam infinitam bonitatem et amicitiam erga homines; ergo ita proximum diligere debemus, ut desideremus quod proximus Deo tanquam fini ultimo adhæreat, indeque Deus ametur, laudetur et glorificetur; sicque Deus ipse sit ratio formalis diligendi proximum.

2° Amore *supernaturali*, quo, scilicet, proximo velimus beatitudinem æternam et omnia media ad illam; alioquin jam non diligeretur proximus, ut per eum Deus glorificetur, sicut Deus glorificari intendit.

Revera, Christus dicit : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, *sicut* dilexi vos, » Joan. 15, v. 12; id est, simili ac proinde dilectione supernaturali ratione principii seu gratiæ, objecti seu beatitudinis, motivi seu Dei.

3° Amore *affectivo*, id est actu interno voluntatis; alioquin non esset vera dilectio, ut requirit verbum *diliges*. Et vero, « Non satis est bene velle, sed etiam oportet benefacere; nec satis est iterum benefacere, nisi ex bono fonte, hoc est, *bona voluntate proficiscatur;* » S. Ambros. *de Off.* lib. 1, c. 30. Sed etiam Innocent. XII damnavit hanc propositionem : « Non tenetur proximum diligere actu *interno* et *formali :* » et sequentem : « Præcepto diligendi proximum satisfacere possumus per *solos actus externos*. »

Non est tamen necesse ut *singulos* proximos *speciali et singulari affectu diligamus*, nisi forte sint nobis speciali ratione conjuncti, ut parentes, Superiores; sed sufficit *actus generalis dilectionis* quo omnibus, tanquam ad supernaturalem beatitudinem vocatis, eam aliaque bona supernaturalia optemus, et, quantum in nobis est, procurare intendamus.

4° Amore *effectivo*, scilicet, bona officia proximo exhibendo; fieri autem non potest, quin amor vere effectivus in actum externum, data occasione, non erumpat. Revera

dictum est : *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.* I Joan. 3, v. 18. — *Probatio dilectionis exhibitio est operis;* S. Gregor. *Homil.* 30.

Quare præceptum dilectionis proximi obligat non solum ad interiorem, sed etiam ad comprobandam aliquando per opera illam caritatem, impendendo scilicet beneficia proximo, vel illius damnum impediendo, ut infra dicetur, n. 184, 193.

175. — *Quæritur* quandonam obliget præceptum dilectionis proximi.

Resp. Non potest præcise determinari, quandonam illud præceptum obliget *per se*. Dici tamen potest nos ad eliciendum hunc actum teneri, 1. post adeptum rationis usum et propositam dilectionis proximi necessitatem; 2. aliquoties in vita, juxta viri prudentis judicium.

Obligat autem *per accidens*, quando actus dilectionis proximi necessarius videtur ad vitandum illius odium, vel aliud peccatum contra ipsum, v. g., cum juvandus est inimicus : hoc tamen plerumque aliunde fieri potest, nempe per dilectionem Dei in desiderio illi placendi, in deponendo odio et juvando inimico.

176. — *Obj.* Sancti aliquando leguntur mala peccatoribus optasse; ergo non tenemur eos diligere amore affectivo.

Resp. Imprecationes hujusmodi quæ in Scriptura leguntur, multipliciter intelligi debent : 1° quidem per modum prophetiæ, non per modum optationis, ut quando dicit Psalmista, 9, v. 18 : *Convertantur peccatores in infernum;* idem enim est ac si diceret, *Convertentur.* « Maledicta cum ex Prophetia dicuntur, non sunt de malo voto imprecantis, sed de præscio spiritu denuntiantis. » S. August. *Cont. Faustum*, lib. 16, c. 22. — 2° Sunt per modum optationis malorum temporalium, quatenus ea improbis utilia sunt ad eorum conversionem. 3° Ex zelo, justitiæ proficiscuntur, quatenus mala illa juste a Deo immittuntur in vindictam criminum : sic Elias maledixit quinquagenariis, et Eliseus pueris Bethel. 4° Denique imprecationes aliquando non contra homines diriguntur, sed contra regnum peccati, ita ut Sancti optent, non quidem ut homines esse desinant, sed ut desinant esse peccatores.

§ II

De Dilectione inimicorum.

PROPOSITIO

177. — *Præceptum diligendi proximum obligat ad diligendos inimicos, saltem æque ac alios homines, et ad condonandam iis injuriam acceptam.* Certum est.

Et quidem 1° *ad diligendos inimicos.* Dicitur enim : « Ego autem dico vobis : *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos;* » Matth. 5, v. 44.

« Sciendum est Christum non impossibilia *præcipere*, sed perfecta : quæ facit David in Saul et Absalon, Stephanus quoque Martyr *pro inimicis* lapidantibus deprecatus est; et Paulus anathema cupit esse pro *persecutoribus suis;* hæc autem Jesus et docuit et fecit, dicens : *Pater, ignosce illis, quod enim faciunt, nesciunt.* » S. Hieron. in Matth. 5. — « Sed dicet aliquis : *Grandis labor inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare.* Non negamus, Fratres; non parvus quidem labor est in hoc seculo, sed grande erit præmium in futuro : per amorem enim hominis inimici efficieris amicus Dei; imo non solum amicus, sed etiam filius, sicut ipse Dominus dicit : *Diligite inimicos vestros, benefacite eis qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* » S. August. de S. Steph. serm. 5.

Revera quandiu inimici nostri sunt viatores, amicitiæ divinæ æternæque beatitudinis sunt capaces, et consequenter participant motivum dilectionis; ergo sunt diligendi.

2° *Æque ac alios homines.* Scilicet, est obligatio diligendi inimicum eo tempore et modo, quo generaliter et alios homines, id est, per actum generalem dilectionis et per signa externa benevolentiæ, quando his indiget. Hinc Apostolus, Rom. 12, v. 20, ait : *Sed, si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi.* Et Exodi 23, v. 4, 5, præceperat Deus : *Si occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, reduc ad eum; si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Idem dicendum de quocunque alio inimici bono, sive animæ, sive corporis, sive fortunæ; est enim obligatio damnum illius avertendi,

si absque magno incommodo fieri possit, et ab hoc quisque animo paratus esse debet erga inimicum.

3° *Saltem* æque ac alios homines, id est, concivem ut concives, subditum ut subditos, Superiorem ut Superiores, cognatum ut cognatos ejusdem gradus et ordinis; quia, licet non semper teneamur singularia benevolentiæ signa inimicis exhibere, v. g., eos admittendo ad convivia vel ad familiaritatem, etc., aliquando tamen ad hoc obligamur, v. g., 1. quando ex omissione istorum signorum benevolentiæ sequitur scandalum vel hominis jam exulcerati majus odium; 2. si spes sit salutatione, familiaritate, aut aliquo alio benevolentiæ signo animum inimici facile placandum; 3. si absque hujusmodi signis odium internum non facile deponi possit; 4. a fortiori si hinc foveatur vel augeatur in nobis simultas et odium inimici.

Extra has autem circumstantias et casum necessitatis, non tenemur inimicis specialia benevolentiæ signa præstare; præceptum enim caritatis, per se loquendo, non plus obligat ad dilectionem inimici, quam cujuslibet alterius; conditio siquidem inimici, non duplicat proximi conditionem : atqui ad præceptum dilectionis proximi, satis est, communiter loquendo, ut, extra casum necessitatis et indigentiæ, ametur in communi, eique communia benevolentiæ signa pro cujuscunque conditione et statu exhibeantur; ergo, etc.

4° *Ad condonandam injuriam acceptam.* Est enim obligatio absoluta remittendi ex animo offensam ab inimico acceptam, juxta illud Matth. 6, v. 15 : *Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Et c. 18, v. 35 : *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* De hac obligatione loquens S. Aug., Serm. 61 de tempore, ait : « Sed dicet aliquis : Nulla ratione possum inimicos diligere. In omnibus Scripturis Deus dicit tibi quia potes. Tu e contrario respondes non posse. Considerata nunc utrum tibi a Deo debeat credi... quia nec impossibile aliquid potuit imperare, qui justus est, nec damnaturus est hominem pro eo quod non potuit vitare, quia pius est. »

Hæc autem *offensæ condonatio* nihil est aliud, quam *interioris odii vel appetitus vindictæ depositio; et fuga omnis demonstrationis odii contra inimicum :* contrarium autem facere est peccatum ex genere suo mortale. Dico *ex genere suo*, quia interdum a peccato mortali excusantur levia inimicitiæ signa, 1. ratione causæ, ut si ex levi odio vel rixa procedant, secluso scandalo, sicut contingit sæpe inter eos, qui simul convivunt; 2. ratione periculi vel timori ne, si statim inimico venia concedatur, ipse deterior fiat; quapropter Superiores, quales Principes, Prælati, parentes, si ab inferioribus læsi fuerint, possunt aliquando iis ad tempus (secluso tamen odio et aliorum scandalo) denegare reconciliationem et communia benevolentia signa, justæ punitionis causa. ad eorum emendationem vel ad majorem aliorum cautelam.

Hinc 1. non licet inimicum *expresse* excipere a communibus orationibus, beneficiis, auxiliis aut benevolentiæ signis; quia esset aperta vindicta et odii demonstratio. Ita S. Th. 2, 2, q. 25 et 83.

Hinc 2. illicitum est inimico salutanti salutationem non reddere, vel ei denegare solita benevolentiæ signa.

Hinc 3. graviter peccat, qui non vult reconciliari inimico, quantum in se est, sive nolit prior veniam petere, quando juste exigitur, et ipse prius ac longe gravius alium offendit, aut est longe inferioris conditionis, sive nolit petenti dare veniam, aut convenientem ejus satisfactionem acceptare. Cæterum, qui alium offendit, debet prior, per se, media ad reconciliationem adhibere; si offensio sit mutua et æqualis, qui prior offendit, prior reconciliationem promoveat; si vero sit inequalis, præcat qui gravius offendit.

Quoad actionem injuriarum in judicio, sive civilem sive criminalem, cavendum est diligenter ne qui eam contra offensorem instituit, hoc ex *odio* faciat vel animo *vindictæ propriæ* : esset enim grave peccatum; sed illud tantum licet ac debet fieri ex sincero amore justitiæ et boni communis. Unde patet litigantes persæpe Deum hac in parte offendere.

§ III

De Ordine in Caritate servando.

PROPOSITIO

178. — *Ordo caritatis exigit,* 1° *ut bonum nostrum spirituale necessarium præferamus omni bono proximi;* 2° *ut bonum spirituale proximi necessarium præferamus bono nostro corporali, etiam propriæ vitæ;* 3° *ut bonum nostrum corporale præferamus ordinarie bono corporali proximi;* 4° *denique ut bonum proximi nobis magis conjuncti, cæteris paribus, præferamus bono proximi nobis minus conjuncti.* Certum est.

Et quidem 1° tenemur bonum *nostrum spirituale necessarium* præferre *omni bono proximi.* Nam : *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Matth., 16, v. 26. — *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?* Eccl. 14, v. 5. « In animæ negotio et in acquirenda hæreditate cœlesti, nemo tibi germanior sit teipso. » Petrus Blesensis. *de Instit. Episcopi.*

Revera dilectio sui est regula et exemplar dilectionis proximi, ac proinde in rebus necessariis prior ac potior esse debet, juxta vulgatum : *Caritas incipit a semetipso.* Quare particula, *sicut,* in præcepto diligendi proximum, non significat proprie æqualitatem, sed similitudinem dilectionis, ita ut quilibet simili modo diligat proximum quo seipsum, scilicet, desiderando ei et procurando beatitudinem et media ad illam, et universaliter ei faciendo, quod sibi fieri vellet. Non obstante autem hac similitudine dilectionis, quisque potest, imo et debet seipsum plus diligere quam proximum, in bonis spiritualibus necessariis.

Hinc non licet optare sibi vel procurare spiritualem aliquam animæ jacturam, quantumvis exiguam, ad procurandum aliis aliquod bonum etiam spirituale, quantumvis utile ei maximi momenti : « Ad sempiternam salutem nullus ducendus est, opitulante mendacio; » S. August., *de Mendacio.* Nunquam ergo licitum est se *proximo* vel venialiter peccandi periculo exponere, ob bonum spirituale

etiam necessarium proximi; in moralibus enim idem est peccatum commitere, et illius committendi *proximo* periculo se exponere.

2° Tenemur bonum *spirituale necessarium proximi* præferre cuicunque bono notro *corporali, etiam aliquando propriæ vitæ.*

Etenim dicit Christus : « Hoc est *præceptum meum*, ut diligatis invicem, *sicut dilexi vos*. Majorem hac dilectionem nemo habet, *ut animam suam ponat quis pro amicis suis;* » Joan., 15, v. 12, 13. « In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam *ille animam suum pro nobis posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere.* » I Joan., 3, v. 16.

« Temporalem vitam suam, pro æterna vita proximi non dubitavit Christus amittere : hoc enim præcessit exemplum, ut pro nobis Dominus moreretur. » S. August., *de Mendacio*, c. 6. Et vero salus proximi est bonum superioris ordinis; ergo, etc,

Hæc autem obligatio urget, *saltem quando proximus est in supremo et insuperabili mortis æternæ periculo, a quo ipse se eripere non potest, et spes est illum juvandi :* sic, v. g., parvulo sine Baptismate morituro in incendio; item peccatori in peccato mortali occidendo dum dormit, vel nihil suspicatur, etc., Christianus quilibet tenetur, quatenus potest, succurrere, etiam cum certo propriæ vitæ periculo; dummodo 1. spes æque certa affulgeat juvandi proximum et illum salvandi, nec sint alii qui succurrere possint ac velint; modo 2. nihil ipse faciat, quo sibi mortem *directe* inferre videatur : unde, ut puerum aquis innatantem baptizes, non potes te in aquam dare præcipitem, si nulla spes affulgeat evadendi.

Imo *Pastores, et alii quibus ex officio incumbit animarum cura, tenentur præterea ex justitia succurrere proximo, etiam cum periculo vitæ, non solum in extrema necessitate spirituali, sed etiam in gravi.* Nam Pastores strictius obligantur in extrema necessitate succurrere proximo; ergo Pastores tenentur etiam in gravi; quæ obligatio, cum ex eorum officio procedat, certe oritur ex justitia. Hinc Doctores communiter docent Pastorem, tempore pestis, teneri ovi-

bus suis administrare sacramenta necessaria, nec posse gregem deserere.

5° *Possumus ordinarie bonum nostrum corporale necessarium præferre bono corporali proximi.*

Etenim, si quis pro temporali alterius vita suam ipsam temporalem perdat, non est jam illum diligere sicut seipsum, sed plus quam seipsum, quod sacræ doctrinæ regulam excedit. S. August. *de Mendacio*, 6.

Revera dilectio sui est regula dilectionis proximi; ergo ordinarie, et per se loquendo, quisque debet vel saltem potest magis tueri vitam propriam quam alienam.

Dico : *ordinarie;* quia si accedat ratio boni communis vel majoris utilitatis, vel etiam, ex communiori sententia, ratio gratitudinis aut amicitiæ, aut alia similia, licitum esse poterit alienam vitam propriæ anteponere ; imo poterit esse necessarium, si Reipublicæ et boni communis necessitas exigat : ratio enim postulat ut pars periclitetur pro toto. Neque tamen in hoc casu quis magis diligit proximum quam seipsum, sed in se plus diligit *bonum virtutis* quam *bonum corporale*, ut ait S. Thom. in 3 *Sentent., dist.*

Dixi : *bonum corporale necessarium;* nam quoad ea quæ necessaria non sunt, v. g., commoda, dignitates, aliave temporalia bona, non solum licitum, sed etiam laudabile est ea dimittere, ut alteri obveniant, juxta Christi Domini et Sanctorum exempla.

4° Tenemur bonum *proximi nobis magis conjuncti*, cæteris paribus, præferre bono proximi *nobis minus conjuncti.*

Nam, *si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior;* I Tim. 5, v. 8. — « Cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum et temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur. » S. August. *de Doct. christ.* lib. 1, c. 28. « Dei traditio est, ut prius pascas parentes. » S. Ambros. in c. 18 S. Luc.

Et vero, qui nobis magis sunt conjuncti, sunt magis unum nobiscum; quare, cum ordine caritatis teneamur bonum nostrum præferre bono proximi, tenemur etiam

præferre bonum eorum qui magis nobis sunt conjuncti. Id ipsa natura dictat; atque, ut egregie observat S. Thomas, unumquodque agens naturale magis diffundit actionem suam ad ea, quæ sunt sibi magis propinqua, et similiter Deus in substantias sibi propinquiores copiosus dono suæ bonitatis effundit.

179. — Hinc, quoties agitur de auxilio præstando in extrema necessitate, sive corporali, sive spirituali, cæteris paribus, et per se loquendo, præferri debent conjuncti, secundum mensuram majoris vel minoris conjunctionis, et ad id obligamur sub peccato mortali, quando res est magni momenti.

Ordo autem inter conjunctos a S. Thoma et aliis communiter assignatus, hic est : 1. parentes, 2. conjux, 3, filii, 4. fratres, et deinceps reliqui consanguinei, 5. spirituali et morali necessitudine conjuncti, ob instructionem vel aliud beneficium spirituale : item, ob amicitiam, societatem vel aliquod beneficium temporale; 6. tandem inter extraneos præferendus est justus et innocens peccatori. Hinc S. Ambr. lib. 1, de Officiis, cap. 30, ait : « Etsi debetur omnibus misericordia, tamen justo amplius. »

Si tamen hic ordo invertatur quoad personas, quarum conjunctio non est certo vel longe notabiliter strictior, excusabitur quis a peccato, saltem mortali.

Dixi 1 : hunc ordinem servandum esse *cæteris paribus;* quia, si agatur de necessitate inæquali, præferendus est extraneus, etiam peccator, in extrema necessitate spirituali positus, conjuncto solum corporaliter indigenti; sic etiam, si quis magno spirituali vinculo vel intima amicitia aut valde singularibus beneficiis ab alio sit affectus, spectatis circumstantiis, censebitur arctius conjunctus quam consanguineus non ita propinquus.

Dixi 2 : *per se loquendo;* possunt enim exigere circumstantiæ, ut alteri præferatur is qui naturaliter deberet postponi; sic mater bona, et quæ filiorum dignam gerit curam, plus diligemda est quam pater helluo et malus : unde graviter saltem non peccaret maritus, qui uxori clamosæ

et inutili filium sibi in temporalibus necessarium præferret.

Dixi 3 : *in extrema necessitate;* extra eam enim debet uxor maritum præferre patri, et pater filios propriis genitoribus. Unde conjugi et *filiis magis* quam patri *debetur cura provisionis,* inquit S. Thom. *ibid.*, a. 9.

180. — *Obj.* 1° Apostolus, Rom. 9, v. 3, de seipso ait : *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis;* ergo, etc.

Resp. 1. Juxta S. Hierony., S. Paulus non optavit in perpetuum privari Dei visione pro fratribus, sed tantum mortem pro æterna illorum salute appetivit.

2. Juxta S. Chrys., *Homil.*, 15 et 16 *ad Rom.*, pluresque Patres in hunc locum, S. Paulus optavit *si fieri posset*, et ex hypothesi, quam sciebat impossibilem, remanente semper amore erga Deum, privari in æternum ejus visione, si hoc Deo placeret, et ad ejus gloriam magis conduceret, idque ex magno zelo conversionis Judæorum et eorum salutis : quod desiderium erat signum maximæ caritatis. At tale desiderium separationis æternæ a Deo non erat, nec esse poterat *absolutum*. Vide Tract: *de Pœnit.* n. 163.

181. — *Inst.* II Cor. 13, v. 7, ait Apostolus : *Oramus... ut, quod bonum est, faciatis, nos autem ut reprobi simus;* ergo, etc.

Resp. Hic est sensus textus illius : « Ut reprobi simus, id est, viles habeamur, despectui simus apud omnes, dummodo vos bene agatis; » reprobum ergo non opponit prædestinato, sed honorato, quo fere sensu vox eadem usurpatur, I Reg., 15, v. 9, et Psalm. 117, v. 22.

182. — *Obj.* 2° Exodi 32, v. 31, 32, sic Deum precatur Moyses : *« Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facies, dele me de libro tuo, quem scripsisti ;* » ergo, etc.

Resp. 1. Sensus illorum verborum est : « Aut parce illis, aut dele me de numero viventium. » Simili modo Moyses orabat, Num. 11, v. 15 : *« Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me.* »

2. Si contendat aliquis loqui Moysen de libro prædestinationis, tunc sic loquitur cum certa fiducia quod non esset delendus, eo fere modo quo filius unigenitus a patre valde dilectus ei diceret : Si dimittis hunc famulum tuum, ejice me simul de domo tua; certissime sciens se non esse ejiciendum.

ARTICULUS II

De externo actu Caritatis erga proximum.

Externus caritatis actus spectare potest vel corpus vel animam proximi : si prius, dicitur eleemosyna corporalis, aut simpliciter eleemosyna; si posterius, spiritualis eleemosyna nuncupatur. De utraque dicemus in duplici paragrapho.

§ I

De Eleemosyna corporali.

183. — *Quæritur* quinam sint *actus* eleemosynæ corporalis, quotuplex sit *necessitas* proximi, cui per illam eleemosynam subveniendum sit, et quotuplex bonorum genus?

Resp. 1. Eleemosynæ septem numerantur actus, qui vocantur actus misericordiæ corporalis, et hoc versiculo continentur :

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo ;

scilicet, visitare infirmos vel in carcere detentos; potum sitientibus dare; cibum esurientibus; redimere captivos; vestire nudos; peregrinos hospitio excipere; mortuos sepelire.

2. Triplex distingui potest necessitas proximi, cui per eleemosynam subveniendum est, *extrema* videlicet, *gravis* et *communis*.

In extrema necessitate constitutus dicitur proximus, quando versatur in *evidenti periculo mortis*, vel *morbi alicujus incurabilis*, vel *mutilationis* alicujus e præcipuis membris, vel *amittendi* aliquem *sensum*, vel in *perpetuam amentiam* incidendi, et tamen non adest alius, qui possit aut qui velit subvenire, ideoque auxilio nostro *extreme* indiget.

Necessitatem *gravem* pati dicitur ille, cui imminet periculum *gravis* mali, v. g., captivitatis, triremium, morbi gravis, abbreviationis vitæ, infamiæ notabilis, bonorum jacturæ, aut alterius mali, ex quo fiat ut vitam nonnisi *ægre ducere possit :* v. g., si nobilis cogatur famulari, aut vir honestus mendicare.

Denique in *communi* necessitate versatur ille qui, infra gravem necessitatem et sine notabili jactura sui status, *vera* tamen *indigentia* premitur; talis est regulariter necessitas pauperum ostiatim mendicantium.

3. Triplicis generis bona potest quis possidere : 1. quædam sunt *necessaria naturæ* seu ad vitæ suæ et suorum sustentationem; 2. quædam sunt quidem superflua naturæ seu vitæ, sed sunt *necessaria personæ* seu ad conservandum *statum* suum, et ad honestam filiorum educationem; item, quæ reservari possunt ad communes eventus et necessitates : qualia tamen non sunt, quæ quisque reservat ad fastum et pompam; 3. denique alia sunt bona simpliciter et absolute *superflua*, id est, nec ad conservandum statum proprium necessaria. His positis, sit

PROPOSITIO PRIMA

184. — *Datur præceptum sub mortali obligans de facienda eleemosyna indigentibus.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* sexcentis in locis; ut Proverb. 21, v. 3, 13; Eccli. 1, et 29, et præsertim Matth. 25, v. 41, 42, ubi Christus sic loquitur : *Discedite a me maledicti in ignem æternum... Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*, etc., ubi damnantur homines propter neglecta misericordiæ opera et propter transgressionem hujus præcepti. Item, I Joan. 3, v. 17, ubi sic legitur : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Vide Bossuet, *Méditat. sur l'Evangile*, journ. 66, 94, 95.

2° *Innumeris Patrum testimoniis*, quorum plura inferius referemus : nunc sufficiat illud S. Ambrosii, lib. 1, *de Officiis*, c. 39 : « *Grandis* culpa est, si, *sciente te, fidelis egeat*, si scias eum... *fame* laborare, *ærumnam* perpeti, qui præsertim egere erubescat. »

Cum autem præceptum hoc affirmativum sit, non obligat pro omni tempore, sed solum quando hæc duo concurrunt, scilicet 1. quando proximus indiget ac necessitatem patitur; 2. quando dans eleemosynam habet superflua, ut mox dicetur, juxta illud Christi Domini, Luc. 11, v. 41 : *Ve-*

rumtamen quod superest, date eleemosynam. Hinc, pro triplici necessitate superius exposita, triplex adhuc statuenda est propositio. Sit igitur

PROPOSITIO II

185. — *In extrema proximi necessitate facienda est eleemosyna, etiam de bonis statui seu personæ aliquo modo necessariis.* Certum est.

Prob. 1° *Ex textibus Script.* supra relatis, qui, si quando obligant, certe in necessitate extrema.

2° *Ex SS. PP.*, inter quos S. Ambr., relatus, *disc.* 86, c. *Pasce*, sic ait : « Pasce fame morientem; quisquis pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, *occidisti.* » Et lib. 1. *de Officiis*, c. 40 : « *Grandis culpa*... si (fidelis) in causam ceciderit aut captivitatis suorum aut calumniæ, *et non adjuves :* si sit in carcere, et pœnis et suppliciis propter debitum aliquod justus excrucietur... Si tempore afflictionis suæ nihil a te impetret; si tempore periculi, quo rapitur ad mortem, *plus apud te pecunia tua valeat, quam vita morituri.* » Eodem modo loquitur S. Gregor., *Homil.* 20 in Evang. : « Minus, inquit, proximum amare convincitur, qui non cum eo *in necessitate illius, etiam ea, quæ sibi sunt necessaria, partitur.* »

3° *Ratione.* 1. Ordo charitatis *ordinarie* postulat, ut vitam proximi præferamus propriæ dignitati. 2. Qui extremam patitur necessitatem, licite potest diviti, etiam nolenti, subripere quæ ipsi ad vitam necessaria non sunt : neque in hoc dives potest esse rationabiliter invitus; ergo quisque tenetur, et quidem sub mortali, proximo in necessitate constituto subvenire, notabiliter etiam de status sui splendore detrahendo.

186. — *Obj.* Sequeretur ex hac conclusione, 1. virum nobilem ut servet vitam rustici, opulentum teneri distrahere patrimonium; 2. teneri divitem ad dandum gratis egenti; nec sufficere quod ei det mutuo : porro talia certo absurda sunt; ergo, etc.

Resp. ad 1um : *Nego sequelam.* Nemo quippe tenetur in pauperem esse liberalior, quam in semetipsum : atqui, ut notat Sylvius, si quis ab hostibus captus esset, non teneretur se quantacunque summa

redimere, cum totali status sui suæque familiæ subversione, nisi talis esset persona, ex qua penderet salus Reipublicæ; ergo multo minus alium tanto cum incommodo redimere debet. Enimvero, licet hominis vita toto censu pretiosor sit, *in ordine tamen ad bonum publicum* quod privato certe præferendum est, pluris valet aliqua magna substantiæ et boni quantitas, quam privati vita. Alias quippe quotidie subverterentur nobiliores familiæ ad suppeditanda cuique pauperi in extremis constituto exquisitissima remedia, et accersendos cum immensis sumptibus præstantiores medicos, quod pauci etiam potentes faciunt, et quod reipsa nemini præceptum est. In hoc itaque negotio sæpe opus est arbitrio prudentum, qui, spectatis omnibus circumstantiis, decidant quantum de suo statu debeat quis detrahere, ut alterius vitam conservet.

Resp. ad 2um aliquando teneri divites ad dandum gratis, aliquando sufficere quod dent mutuo.

1. Si proximus sit tantum *pauper secundum quid*, id est, si hic et nunc careat quidem necessariis, sed habeat alibi bona, vel spem habendi ex fundo, successione, industria; aut si res, qua indiget, sit ipsi quoad solum usum, in præsentibus circumstantiis, necessaria, tunc satisfit ei mutuando, commodando, vendendo, non numerata pecunia etc., id quo indigeat solum ad tempus, nec ipsa re ut gratis danda opus habet, sed sola rei mutuatione, etc. Hinc sufficit mutuari frumentum agricolæ nunc egenti, sed uberrimam messem exspectanti; sufficit equum commodare, cui præcise necessarium est, ut periculum fuga devitet.

2. Si proximus sit *absolute pauper*, ita ut nullibi bona habeat, nec ullam habendi spem, tunc est obligatio ei dandi gratis et absque onere restituendi; ex dictis enim eleemosyna cadit sub præcepto : atqui sola gratuita donatio est proprie eleemosyna; ergo, etc.

PROPOSITIO III

187. — *In gravi necessitate proximi, facienda est eleemosyna ex superfluis fortunæ, imo et ex naturæ superfluis, quæ ad aliqualem status decentiam necessaria sunt.* Certum est.

Prob. 1° *Ex verbis Christi*, Matth. 25, supra relatis, ex quibus patet non agi solum de necessitate extrema, sed et de gravi; nam verba illa, *Hospes eram, infirmus, et in carcere*, non significant extremam, sed ad summum gravem necessitatem; et tamen Christus damnationem interminatur iis, qui in tali necessitate eleemosynam non fecerunt.

2° *Ex SS. PP.*, quos inter S. Aug. *in Epist. Joan.* c. 5, Tract. 5, sic loquitur : « Esurit frater tuus, in necessitate constitutus est... Si habes facultates mundi, *quid ad me pertinet,* forte dicis? Ergo daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur? *Si hoc tibi responderit cor tuum,* dilectio Patris *non in te manet.* »

Et Beda, lib. 14 in c. 11 Lucæ : « Quod necessario victui vestimento *superest, date pauperibus.....* Neque enim ita facienda jubetur eleemosyna, ut te ipsum consumas inopia, sed ut, *tui corporis cura expleta,* inopem, *quantum vales, sustentes.* »

Denique SS. PP. supra citati et alii, cum de obligatione faciendæ eleemosynæ agunt, non meminerunt tantum extremæ necessitatis, quæ raro contingit, sed communiter mentionem faciunt alterius, quæ frequenter occurrit, cujusmodi est gravis et communis necessitas.

Dixi : *imo et de superfluis naturæ, quæ ad aliqualem status decentiam necessaria sunt.* In gravi enim necessitate subvenire debemus proximo cum *aliquo* proprii status detrimento, v. g., distribuendo divitias, quæ necessariæ sunt ad convivia, donationes, aliaque hujusmodi, juxta decentiam status. Nam quisque ex caritate tenetur magnum damnum proximi impedire, si absque magno incommodo vitæ possit, licet cum aliqua decentiæ status imminutione; alias non diligeret proximum sicut seipsum, nec ipsi faceret quod in pari casu sibi fieri rationabiliter vellet.

PROPOSITIO IV

188. — *In communibus pauperum necessitatibus, certum videtur faciendam esse eleemosynam ab eo, qui habet bona omnino superflua, id est. nec vitæ, nec statui necessaria.*

Prob. 1° *Script.*, Luc. 11, v. 41 : *Verumtamen quod superest, date eleemosymam.* Quæ verba SS. PP. contendunt præceptum aliquod continere : item, Luc. 3, v. 11 : *Qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat.* Quæ verba exponens S. Hieronymus ait : « Si plus habes quam tibi ad victum et vestitum necessarium est, illud eroga, et in illo debitorem esse te noveris. »

2° *Ex SS. PP.*, qui omnes absolute pronuntiant superfluum debitum esse pauperis.

S. Ambr. *Serm.* 81 : « Quis, inquit, tam injustus, tam avidus, tam avarus, quam multorum alimenta, suum non usum, sed abundantiam et delicias facit? *Esurientium panis* est, *quem tu detines; nudorum indumentum* est, quod *tu recludis; miserorum redemptio* est et absolutio pecunia, *quam tu in terram defodis.* »

S. August. *Enarr. in Psal.* 147 : « *Superflua divitum, necessaria sunt pauperum.* Res *alienæ* possidentur, cum *superflua* possidentur. » Et *Serm.* 219, *de tempore :* « Quidquid, excepto *victu mediocri* et vestitu *rationabili*, *superfuerit*, non luxuriæ reservetur, sed in thesauro cœlesti per eleemosynam pauperum reponatur : quidquid enim nobis Deus plus quam opus est, dederit, non nobis specialiter dedit, sed *per nos aliis erogandum transmisit;* si non dederimus, res *alienas* invasimus. »

3° *Ratione.* Caritas et misericordia obligant eum, qui facile et sine incommodo potest, ad subveniendum proximo indigenti. Hinc 1 Tim. 6. v. 17, 18, Apostolus ait : *Divitibus hujus seculi præcipe... facile tribuere.*

Quod autem aliqui dixerunt, in ditissimis personis, præsertim secularibus, vix inveniri superfluum, id omnino falsum est. Nam, ut ait S. Augustinus, *in Psal.* 147, « multa superflua habemus, si *nonnisi necessaria* teneamus; nam, si *inania* quæramus, *nihil sufficit.* » Quod circa damnata est ab Innocentio XI hæc propositio : « *Vix* in secularibus *invenies*, etiam in Regibus *superfluum* statui, et ita *vix* aliquis *tenetur facere eleemosynam*, quando tenetur tantum *ex superfluo status.* »

189. — *Quæritur* 1° quænam bonorum quantitas sit pauperibus eroganda?

Resp. Nihil certum determinari potest. Attamen, in extrema vel gravi necessitate, dandum est quantum requiritur ad illam sublevandam, si nullus alius dare velit, sed positis restrictionibus jam indicatis, n. 186.

In necessitate communi sufficere videtur erogare quin-

quagesimam superfluorum partem; ita probabilius et communius; S. Ligor., n. 32. Alii tamen assignant vigesinam aut etiam decimam partem. Unde, quoniam necessitates communes *leves* sunt, spectatis personis, ideo non est dives de peccato saltem *mortali* damnandus, qui aliquoties tantum eleemosynam negat; præsertim si causam habeat, vel si propositum habeat dandi postea, vel indigentioribus, vel in alia opera impendendi. Non videtur tamen a mortali excusandus, qui, habens superflua bona, *omnibus* rogantibus eleemosynam *negaret*, et mendicos omnes sine causa repelleret, neque eleemosynam dare vellet nisi in *gravibus* necessitatibus : qua in re cum divites non pauci sint rei, ideo debent a Confessariis diligentius interrogari, et de hac obligatione moneri. Vid. Tob. 4, v. 7-12.

190. — *Quæritur* 2° ex quibus bonis facienda sit eleemosyna?

Resp. Ex solis bonis propriis, quorum libera habetur administratio, non ex alienis sine consensu domini, facienda est eleemosyna. Nemo enim dare potest quod suum non est, vel cujus alienatio ei prohibita est; nisi careat propriis, et proximus in extrema versetur necessitate, in qua omnia sunt communia quoad usum. Quare dicitur : *Honora Dominum de tua substantia;* Prov. 3, v. 9.

Hinc, extra necessitatem extremam, 1. famuli et ancillæ non possunt ex rebus dominorum, nec filii ex parentum bonis eleemosynas facere, sine eorum consensu expresso vel tacito, aut prudenter præsumpto, quia bonorum illorum non sunt domini.

2. Religiosus non beneficiatus, nec ullam habens administrationem, cui annexa sit potestas faciendi eleemosynam, nihil largiri potest sine licentia Superioris expressa vel tacita, qualem habere censetur iter faciens aut in studiis versans extra monasterium, ex pecuniis ei datis.

3. Uxor non potest de bonis communibus et fructibus dotalibus facere eleemosynas extraordinarias sine consensu mariti, ad quem pertinet illorum administratio. Eo tamen invito potest vulgares et modicas, spectatis facultatibus,

facere, ut solent feminæ ejusdem conditionis et facultatis, saltem si vir ipsi sufficientes non largitur, quia id pertinere censetur ad debitam uxoris sustentationem, et ideo irrationabiliter esset invitus.

Tutores vero et Curatores *modicas* eleemosynas, etiam in *communibus* pauperum necessitatibus, facere posse ex bonis pupillorum, affirmant multi contra multos, quia istud pertinere videtur ad rectam bonorum administrationem. Item, minores aut pupilli modicas largiri possunt eleemosynas, quales alii ejusdem conditionis et facultatis facere solent, quia tunc donant de suo, et quidem cum præsumpto Tutorum aut Curatorum et legum consensu.

§ II

De Eleemosyna spirituali.

191. — *Quæritur* 1° quotnam numerentur actus eleemosynæ spiritualis?

Resp. Eleemosynæ spiritualis septem numerantur actus, qui vocantur opera misericordiæ spiritualis, scilicet, proximum ignorantem erudire; eidem in dubiis consilium dare; delinquentem corrigere; mœstum consolari; acceptam injuriam condonare, ejus defectus patienter ferre; pro ipso orare. Quæ omnia hoc versiculo comprehenduntur :

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Jam vero de pluribus illorum actibus, in decursu hujus Tract. diximus, n. 88, 177; ideoque speciatim disseremus tantum de præcepto correctionis fraternæ.

192. — *Quæritur* 2° quid sit fraterna correctio?

Resp. Correctio fraterna est *actus externus caritatis* seu misericordiæ spiritualis, *quo, monitione salutari, peccator ad emendationem inducitur*. Hæc autem fieri potest sive suavi *increpatione*, quomodo inferior corripiendus est; sive amica *monitione*, quomodo corripiendus est æqualis; sive *obsecratione*, quomodo corripiendus est Superior.

PROPOSITIO

193. — *Datur præceptum faciendi correctionem fraternam.* Certum est.

Prob. 1° *Ex multis Script. locis.* Galat. 6, v. 1 : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* — II Thessal. 3, v. 15 : *Si quis non obedit verbo nostro... nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.* Præcipue vero Matth. 18, v. 15 : *Si peccaverit in te frater tuus, valde et corripe eum.* Quem textum de vero præcepto intelligendum esse patet; tum ex SS. Basilio, *in Regulis brevioribus;* Ambrosio, lib. 8 *in Luc.* c. 17; Chrysost., et Hieron. *in Matth.;* tum ex SS. Pontificibus, ut videre est causa 24, q. 3, c. *Tam Sacerdotes;* item. c. *Novit,* de Judiciis, et c. *Cum ex injuncto,* de Hæreticis. Quibus addo illud Joannis VIII Papæ, distinct, 86, cap. *Facientis :* « Facientis *culpam* procul dubio habet, qui quod potest *corrigere, negligit* emendare... et nihil prodest alicui non puniri proprio, qui puniendus est alieno peccato. » S. August. *Serm.* 15 *de Verbis Domini,* prout illud affert S. Thomas hic : *Si neglexeris corrigere, pejor eo factus, qui peccavit.*

2° *Ex SS. PP.* jam citatis, quibus unum addo Gregorium in Pastorali, p. 3, c. 14 : « Qui proximorum mala respiciunt, et in silentio linguam premunt, quasi conspectis vulneribus, usum medicaminis subtrahunt, et eo *mortis auctores* fiunt, quo virus, quod potuerunt curare, noluerunt. »

3° *Ratione.* Lex naturalis caritatis et misericordiæ non solum obligat ad subveniendum miseriæ corporali, sed etiam et gravius spirituali, quale certe est peccatum, quod proximus non potest vitare, vel ex quo resurgere sæpius facile non potest sine admonitione et correctione, scilicet ob naturæ infirmitatem, intellectus cæcitatem, passionum violentiam, inveteramque peccandi consuetudinem.

194. — *Quæritur* 2° quinam sit *modus* in correctione servandus?

Resp. Quoad modum correctionis fraternæ, servandus est ille, quem Christus Dominus præscripsit, Matthæi 18, v. 15-17. Unde

1. *Privatim admoneri debet proximus,* nisi crimen publicum sit ac notorium, aut nisi tale sit ut debeat statim denuntiari Prælato, vel. 1. ob periculum damni publici aut etiam aliquando damni privati, si sit majus, quam æstimetur jactura famæ delinquentis apud Superiorem, cujusmodi est crimen hæresis; vel 2. ob desperationem emendationis, si ab alio quam a Superiore fiat correctio; vel 3. ob severitatem correctionis absque gravi delinquentis dispendio, v. g., cum filiorum vel discipulorum peccata parentibus eorum aut magistris denuntiantur.

In collegiis, seminariis aliisque communitatibus sub regula viventibus, ordinarie correctio efficacius et convenientius fit per denuntiationem Superiori, præsertim, ubi de gravi damno communitatis agitur; nec in hoc casu absolvi possunt sodales aut convictores, qui in ejusmodi denuntiationem non consentiunt. Item, ex jure naturali, superioribus ecclesiasticis denuntiandi sunt sacerdotes corruptores, qui homicidæ animarum vere sunt et dicuntur. Nec tamen omni accusatori fides statim præbenda est, sed omnia mature perpensanda, ita ut nemo reputetur reus, nisi probetur. Ita communiter.

2. Christus præscribit ut, *si privata admonitio nihil prosit, unus aut duo testes adhibeantur*, ut convictionem aut etiam pudorem vel terrorem afferant delinquenti, et efficacius corripiant.

3. Præcipit Christus ut, si hæc non sufficiant, *Ecclesiæ seu Superiori denuntietur;* Superioris autem nomine intelligitur vel Prælatus, vel Pater, vel etiam Judex, si opus sit.

195. — *Quæritur* 2° *quandonam* obliget fraternæ correctionis præceptum?

Resp. Cum præceptum illud affirmativum sit, obligat solum, ex communi sententia, quando concurrunt quinque istæ circumstantiæ : 1. *si certo scias peccatum fratris;* atque id innuunt verba illa Christi, *Si peccaverit in te,* te sciente, ut

exponunt S. August. et S. Thom. Si autem non probe scias peccatum fratris, nec corrigere teneris, nec debes curiosius inquirere; hoc enim ad Superiores tantum pertinet.

2. *Si spes aliqua sit emendationis;* emendatio enim est unicus finis correctionis : unde Prov. 9, v. 8 : *Noli arguere derisorem.* Excipe tamen nisi defectus correctionis, quamvis non profuturæ delinquenti, sit aliis in scandalum et occasionem peccati, vel in damnum innocentis aut boni communis : v. g., si quis errores disseminet, is etiam a privato homine corripi debet, tametsi conversio ejus non speretur, modo ejus reprehensio possit aliis prodesse.

3. *Si proximus, qui peccavit, nondum sit emendatus per se aut per alium;* alioqui, cum non indigeat tua correctione, non teneris eam facere. Hinc multi Doctores censent non esse obligationem corripiendi alium de peccato mere præterito, quando certum est eum in illud non esse relapsurum; et vero, Eccli. 19, v. 14, dicitur : *Corripe proximum... ne forte iteret.*

4. *Si non sit alius æque idoneus qui correpturus credatur.*

5. Denique si *omnes circumstantiæ loci, temporis, etc., opportunæ sint ad corripiendum;* alioqui, commodiores exspectari potuerunt. Quapropter S. Aug. lib. 1. *de Civit.*, c. 5, ait : « Si propterea quisque objurgandis et corripiendis male agentibus parcit, quia *opportunius* tempus inquirit... non videtur esse cupiditatis occasio, sed *consilium caritatis.* » Porro ex quacunque etiam ignorantia quis peccet, corrigi seu instrui debet, si spes emendationis adsit; secus autem, si majora mala timeantur. Vide Tract. *de Act. hum.*, n. 113.

196. — *Quæritur* 3° *quinam* præcepto correctionis teneantur?

Resp. — *Certum est omnes, sive superiores, sive æquales, sive inferiores, obligari et quidem aliquando sub peccato mortali,* quia, ut ait Scriptura, Eccli. 17, v. 12 : *Mandavit illis unicuique de proximo suo.* Præ cæteris tamen et longe strictius obligantur Pastores, ratione officii ad exhibendum proximo magnum hoc dilectionis et misericordiæ opus, in gravi ejus miseria spirituali.

Hinc peccat mortaliter, qui, cum facile potest, negligit tollere vel impedire peccatum mortale proximi, ob mali temporalis timorem, vel boni temporalis cupiditatem; hic enim in re gravi invertit ordinem caritatis, præferens commodum suum temporale bono spirituali necessario proximi, n. 178 : atque id a fortiori dicendum est, si ad hoc teneatur ex officio et justitia, ut Pastores, Concionatores, Magistratus, qui interdum, etiam cum suo incommodo seu periculo vitæ, vel honoris, aut fortunarum, tenentur quam possunt diligentiam adhibere, ad impedienda peccata et corripiendos delinquentes.

Raro privati homines, omittendo correctionem fraternam peccant mortaliter; nam pro naturali verecundia et pusillanimitate, non advertunt se tam stricte obligari, aut putant se parum aut nullo modo profuturos, vel proximum sine sua opera emendandum.

Quoad *scrupulosos*, admonendi sunt ut in correctione facienda prudentes sint, alioqui valde essent importuni et majoris sæpe mali causa, si suum in hoc judicium semper sequerentur.

197. — *Quæritur* 4° an facienda sit correctio fraterna circa peccata venialia?

Resp. Ordinarie non est obligatio corripiendi proximum de talibus peccatis, nisi ad summum sub peccato veniali; imo ad hoc requiritur, ut facillime fieri possit, quod rarum est, nisi apud eos qui sibi invicem valde sunt familiares; excipi tamen debent Superiores, qui subditorum culpas veniales tollere et impedire tenentur, si exinde grave aliquod malum sequitur, v. g., disciplinæ relaxatio et frequentia peccatorum venialium.

ARTICULUS III

De Peccatis contra Caritatem erga proximum.

Præcipua sunt odium, invidia, discordia, scandalum' cooperatio peccatis alienis. De invidia jam actum est in Tract. *de Peccatis*, n. 102; de quatuor igitur aliis dicemus in tot paragraphis.

§ I

De Odio contra proximum.

198. — *Quæritur* quid sit odium, et quotuplex?

Resp. Odium est *voluntatis aversio et displicentia.* Duplex autem distinguitur : aliud dicitur odium *inimicitiæ*, aliud odium *abominationis*. Odium inimicitiæ, quod et odium *personæ* dicitur, est illud quo persona nobis displicet, et ex ejus displicentia malum ei aut rebus ipsum volumus, quatenus ejus malum est. Odium *abominationis*, quod et odium *qualitatis* dicitur, est illud quo non aversamur personam absolute et secundum seipsam, sed secundum qualitatem malam ipsi adjacentem, quatenus hæc qualitas apprehenditur ut nobis incommoda et nociva.

PROPOSITIO

199. — *Odium inimicitiæ est peccatum ex genere suo mortale.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* I Joan. 2, v. 9 : *Qui fratrem suum odit, in tenebris est.* Et c. 4, v. 20 : *Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est.* Et c. 3, v. 14, 15 : *Qui non diligit, manet in morte ; omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* Quia, ut ait S. Hieron, *Epist.* 13, « cum homicidium ex odio sæpe nascatur, quicunque odit, etiamsi necdum gladio percusserit, animo tamen homicida est. »

2° *Ratione.* Odium proximi directe opponitur præcepto caritatis, atque, ut ait S. Thomas, in ordine ad illam, est majus omnibus peccatis, quæ contra proximum committuntur, quamvis alia graviora sint ratione nocumenti; est ergo peccatum gravissimum.

Dixi : *mortale ex genere suo;* quia veniale fieri potest, tum ex indeliberatione, tum ex levitate materiæ, v. g., si repentina sit, aut levis aversio proximi, vel si leve malum ei optetur.

Dixi : *odium inimicitiæ;* quamvis enim odium abominationis ordinarie sit peccatum, eo quod odium personæ fere semper ei conjungatur, aliquando tamen non est peccatum, nempe, si peccator diligatur, quatenus est opus Dei, et odio

habeatur, quatenus est peccato inquinatus; quomodo Psalmista de seipso dicebat; *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam?* statim subdens : *Perfecto odio oderam illos.* Quæ verba exponens S. Aug. in *Ps.* 138 : « Hoc est, inquit, perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. »

200. — *Quæritur* an aliquando liceat malum temporale proximo desiderare?

Resp. Id ordinarie illicitum est, quia periculum est ne id procedat ex odio et displicentia personæ, aut ex ira, vel ex desiderio vindictæ privatæ et ordinatæ. Hinc damnatæ sunt ab Innocentio XI tres istæ propositiones : 1ª. « Si cum *debita moderatione* facias, potes absque peccato mortali *de vita* alicujus *tristari*, et de illius *morte naturali gaudere*, illam inefficaci affectu *petere* et *desiderare*, non quidem ex displicentia personæ, sed *ob aliquod temporale emolumentum.* » 2ª. « Licitum est *absoluto desiderio cupere mortem patris*, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, *quia* nimirum *ei obventura est pinguis hæreditas.* » 3ª. « Licitum est filio gaudere de *parricidio parentis* a se *in ebrietate* perpetrato, *propter ingentes divitias* inde ex hæreditate consecutas. »

Dixi : *ordinarie illicitum* est; licet enim aliquando malum optare proximo, non inquantum malum est illius, sed in quantum est impedimentum, inquit S. Thomas, malorum alterius, quem plus diligere tenemur. Sic optari potest ut justa morte plectatur malefactor, prout inde multitudinis bonum exurget; ut insignis nebulo morbo afficiatur, quo tandem resipiscat a peccato.

Atque ex dictis constat, quod peccatum mortale sit, per maledictionem sibi vel aliis, grave malum imprecari *ex animo ut veniat :* v. g., *Diabolus te rapiat; Utinam mortuus sim*, etc. Si vero id fiat ex ira, sine animo ut eveniat malum, de se est veniale; mortale autem potest esse, sive ratione contumeliæ gravis, spectata qualitate personæ cui infertur, sive ratione scandali. Belluis vero secundum se consideratis maledicere, est solum veniale; ita S. Thomas.

§ II

De Discordia.

Discordia generaliter significat *omne peccatum, quod lædit pacem et unionem caritatis cum proximo,* seu quod dissolvit consensionem voluntatum, judiciorum, sermonum et actionum, *quam tenemur* habere cum proximo.

PROPOSITIO

201. — *Discordia tam voluntatum, quam verborum et actionum, qua quis scienter contrariatur proximo in iis, in quibus ex præcepto concordare tenetur, est ex genere suo peccatum mortale contra caritatem.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Prov. 6, v. 16-19 : *Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus..... eum qui seminat inter fratres discordias.* Item Galat. 5, v. 19-21 : *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt...* contentiones, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ... *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

2° *Ex SS. PP.* « Discordans, inquit S. Cypr. *de orat. Domin.*, et dissidens, et pacem cum fratribus non habens secundum quod beatus Apostolus et Scriptura sancta testantur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit *crimen* dissensionis fraternæ *poterit evadere...* Quale *delictum est,* quod *nec Baptismo sanguinis potest ablui.* » Et lib. *de Unit. Eccl. :* « *Inexpiabilis,* inquit, et *gravis* culpa *discordiæ,* nec passione purgatur. »

3° *Ratione.* Peccatum discordiæ specialiter opponitur caritati : unde Apost., II Cor. 13, v. 11 : *Pacem habete,* inquit, *et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum :* at discordia paci prorsus opponitur.

202. — Dixi 1 : *discordia tam voluntatum, quam verborum et actionum ;* triplex quippe distinguitur discordia et contrarietas cum proximo : 1. *voluntatum et cordium* dissensio, et hæc stricte dicitur discordia; ideo dissensio voluntatis propriæ a voluntate proximi, in iis quibus *ex præcepto* tenemur concordare, est peccatum mortale ex

genere suo; si tamen hæc discordia versetur duntaxat circa ea, in quibus non tenemur concordare, non erit ordinarie peccatum, nisi adsit scandalum.

2. Contrarietas *judiciorum et verborum*, quæ vocatur *contentio*, et fit præsertim impugnando veritatem *cognitam*, cum *intentione contradicendi proximo;* eritque mortalis, si sit ad impugnandas veritates fidei vel morum, in quibus ex præcepto tenemur consentire. In aliis vero argumentis, erit etiam peccatum contra caritatem, si quis ad contradicendum proximo impugnet veritatem cognitam : raro tamen est peccatum mortale; quia non lædit graviter caritatem nisi accedat ratio scandali, vel periculum dissolvendi amicitiam.

3. Discordia *factorum et operum*, quæ multipliciter subdividitur.

Primo quidem loco ponitur *schisma*, quo quis ab obedientia S. Pontificis et communione cæterorum fidelium qua talium pertinaciter recedit. Hujusmodi divisionem esse peccatum mortale, et quidem gravissimum, per se patet, atque probatum est in Tract. *de Eccl.*, n. 100, 115, 202, *de Fide*, n. 140, *de Censuris*, n. 42, ubi declaratur schismaticos subjici excommunicationi latæ sententiæ speciali modo S. Pontifici reservatæ.

Similiter, peccant graviter quasi peccato schismatis contra caritatem, qui aliquam familiam vel communitatem sine causa dividunt, earumque pacem dissolvunt.

Secundo loco ponitur *injusta armorum violentia*, quæ ex discordia sequitur, et hæc diversa sortitur nomina; dicitur enim *rixa*, si sit paucorum contra paucos; si autem sit singulorum contra singulos, dicitur *duellum;* si sit multitudinis contra multitudinem ejusdem Reipublicæ aut Communitatis, dicitur *bellum civile* aut *seditio;* denique, si sit multitudinis contra multitudinem extraneorum, dicitur simpliciter *bellum*. Hæc autem injusta armorum violentia est peccatum mortale ex genere suo.

203. — Dixi 2 : discordiam esse *peccatum mortale ex genere suo;* quia veniale fieri potest, tum ex indeliberatione, tum ex levitate materiæ; imo fieri potest, ex igno-

rantia invincibili, ut discordia præter intentionem orta, etiam circa rem necessariam proximo vel divinæ gloriæ, non sit peccatum; v. g., quando quis putat aliquid convenientius ad proximi salutem et Dei gloriam, alius vero contrarium judicat, qualis fuit dissensio SS. Pauli et Barnabæ, Act. 15, v. 39.

§ III

De Scandalo.

In duplici numero dicemus 1. de scandalo in genere, 2. de quibusdam scandali speciebus.

NUMERUS PRIMUS

De Scandalo in genere.

204. — *Quæritur* 1° quid sit scandalum?

Resp. Scandali vox græce significat *offendiculum*, in quod quis impingens ruit : per metaphoram autem in moribus significat quidquid in hac vita, quæ est tanquam via ad beatitudinem, proximo præbet occasionem cadendi in peccatum.

Scandalum definitur communiter a Theologis post S. Thomam, *dictum aut factum minus rectum, alteri præbens occasionem ruinæ spiritualis.*

Dicitur 1 : *dictum vel factum*, id est, actus externus, vel externa actus omissio; nam cogitatio interna, utpote occulta, non potest proximo præbere occasionem peccandi.

Dicitur 2 : *minus rectum*, sive ex se malum sit, sive exterius tantum speciem mali habeat; ad scandalum enim sufficit, si actus externa sua specie inducere possit ad peccatum, v. g., si quis coram aliis carnes prohibitas comedit non explicando justam, quam habet, id faciendi causam.

Dicitur 3 : *præbens occasionem;* requiritur enim et sufficit ut detur ruinæ occasio, sive ruina sequatur, sive non : hinc, si peccatum externum nullo modo sit aliis occasio peccandi, vel quia spectantes ita probi cognoscuntur, ut nullo modo ad peccatum induci actione illa existimentur, vel ita perditi moribus, ut exinde certo non sint magis ad peccandum impellendi, non erit scandalum.

Dicitur 4 : *ruinæ spiritualis;* quo nomine intelligitur, 1. peccatum *mortale* alterius, cujus occasionem præbens peccai mortaliter, quamvis actus scandalizans non sit malus, vel sit venialiter tantum culpabilis; scandalum tamen poterit esse veniale duntaxat, si desit plena advertentia, vel si data sit occasio levis, seu ad peccandum leviter tantum impellens, spectantis circumstantiis. 2. Ruinæ spiritualis nomine intelligitur etiam peccatum *veniale :* quæ tamen ruina, per se loquendo, est tantum materia levis scandali. 3. Intelligitur etiam *omissio operis perfectioris*, quando sine causa ab eo impeditur proximus : quæ omissio præcise etiam non censetur gravis materia, seclusa tamen gravi damno spirituali proximi, aut gravi injuria,

Ex hac definitione patet ad scandalum non sufficere quod ex aliqua actione rumor in populo excitetur, ac veluti admiratio, quam vulgus scandalum communiter vocat, nisi exinde detur occasio ruinæ alicujus spiritualis, ut frequenter accidit, præsertim quando actio illa est mala.

205. — *Quæritur* 2° quotuplex sit scandalum?

Resp. Scandalum spectari potest vel respective ad eum, qui præbet alteri occasionem ruinæ spiritualis, vel in ordine ad eum, cujus ruina causatur : respectu primi, dicitur *scandalum datum;* respectu secundi, dicitur *scandalum acceptum*.

1. Scandalum *datum*, quod et *activum* dicitur, est dictum vel factum minus rectum, *præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis;* et illud a Theologis subdividitur in *directum et indirectum*.

Scandalum *directum* est illud, quo expresse intenditur ruina proximi, vel 1. ex desiderio ruinæ ac mortis spiritualis illius, quod diabolicum est et rarum inter homines; vel 2. ob propriam utilitatem aut voluptatem, ut fit in turpiloquio ad satisfaciendum libidini, quod frequentius est.

Scandalum *indirectum* non includit quidem illam intentionem expressam, sed tale est, ut cognoscatur ad ruinam spiritualem ex se impellere, nec tamen omittatur. Vide Tract. *de Act. hum.*, 57, 58, 63.

2. Scandalum *acceptum*, quod et *passivum* dicitur, est *ipsamet ruina spiritualis proximi, orta ex alterius dicto vel facto*. Quæ, si orta sit ex facto vel dicto minus recto, dicitur scandalum *acceptum datumque simul;* si autem orta fuerit exterius ex dicto vel facto, quod neque ex se, neque ex intentione agentis inducit ad peccatum, dicitur scandalum *mere passivum*, id est, acceptum, sed non datum. Hoc subdividitur etiam in scandalum *pusillorum*, et scandalum *Pharisæorum :* scandalum *pusillorum* est illud, quod provenit ex ignorantia aut infirmitate illius, qui scandalisatur; scandalum Pharisæorum est illud, quod ex mera scandalizati malitia oritur; sic Pharisæi, præ invidia maligna, ex dictis et factis Christi Domini, quæ sine dubio erant ex omni parte bona, et talia ipsis videri debebant, scandalizabantur. Quibus sic expositis, sit

PROPOSITIO PRIMA

206. — *Scandalum directum est ex genere suo peccatum mortale*. Certum est.

Dicitur enim : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur molla asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Væ mundo a scandalis..... Væ homini, illi, per quem scandalum venit!* Matth. 18, v. 6, 7.

Revera voluntarie inferre proximo spirituale damnum, est maxime contrarium caritati; imo multo magis quam non subvenire in ejus spirituali necessitate. Hinc S. Paul. Rom. 14, v. 15, ait : *Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est.* Et I Cor. 8, v. 13 : *Si esca,* inquit, *scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meun scandalizem.*

Attamen scandalum etiam directum fieri potest leve aut ex levitate materiæ, aut ex levitate inculpabilis advertentiæ ex parte scandalizantis.

207. — Hinc per se grave est scandali directi peccatum, alium jussione, consilio, precibus inducere ad faciendum

actum simpliciter malum. Tunc enim adest intentio ad malum grave inducendi proximum; ac proinde grave adest peccatum. Vide Tract. *de Act. hum.*, n. 57, 61.

208. — *Quæritur* autem 1° an scandalum *indirectum* sit semper peccatum?

Resp. Distinguendum est, scilicet, peccatum est, quoties non adest *ratio sufficiens* ponendi causam indirecte ad peccatum inducentem, ut infertur ex probationibus in præcedenti propositione allatis, quæ in hoc casu vim suam rectinent; secus vero, quoties adest illa ratio sufficiens, ut dictum est in Tract. *de Act. hum.*, ubi etiam determinavimus quandonam adsit hujusmodi ratio sufficiens, n. 58, 70, 72, 74. Sed hæc iterum in subsequentibus evolventur.

209. — Hinc 1. licet suadere minus malum alicui ad majus determinato.

Negant quidem plures, quia comparativum non tollit positivum; unde, qui suadet minus malum, vere malum suadet; nisi tamen hoc malum sit virtualiter inclusum in alio majori. Sic parato aliquem occidere, potest suaderi, ut manum tantum amputet.

At alii multo plures et probabilius affirmant, eo quod tum suadens non quærit malum, sed bonum, nempe, electionem minoris mali. Ita Sanchez, Cajet., S. Ligorius, etc.

210. — Hinc 2. licet *permittere occasionem* peccandi, ut reus corrigatur.

Nam permittere non est inducere, et adest ratio sufficiens. Unde a peccato excusantur *per se*, 1. parentes et domini, qui filios vel famulos peccare sinunt, ut eos corrigendi occasionem sumant; 2. custodes agrorum, vinearum, etc., qui se abscondunt, ut damnificantes capiant, et ab eis pœnam exigant.

211. — Hinc 3. licet etiam *ponere* occasionem peccati, posita ratione sufficienti.

Occasio enim est actus ex se indifferens, ex dictis in Tract. *de Act. hum.*, n. 63; et ideo, si ponatur ex ratione

sufficienti, malum inde consequens est indirecte volitum, nec imputatur ei, qui occasionem ponit, n. 208. Unde probabiliter non peccat dominus, qui de industria relinquit appositam clavem arcæ, in qua pecunia reconditur, ut fidelitatem famuli dubiam experiatur; probabiliter enim sufficiens est hæc ratio. Quidem tamen contrarium sentiunt; quia hoc videtur positive concurrere ad peccatum ejus, periculum expresse creando, et ad illud inducendo; ita Collet.

212. — *Quæritur* 2° an in scandalo activo detur peccatum contra caritatem, et etiam contra virtutem, ad quam violandam proximus inducitur?

Resp. 1. Juxta fere omnes, scandalum *directum* est peccatum contra caritatem simul et contra virtutem, ad quam violandam inducit. Quælibet enim virtus specialiter vetat non solum ne violetur, sed etiam ne quis alium inducat ad eam directe violandam.

At dissentiunt auctores quoad scandalum *indirectum*. Alii negant esse peccatum contra virtutem, ad quam violandam indirecte inducit; alioquin, qui exemplo suo movet alium ad furandum, teneretur ad restitutionem, quod a nemine asseritur. Ita De Lugo, *de Pœnit.*, disp. 16, n. 159.

Alii vero affirmant, quia virtus quælibet prohibet non solum contrarios actus, sed etiam ne detur occasio aliis inductiva ad peccatum. Tunc enim occasio, etsi non sit de se influxiva, est tamen *causa moralis*, ut proximus peccet, et ita in substantia æquivalet causæ directe inductivæ, cum sine ea proximus non peccaret.

Attamen, qui suo exemplo induceret alium ad furandum, licet peccaret contra justitiam duplici modo, non teneretur ad restitutionem; quia exemplum illud non est causa directe influxiva, sed tantum occasio, quæ non præstat ad furandum positivum influxum, qui requiritur ad obligationem restitutionis. Ita Cajet., Sanchez, Molina, S. Ligorius, lib. 2, Tract. 3, n. 45. Vide Tract. *de Act. hum.* n. 65.

In hac igitur ultima sententia, declaranda est in confes-

sione species peccati, cujus data est occasio; item aperiendus est numerus personarum, quibus data est illa occasio.

PROPOSITIO II

213. — *Bona non sola corporalia, sed etiam spiritualia dimittenda sunt, aut saltem differenda,* nisi præceptum urgeat, *ob scandalum pusillorum.* Certum est.

Constat 1° *ex verbis Christi*, Matth. 18, v. 6, 10 : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris... Videte ne contemnatis unum ex his pusillis.* — Item, ex Apostolo, Rom. 14, 15 : *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est;* — et I Cor. 8, v. 11, 12, 13 : *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis... Si escat scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Ex his enim textibus patet graviter peccare eos, qui aliquid faciunt, unde sequitur ruina spiritualis pusillorum propter eorum infirmitatem.

2° *Ratione.* Ex lege enim caritatis tenemur vitare peccatum proximi, et consequenter ejus scandalum, etiam mere *passivum.* Revera, tenemur proximum e peccato eripere per correctionem fraternam, quando possumus; a fortiori tenemur id tollere ex quo sumit occasionem peccandi.

214. — Dixi 1 : *nisi præceptum urgeat;* manifestum est enim, inquit S. Thomas, quod nullus debet peccare, ut alterius peccatum impediat; quia plus debet homo suam spiritualem salutem diligere, quam alterius; ideo ea quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent propter scandalum vitandum.

Similiter, ex eodem S. Doctore, bona quæ sunt *ex necessitate* commissa, v. g., bona Ecclesiæ quæ committuntur Prælatis et bona Reipublicæ, quæ committuntur Reipublicæ rectoribus, non sunt propter scandalum dimittenda :

sic Respublica tenetur punire in malo obstinatos, etsi inde sequatur spiritualis eorum ruina et damnatio, scilicet, ob necessitatem boni communis : quamvis istud non sit proprie scandalum pusillorum, sed pharisaïcum, de quo infra.

Cæterum, fieri aliquando potest ut præceptum, præsertim positivum, non obliget, nec urgeat ex rationabiliter præsumpta Legislatoris voluntate, quando timetur grave aliorum scandalum ex infirmitate eorum : v. g., si mulier prævideat, propter circumstantias brevi mutandas, aliquam personam determinatam ex ejus aspectu scandalizandam et peccaturam, poterit aliquo die festo Sacrum non audire; sed hoc rarissimum.

215. — Dixi 2 : *bona sive spiritualia, sive temporalia, dimittenda sunt aut saltem differenda*, scilicet, ut ait S. Thomas, 2, 2, q. 43, a. 7 et 8 : *bona spiritualia*, licet præceptum non urgeat, non tam dimittenda sunt quam occultanda aut differenda, quosque hujusmodi scandalum cesset; si tamen, post redditam rationem, hujusmodi scandalum duret, jam videtur ex malitia esse scandalum pharisaïcum, et sic propter ipsum non sunt hujusmodi opera spiritualia dimittenda.

Quoad bona temporalia, vel totaliter dimittantur, si levia sint; vel aliter scandalum est sedandum, scilicet per aliquam admonitionem. Hæc tamen intelligenda sunt, quando quis vel certo novit, vel valde probabiliter timet scandalum alicujus determinatæ personæ aut aliquorum, ex eorum infirmitate; non autem si in genere tantum et sine gravi fundamento timeatur scandalum aliquorum; dummodo tamen actiones, quæ fiunt, nec malæ sint, nec mali speciem habeant.

PROPOSITIO III

216. — *Bona spiritualia et corporalia non sunt dimittenda, nec differenda ob scandalum pharisaïcum, quando subest rationabilis causa non differendi.* Certum est.

Etenim, quoad bona spiritualia, constat ex verbis Christi,

qui audiens Pharisæos ex verbis suis esse scandalizatos, respondet : *Sinite illos : cæci sunt, et duces cæcorum;* Matth. 15, v. 14. Hinc S. Greg. super Ezechielem : « Si de veritate scandalum sumitur, *utilius permittitur nasci scandalum, quam ut veritas relinquatur.* »

Quoad bona temporalia, non minus constat. Nam, ut egregie observat S. Thomas, si propter scandalum pharisaïcum temporalia bona dimitterentur, hoc noceret bono communi; daretur enim malis rapiendi occasio; noceret etiam ipsis rapientibus, qui retinendo aliena, in peccato remanerent.

Dixi *quando subest rationabilis causa*, etc.; quia caritas vetat ne absque ulla causa præbeamus proximo, licet ex malitia peccaturo, occasionem peccandi. Hinc 1. omittenda est peccatorum punitio, quando ex eo sequerentur majora peccata, ut dissensiones, schismata, etc. 2. Filius aliquando tenetur, saltem ad breve tempus, abstinere ab ingredienda religione, vel ab amplectendo statu ecclesiastico, cum inde futurum est ut parentes ejus peccent jurando et malum imprecando.

NUMERUS II

De quibusdam Scandali speciebus.

Principia jam exposita applicare utile est præcipuis scandali speciebus, scilicet, circa luxuriam, pravos libros, choreas et spectacula.

PUNCTUM PRIMUM

De Scandalo ratione luxuriæ.

217. — *Quæritur* an grave sit scandalum *facere, repræsentare,* aut *præ se ferre* ea, quæ *ad libidinem notabiliter provocant?*

Resp. Affirmative. Nam, ex una parte, nullum venenum subtilius animæ propinari potest; ex altera vero, qui talia agunt, vel directe sibi proponunt proximum ad malum inducere, vel talia ad malum inducentia ponendi ratione sufficienti carent: et ideo in utraque hypothesi graviter peccant.

218. — Hinc 1. gravissimi scandali rei sunt, qui turpia in comœdiis aliisve cœtibus repræsentant; qui cantilenas aut carmina turpia componunt, vel canunt; qui statuas aut imagines obscenas faciunt, vel exponunt; qui discipulos sibi commissos pravo suo exemplo seducunt.

219. — Hinc 2., eadem ratione, graviter peccat femina nudo pectore incedens, si nudatio sit immoderata, seu valde notabilis, non obstante quacunque contraria consuetudine. Si autem denudatio non ita sit immoderata, et alicubi adsit consuetudo, ut mulieres sic incedant, consuetudo facile a peccato gravi excusabit. Consuetudo enim notabiliter vim concupiscentiæ minuit, cum assueta minus phantasiam excitent. At eædem feminæ graviter peccarent. si hunc morem alicubi introducerent, ait S. Ligor., n. 35.

Similiter non peccat graviter mulier ornatum gerens superfluum, aut fuco vultum pingens, aut viriles vestes induens.

Namque ornatus non graviter ex natura sua ad libidinem provocat; quin etiam ad status decorem sæpe exigitur.

Fuco vultum pingere venialem labem minime excedit, si ob vanum gloriam captandam fiat; omni autem peccato carebit, si justa causa interveniat, v. g., defectus naturalis tegendus.

Denique vestes viriles induere omni culpa carere potest, si ob justam causam fiat; si ob levitatem vel jocum, veniale non excedit, præciso tamen scandalo aut libidinis periculo.

220. — Hinc 3. non licet puellæ accipere munuscula, quæ ei dantur libidinis causa; secus autem, si ex fine matrimonii.

Munera enim mutuum amorem maxime excitant ac fovent. Itaque, quod fieri potest, imperandum est puellæ, ut ejusmodi munuscula restituat, vel pauperibus distribuat, vel flammis comburenda tradat.

De illis omnibus vide specialem Tract. *de Virtute castitatis*, n. 34-42.

PUNCTUM II

De Scandalo per libros et ephemerides pravos.

221. — *Quæritur* an scandalum ex *impiis et obscenis libris* procreatum, sit grave scandalum?

Resp. Affirmative. Nihil enim tam efficax a diabolica malitia inveniri potest ad animas turmatim in gehennæ barathrum detrudendas; siquidem, sicut pestis dira et immanis, non tantum unam regionem et ætatem inficit illud scandalum, sed ad universa loca et tempora diffunditur, impietatem in mentibus, in cordibus corruptionem instillans, omniaque innumeris complens stragibus.

Nec ullo tempore ac nostris diebus tot tantaque Religioni et moribus ex scandalo pravorum librorum velut ex lethali fonte exorta sunt mala. Homines enim iniquitatis certatim conveniunt, ut per omnis generis scripta, sive libros, sive opuscula, sive diaria aliaque id genus scripta periodica, Christi religionem ipsamque legem naturalem et Dei existentiam e mentibus cordibusque penitus eradicent, et hoc modo effrenatis quibuslibet humanæ naturæ cupiditatibus omnes laxentur habenæ.

« Parta effreni illa quidquid libuerit in vulgus edendi libertate, quam verius licentiam dixeris, homines novarum rerum studiosi infinitam prope ephemeridum multitudinem statim disseminandam curaverunt, qua veri rectique principia impugnare aut in dubium adducere, Christi Ecclesiam calumniis impetere et in invidiam vocare, et perniciosissimas doctrinas mentibus persuadere solemne haberent... Ex quotidiana enim editione ephemeridum venenum sensim et paulatim animos legentium inficit, et pravorum appetituum fomentis sensuumque illecebris corda corrumpunt. Hæc autem omnia adeo feliciter juxta eorum vota cesserunt, ut a vero non admodum videatur abesse, quisquis malorum colluviem et miserrimam, ad quam devenimus, rerum temporumque conditionem, in ephemeridum vitium magna ex parte refundat. » Leo XIII, febr. 1879, ad delegatos ephemeridum.

222. — Hinc 1. graviter peccant, qui hujusmodi libros, opuscula, diaria aliaque periodica scripta exarant, in lucem edunt, vendunt, locant, donant, et legunt nisi adsit specialis ratio omneque periculum removeatur. Cæterum vide quæ diximus, n. 39, et in Tract. *de Censuris*, n. 41, contra libros *hæreticorum*, n. 55 contra libros et catechismos *sectæ Massonicæ*.

223. — Hinc 2. typis committi non possunt libri, qui boni partim, partim mali sunt, nisi accurate expurgati fuerint. Secus tamen, si damnum ex iis reformidandum non adeo grave sit, et maximæ utilitates ex eis capiendæ comparari queant. Typographi vero a doctis peritisque viris, ab ecclesiasticis præsertim superioribus, exquirant quid in dubiis casibus agendum sit.

224. — Hinc 3. pravi libri domino reddi non possunt, nisi absque gravi incommodo denegari nequeant. Grave autem incommodum censendum est, si graves rixæ, blasphemiæ, odia aliaque ejusmodi a domino pertimescantur. Unde levis contristatio, vel etiam timor dissolvendæ amicitia non censetur sufficiens ratio, saltem plerumque, pravos libros amico reddendi. Vide Tract. *de Virtute castitatis*, n. 42-45.

225. — Hinc 4. ministris Dei seu Concionatoribus et Confessariis gravis incumbit obligatio, ut huic torrenti scandalorum totis viribus se opponant, sive denuntiando scriptorum pravitatem, sive hujusmodi lectionis periculum et prohibitionem iterum atque iterum omnibus inculcando, sive utilium librorum assiduam lectionem consulendo, et hos libros sigillatim pro cujusque capacitate et utilitate indicando, imo, si fieri potest, commodando.

PUNCTUM III

De Scandalo per choreas.

226. — *Quæritur* an choreæ sint occasio aut causa scandali, et ideo illicitæ?

Resp. 1° Choreæ *per se* illicitæ non sunt, etiam inter per-

sonas diversi sexus, si modo honesto fiant, id est, secluso omni tactu ac gestu ad libidinem incitanti. Nam ratione sui sunt quid omnino indifferens, nec ulla lege prohibentur. Quando vero SS. Patres eas interdum valde reprehendunt, loquuntur de turpibus, et earum abusu. Ita SS. Antonius, Ligor., lib. 3, Tract. 4, n. 429, et communiter auctores.

227. — Hinc modeste saltare vel choreis honestis adesse ex quadam necessitate, vel ex status sui decentia, sine probabili peccandi periculo, nullum est peccatum. Tunc enim datur ratio sufficiens peccata aliorum, si quæ sint, permittendi.

Proinde excusantur a peccato, decenter saltando, puellæ matrimonio destinatæ, quæ a choreis in domo paterna, vel apud vicinos aut cognatos ductis, abesse non possunt, vel saltationem recusare nequeunt, quin derideantur, vel parentibus aut sponsis ipsas requirentibus displiceant.

Imo interesse choreis honestis, absque necessitate, secluso gravi periculo ac notabili scandalo, et in eis decenter saltare, non solum non est mortale, sed facile etiam omni peccato vacare potest. Ita Gury, *de Virtut.*, n. 243. Inveniuntur enim aliquando viri et non raro mulieres et puellæ quibus in choreis etiam inter personas diversi sexus, nullum aut valde remotum periculum creatur. Tales autem, quamvis enixe a saltationibus arcendi sint, tamen sæpe imprudenter ab illis promissio vitandi choreas sub denegatione absolutionis exigeretur. Ita Bouvier, *de sexto Præcept.* c. 4.

Hinc, generatim loquendo tolerari non possunt choreæ cum *larvis*. Experientia enim constat hujusmodi ludos illecebras esse ad libidinem, et causam efficacem gravis peccati.

228. — 2° Sunt autem quædam choreæ quæ, ratione nuditatum, modi saltandi, verborum, gestus, cantuum, ut periculossimæ generatim habentur, v. g., saltationes recentiores quæ gallice dicuntur ; *valse, polka, galop,* et aliæ istis similes; sedulo proinde videntur interdicendæ,

Attamen non desunt viri probi, qui has ipsas saltationes dicant modo non adeo indecore fieri posse, licet communiter valde periculosæ sint. Unde Confessarius, dum generatim pœnitentes ab hujusmodi saltationibus avertit, tamen in particulari judicare debet relative ad præsentes personarum et modorum circumstantias.

229. — 5° Choreæ vel saltationes, prout vulgo fiunt in *ruribus*, periculi et scandali plenæ sunt, et pro plerisque in eis adest proxima peccandi occasio. Proinde Parochi et Confessarii subditos et pœnitentes ab illis, quantum fieri potest, avertere debent; et revera hæc est sententia et praxis communis Doctorum nostræ ætatis, et directorum animarum.

230. — 4° Caute tamen in praxi procedendum est, cum omnes illas choreas de medio tollere sæpe sit moraliter impossibile : unde in iis locis ubi sunt in usu, ordinarie expedit ut concionatores, præsertim Parochi, agant *indirecte* tantum in choreas, et *directe* in peccata, quæ in eis committi solent.

Confessarius autem imprimis ad periculum personale pœnitentis attendere debet, ut illum cohibeat; vel si sit remotum periculum, ratioque choreis assistendi non desit, pœnitenti indulgeat.

231. — Hinc absolvi non possunt, qui promittere nolunt se choreas derelicturos esse, si illis sint occasio peccandi proxima; et indiscriminatim adsint choreis tum honestis, tum inhonestis.

Nam fieri non potest, ut quis jam sæpe versetur in istis consortiis levissimæ et corruptissimæ juventutis, quin impura contagione inficiatur et pereat.

At, juxta plures absolvi possunt, si interdum tantum choreis *honestis* intersint, v. g., in extraordinariis oblectationibus auctoritate publica, vel in nuptiis cognatorum aut amicorum, vel etiam die festo Patroni loci; saltem a Confessario prudenter dissimulandum erit in hujusmodi casi-

bus, qui impediri nequeunt; nec ideo tales pœnitentes a Sacramentis removendi sunt. Ita Bouvier, Gury, et alii.

Attamen, cum saltationes quæ a vulgo fiunt in ruribus, pro plerisque sint proxima peccandi occasio, ex dictis, n. 229, atque dies festus Patroni quotannis redeat, contritione carere videtur, qui vult choreis interesse quotannis die festo Patroni; et ideo Confessarius omni studio conari debet, ut pœnitens deponat voluntatem sic se exponendi proximæ et periodicæ peccandi occasioni.

Revera talis est Confessariorum praxis in locis præsertim, in quibus hactenus vim suam retinet fides christiana : atque hoc agendi modo plures a choreis omnino præservantur, non pauci ab eisdem removentur, et efficaciter emendantur.

PUNCTUM IV

De Scandalo per spectacula.

Eadem fere sunt principia de licitate spectaculorum seu ludorum, quæ per mimos sive per histriones repræsentari solent, ac de choreis; et ideo pauca tantum subjiciemus. Scilicet,

232. — *Quæritur* an spectacula sint occasio, aut causa scandali, et ideo illicita?

Resp. 1° Spectacula *per se* non sunt occasio aut causa scandali, nec proinde illicita; siquidem nulli legi sive naturali, sive positivæ adversantur; et aliunde scandalum abesse potest, v. g., si constet quod in tali theatro generatim res indifferentes exhibeantur, ibique decentia verbi, vestitus et cantus servetur. Ita S. Th. 2. 2, q. 168, a. 3, ad. 3.

Hinc non peccat mortaliter qui, præciso scandalo, interest comœdiæ non graviter turpi, nisi propriam fragilitatem expertus sit, id est, nisi experientia sciat se hujusmodi ludis vehementer in libidinem commoveri, cum periculo proximo consensus. Ita Sanchez, S. Lig., lib. 3, n. 427.

233. — 2° Spectacula autem *per accidens* sunt illicita, nempe, illa in quibus repræsentantur res notabiliter tur-

pes, vel in quibus apparent personæ diversi sexus notabiliter indecentes. Tales enim ludi, generatim loquendo, tam actoribus quam spectatoribus noxii sunt. Porro nostris diebus ordinarie aliquo modo turpia sunt spectacula in verbis, in actibus et in vestitu præsertim.

234. — Hinc 1. qui comœdiis quoad res vel qnoad modum notabiliter turpibus intersunt, peccant mortaliter, si illas spectent ob delectationem consurgentem ex illis comœdiis; venialiter autem, si spectent ob curiositatem tantum, aut ob vanum solatium, secluso periculo consensus in turpem delectationem.

« Nullo tamen modo, ait S. Ligor., lib. 3, n. 427, a mortali excusarem adolescentem, qui absque necesssitate vellet curiositatis causa hujusmodi comœdiis interesse, nisi quis esset valde timoratus, et insuper pluries esset expertus illas spectando nunquam lethaliter peccasse, nec suo exemplo aliis adolescentibus occasionem præberet hujusmodi turpibus representationibus assistendi. »

235. — Hinc 2. propter scandalum aliorum, peccant mortaliter, qui pecunia aut plausu cooperantur ad comœdias notabiliter turpes; et etiam qui eas impedire tenentur aut commode possunt, et non impediunt. Hi tamen excusantur. si ad majus malum impediendum, talia spectacula tolerent tantum. A fortiori peccant mortaliter, qui hujusmodi comœdias componunt.

236. — Hinc 3. comœdi seu histriones, generatim loquendo, versantur in occasione proxima peccati, et æternæ damnationis, cum sint parati ad res quascunque, etiam turpes repræsentandas : et ideo absolvi non possunt. Quapropter olim in aliquibus diœcesibus Galliæ excommunicationi subjiciebantur. Hæc tamen censura in desuetudinem abiit.

A fortiori Clerici et Religiosi nunquam spectaculis turpibus interesse possunt, ut docet Benedict. XIV, *de Synod.* lib. 11, c. 10. Exinde enim grave pro laicis sequeretur scandalum; et sæpe pro ipsis Clericis aut Religiosis proxima

peccandi occasio. Vide de hac materia Bossuet, *Maximes et réflexions sur la comédie*[1].

§ IV

De Cooperatione in re mala.

237. — Cooperatio in re mala est *participatio quædam ad actionem pravam alterius.*

In Tract. *de Act. hum.*, diximus quotuplex esse possit cooperatio ad aliquem effectum; sed etiam ibidem statuimus cooperationem *directam* ad pravam alterius actionem esse semper malam; cooperationem autem *indirectam* ad pravum alterius effectum non esse malam, nisi quatenus deficit ratio sufficiens ponendi illam cooperationem; n. 61, 64, 71.

Hic igitur hujusmodi principia applicanda sunt cooperationi respectu *caritatis*, præcipue quod famulos, operarios, mercatores et caupones; in Tract. *de Justitia*, n. 231 et

1. Ex illis variis scandali speciebus undique nostris diebus exundantem morum corruptelam sic contrahit DD. Besson, 1885 : « Les commandements de Dieu sont méconnus *jusque dans les rangs de ceux qui se disent les défenseurs de Dieu et de son Eglise.*

« On s'est fait une religion facile, qui s'accommode avec les plaisirs les plus suspects et les passions les plus honteuses.

« *Jamais les exigences de la mode et du luxe n'ont été poussées plus loin*, jamais elles n'ont coûté si cher. La crudité des romans, la licence des spectacles, la fureur des jeux, la cruelle manie des duels, ne font que s'accroître au milieu de l'abaissement des caractères.

« On se plaint tous les jours de ceux qui ne croient pas en Dieu, et on ne s'aperçoit pas que l'on vit comme si on n'y croyait pas soi-même.

« On déplore qu'il y ait des écoles, où le nom de Dieu ne soit plus prononcé, et on s'obstine à lire le roman qui offense sa loi sainte, on s'entête à fréquenter le théâtre, l'école de pestilence et d'impiété, où cette loi est tournée en ridicule.

« Il y a, *jusque dans la presse qui se dit religieuse*, des écrivains qui préconisent de mauvais livres, qui applaudissent aux plus mauvaises pièces, qui tantôt excusent le duel, tantôt le célèbrent, ou qui, du moins, rien que pour en raconter les affreuses prouesses, en perpétuent l'abus et en facilitent la déplorable imitation.

« Ce n'est pas en s'abaissant qu'on relève les autres! Les hommes de plaisir n'ont pas à prétendre à la direction des affaires; Dieu ne leur a promis que la décadence et la ruine.

« Venez, chrétiens, venez! Élevez-vous au-dessus de cette atmosphère empoisonnée; démêlez-vous, comme disait Massillon, de cette paille destinée au feu; prenez d'autres mœurs, humiliez-vous et priez. »

seq., eadem principia applicantur cooperationi respectu justitiæ strictæ. Itaque,

238. — 1° *Famuli, coqui, ancillæ*, qui a dominis suis jubentur carnes parare et apponere mensæ, diebus prohibitis, id licite exsequi possunt, ubi nec certi sunt, nec præsumere debent dominos sine motivo istud præcipere. Cum enim nemo præsumatur malus, nisi probetur, famuli existimare debent occultam heris subesse rationem. Sin autem contrarium constet, famuli obtemperare non poterunt, nisi sufficienti cum causa : porro causa sufficiens censenda est, in præsenti casu, si rationabiliter metuant ne, deserendo domum, nullam aliam inveniant in qua recipiantur; aut in multo pejorem incidant. Sed improportionata esset causa, si tantum levem lucri imminutionem timerent.

Similiter famulus, ratione famulatus, potest sternere equum domini ad peccandum profecturi. At eidem non licet comitari herum ad locum ubi peccatum est patrandum sine ratione gravis damni subeundi, quia propior est cooperatio. S. Ligor. n. 64.

Probabilius etiam potest famulus, metu mortis aut mutilationis, subjicere humeros hero ad peccandum ascendenti; eo quod non ponit actionem intrinsece malam; S. Ligor. n. 66, 68. Sed tenetur postea domini sui domum deserere, si aliud simile timeat, ait Scavini.

Nunquam licet, ait S. Ligor. n. 68, etiam posita gravissima causa, famulo litteras amatorias complici deferre, quia hoc intrinsece malum est; affirmant tamen Vogler et alii, si adsit ratio valde gravis. Cæterum famulus non tenetur inquirere, quid in litteris contineatur.

Quæ de famulis dicta sut, plerumque aliis inferioribus aut subditis, v. g, filiis, uxoribus, etc., applicanda sunt.

239. — 2° *Operariis* licet etiam generatim absque gravi ratione theatra ædificare, ornare, si ornamenta sint in se honesta; quia sæpe licitum est principibus spectacula tolerare, n. 233, et hujusmodi coperatio adeo remota videtur, ut non sit peccaminosa.

Non licet autem operariis templa hæreticorum ædificare, si hoc postuletur in odium Religionis. Licitum est autem ex gravissima causa, v. g., ad mortem aut aliud gravissimum malum vitandum.

Nec etiam generatim licitum est immediate cooperari impressioni pravorum librorum, v. g., typos ordinare, chartam typis apponere, impressionem dirigere, etc., quia hoc videtur intrinsece malum. Attamen juxta Layman, *de Carit.*, c. 13, n. 4, in casu gravissimi detrimenti, ad breve tempus talis cooperatio præstari potest.

Licet autem gravi de causa cooperari mediate seu remote, v. g., atramentum vel chartam præparare, libros impressos ordinare. Difficilius liceret libros pravos impingere, vel libros venditos ad emptores deferre.

240. — 3° Quoad *mercatores*, 1. licet vendere res *indifferentes*, aut quæ bonum usum habere possunt, si venditor nihil sciat de mala intentione emptoris, quia malum non est præsumendum; secus vero, si certo cognosceretur emptorem illis male usurum esse, nisi absque gravi incommodo denegari non possunt.

Similiter licet vendere ornamenta honesta puellæ, quibus forte sit abusura, præsertim si ab aliis æque emeret; secus, si ipsi venditori constaret de abusu, nisi alioquin notabile damnum pateretur. Cæterum solutio harum quæstionum ex consideratione multarum circumstantiarum pendet. Licet etiam vendere carnes diebus abstinentiæ, quia venditor de rationibus ementium judicare nequit, neć pertinet ad ipsum de illis inquirere.

2. Non licet vendere res quæ ex *institutione* sua, vel *usu* sunt destinatæ *ad malum*, nisi in casu particulari constet abesse periculum abusus, vel nisi gravis et proportionata ratio excuset.

Hinc pharmacopolæ, bibliopolæ, statuarii et cujuslibet generis venditor, peccant, et quidem gravissime, si vendant res malas, turpes, exitiosas *ut plurimum;* id enim intrinsece malum est, ac proinde omnino illicitum.

241. — 4° Quoad *caupones*, 1. non eis licet, sine gravi

ratione, dare vinum iis, qui prævidentur se inebriaturos. Licet autem ob metum cujuscunque gravis damni, v. g., sævitiarum, rixarum, blasphemiarum.

2. Non licet cauponibus proprio motu et sine ratione sufficienti, seu nisi metus gravis damni urgeat, dare carnes diebus prohibitis. Licet vero communiter, quando carnes petuntur, nisi petitio fiat in contemptum Religionis, quia difficilius esset inquirere de rationibus cujusque petentis.

Imo licet generatim cauponibus, apud quos divertunt rhedæ publicæ, mensam cibis licitis et illicitis struere; quia, cum constet plerosque carnes esse petituros, non videtur necessarium a singulis petere quid velint.

3. Generatim avertendi sunt caupones ab admittendo choreas in ædibus, ut plures alliciant hospites. Plerumque enim choreæ, præsertim quæ in cauponis habentur, minus honeste fiunt, et multis peccatis occasionem præbent. Attamen non semper iis neganda esset absolutio, sed spectandæ sunt circumstantiiæ, et modus ordinarius quo istæ choreæ fiunt.

4. Domini hospitiorum, quæ vulgo *cafés* dicuntur, non possunt hospitibus legenda proponere folia publica, quæ evidenter et ordinarie sunt religioni et moribus adversa, etiamsi hospites ad ipsos confluere propterea desinant. Non videntur tamen teneri ad rejiciendum folium aliquod, ex eo quod interdum aliquid minus rectum ratione fidei contineat, modo generatim Religioni non adversetur.

CAPUT II

DE QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO SEU DE OFFICIIS PIETATIS ET OBSERVANTIÆ.

242. — *Quæritur* 1° quodnam sit primarium quarti præcepti objectum, et an ejus materia proprie pertineat ad virtutem *pietatis?*

Resp. Quartum Decalogi præceptum, quod est primum secundæ tabulæ, n. 170, hisce verbis refertur, Exod.

20, v. 12 : *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Unde primarium illius præcepti objectum materiale est cultus erga parentes; atque principaliter pertinet ad pietatis virtutem. Scilicet,

Pietas, latiori sensu, sumitur pro ipsa religionis seu devotionis affectu, quo anima suaviter inclinatur ad Deo cultum retribuendum, n. 76. Quare *pium* dicitur omne opus, quo Deum colimus; et *pii* nuncupatur, qui cultui divino speciali affectu se devovent; *impii* vero, qui omni religionis sensu destitutos se perhibent.

Stricto autem sensu pietas est *virtus moralis, qua parentibus carnalibus debitus cultus tribuitur, quatenus sunt, post Deum, principium nostri esse et nostræ educationis.*

Et quidem 1. virtus *moralis,* quia pro objecto materiali habet aliquod bonum creatum, nempe, debitum cultum erga parentes, et pro objecto formali aliquid supernaturale.

2. *Qua parentibus carnalibus;* quibus proxime et immediate refertur cultus, de quo agitur. Nomine autem *parentum* carnalium comprehenduntur, simili ratione, ascendentes, avus, proavus, et generatim consanguinei uti aliquo modo principium vitæ nostræ naturalis.

3. *Debitus cultus tribuitur,* quibus designatur objectum materiale illius virtutis.

4. *Quatenus, post Deum, sunt principium nostri esse et nostræ educationis.* In hoc reponitur proximum et immediatum motivum seu objectum formale virtutis pietatis, quo distinguitur ab aliis virtutibus sive theologicis sive moralibus.

Ut autem hoc motivum fiat supernaturale, requiritur quod cultus retribuatur parentibus prout sunt ipsius Dei cooperatores, quibus Deus utitur ad esse nostrum carnale, intellectuale et morale constituendum, conservandum et perficiendum ad vitam æternam consequendam; et ita ad Deum et ad finem supernaturalem ultimo referatur ille cultus. Sed etiam implicite et consequenter idem materiale objectum complectitur omnes obligationes ad ipsam familiam constituendam et educandam respicientes, nempe,

conjugum erga seipsos, parentum erga filios, magistrorum, discipulorum, dominorum et famulorum. De hujusmodi obligationibus agitur in Tract. *de Matrim.*, *de Virtute castitatis*, et in speciali Tract. *de Obligat.*, n. 122-132.

243. — *Quæritur* 2° quodnam sit secundarium objectum quarti præcepti, et an ejus materia pertineat ad virtutem *observantiæ?*

Resp. Secundarium objectum quarti præcepti est cultus ergo parentes spirituales et civiles, quatenus sunt auctores vitæ nostræ spiritualis aut socialis, et sub hoc duplici respectu Dei cooperatores ad nostrum *esse* spirituale aut sociale constituendum, conservandum et perficiendum, et ita ad consequendam vitam æternam.

Porro virtus specialis, qua superioribus sive spiritualibus seu religiosis, sive temporalibus seu polititiis cultum debitum retribuimus, dicitur *observantia*. Unde, per virtutem Religionis, homo ad Deum ordinatur uti primum et increatum principium esse nostri sive naturalis, sive supernaturalis; per virtutes autem pietatis et observantiæ, homo ordinatur ad suos superiores creatos in ordine naturali, spirituali et temporali, et ultimo ad Deum quatenus est primum principium et finis ultimus triplicis illius ordinis. Proinde observantia est eminenter in pietate, et pietas in Religione.

Jam vero, de obligationibus erga superiores spirituales agitur in Tract. *de Ecclesia*, *de Legibus;* in Institut. canon. Tract. de Hierarchia *Pontificali*, *Episcopali*, *Familiarum religiosarum*. De obligationibus, quæ spectant statum civilem, agitur in Tract. *de Legibus*, *de Obligat.*, n. 133 et seq. Superest igitur ut hic expendamus officia generalia virtutis observantiæ, ac obligationes filiorum erga parentes.

ARTICULUS PRIMUS

De Præceptis Pietatis filiorum erga parentes.

Pietas erga parentes tria a filiis exigit, scilicet reverentiam, amorem, et obedientiam.

§ I

De præcepto reverendi Parentes.

PROPOSITIO

244. — *Filii tenentur reverentiam et honorem parentibus exhibere.* Certum est.

Prob. ex verbis hujus præcepti, supra relatis, quæ Matth. 15, v. 4, Christus ipse recensuit; imo, ut notat S. Paulus, Eph. 6, v. 2, hoc *est mandatum primum in promissione,* scilicet, non tantum beatitudinis æternæ, sed et vitæ præsentis; ideo voluit Deus illud a nobis observari. Item, Eccli. 3, v. 8, dicitur : *Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.* Rationem reddit Catechismus romanus, parte 3ª, n. 11, quia parentes sunt quasi Dei simulacra, quippe qui largitores sunt vitæ ac bonorum tum animæ, tum corporis, piæque ac christianæ educationis instrumenta.

Quæritur in quo consistat reverentia parentibus debita? *Resp.* Hæc reverentia in duobus consistit : 1° congruo loco et tempore exhibenda sunt parentibus ex interno animi sensu officia honoris externi, non solum de illis honorifice sentiendo, sed etiam loquendo, caput aperiendo, iis assurgendo, famulando, etc.; quorum omissio tunc maxime est peccatum mortale, quando vel ex parentum contemptu procedit, vel contemptum exterius significat.

2° Reverentia illa exigit, ut nihil fiat quo positive inhonorentur parentes; hoc enim peccatum esse gravissimum Scriptura passim testatur, ut Exodi 21, v. 17 : *Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur;* item, Prov. 19, v. 26 : *Qui affligit patrem et fugat matrem, ignominiosus est et infelix.* Item, Prov. 30, v. 17 : *Oculum qui subsannat patrem... effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ.* Peccant ergo graviter, 1. qui eos spernunt vel irrident; 2. qui eos conviciis vel maledictis afficiunt; 3. qui percutiunt etiam leviter, imo qui manum attollunt ad feriendum; 4. qui eos sine causa multum contristant, vel ad gravem iram provocant verbis contumeliosis, aut iis,

quibus norunt eos graviter offendi; 5. qui eos pauperes despiciunt, aut ex contemptu vel etiam sine causa dedignantur agnoscere; 6. eos qui de crimine (etiamsi verum sit) accusare non dubitant, excepto crimine læsæ majestatis vel divinæ per hæresim, vel humanæ per conspirationem aut proditionem adversus Principes, *quando aliud remedium non suppetit :* hæc enim omnia et similia, ob circumstantiam personæ parentum, mortalia ordinarie censeri debent, quamvis respectu aliarum personarum essent interdum, ex levitate materiæ, venialia.

Idem quod de reverentia parentibus debita, dicendum est de reverentia exhibenda conjunctis in primo gradu, scilicet, avo, aviæ, imo et aliis ascendentibus ; item fratribus, sororibus, propter reverentiam patris et communitatem sanguinis; contra enim hos omnes, pietas prohibet injurias, quamvis non tam graviter quam contra ipsos parentes.

§ II

De præcepto amandi Parentes.

PROPOSITIO

245. — *Filii tenentur parentes amore speciali prosequi.* Namque, præter generalem obligationem diligendi proximum, accedit alias specialis et gravissima obligatio diligendi parentes, scilicet, ex virtute pietatis, ut ipsa natura docet, præsertim cum ipsi nos tenero amore prosecuti sint. De hoc præcepto S. Hieron., in Matth. c. 10, ait : « Ama post Deum patrem, ama matrem, ama filios. Si autem necessitas venerit ut amor parentum ac filiorum Dei amori comparetur, et non possit utrumque servari, odium in suos pietas in Deum est. »

246. — *Quæritur* qualem amorem erga parentes pietas exigat?

Resp. Duo hac in parte pietas exigit a filiis : 1° ut, ex interno affectu dilectionis, specialia benevolentiæ signa parentibus exhibeant, prout se dabit occasio, quæ frequens est, quando filii cum parentibus vivunt; hujusmodi signa

sunt amicabilis vultus, mites sermones, prompta obsequia, etc., maxime vero subventio in eorum necessitatibus, tum corporalibus, tum spiritualibus : quam subventionem amoris nomine intelligi constat.

Hinc sine dubio graviter contra pietatem peccant filii, qui, si possunt, parentum egestati non subveniunt, sanitatem aut libertatem iis non procurant, infirmitate aut carcere detentos non visitant et non consolantur; a fortiori peccant, qui eos ad iram provocant, et gravem tristitiam absque justa et gravi causa afferunt; qui extremo morbo laborantibus non curant ministrari sacramenta, vel eis post mortem exsequias et sepulturam, et suffragiorum Ecclesiæ obsequia non procurant, vel eorum debita et legata, præsertim pia, ex reliqua hereditate persolvere non satagunt, aut nimis differunt : iidem pariter peccavere, si impedierunt ne quid pauperibus pro animæ salute relinquerent.

2° Pietas erga parentes exigit, ut nunquam odio habeantur : hinc peccant graviter contra pietatem qui eos odio habent; item, qui iis optant mala, v. g., mortem ut hæreditate citius potiantur; vel qui signa odii eis demonstrant, torvis occulis eos aspiciendo, et aspere loquendo, perinde ac si eos odio haberent, quamvis forte eos interius diligant.

Eodem modo dicendum est pietatem obligare ad amorem omnium propinquorum, non tamen ita graviter.

§ III

De præcepto obediendi Parentibus.

PROPOSITIO II

247. — *Filii tenentur obedire parentibus.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* multis in locis, ut Deuter. 21, Prov. 1, Rom 1, Ephes. 6, Coloss, 3, 5, et II Timoth. 3, etc.; textum Epist. Eph. 6, v. 1, referre sufficiat : *Filii, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est.*

2° *Ex ipso Christi exemplo,* qui B. Virgini et S. Josepho subditus erat, ut dicitur Luc. 2, v. 5.

3° Id patet etiam ex ipsa lege et ratione naturali, quæ ita docet,

248. — *Quæritur* in quibusnam filii teneantur obedire parentibus?

Resp. 1° *Filii tenentur obedire parentibus in iis, in quibus subditi sunt;* scilicet, in iis quæ ad bonos mores vel ad domus gubernationem pertinent; ita ut peccent mortaliter *contra pietatem*, qui non obediunt parentibus præcipientibus ne tabernas, ludos prohibitos, aut personas pravæ conversationis frequentent, vel ut debito obsequio aut famulatui in domo paterna vacent, inutilibus peregrinationibus abstineant, Catecheses, Conciones sacras, ecclesiam et sacramenta frequentent, etc.; multo magis, si ex contemptu aut pertinacia obedire recusent; hic tamen defectus obedientiæ sæpe potest esse venialis duntaxat, 1, si parentes non præcipiant stricte, sed solum admoneant; 2. si res quæ præcipitur, sit levis momenti; 2. si, ob defectum ætatis, filii non advertant rei præceptæ gravitatem.

2° *Contra vero non tenentur filii obedire parentibus*, 1. in iis quæ mala sunt et illicita : quia Deo obedire magis oportet quam hominibus; 2. in iis quæ pertinent ad electionem status, sive ecclesiastici, sive religiosi, sive cælibatus, sive nuptiarum : in his enim quisque est sui juris, graviterque peccant parentes, qui directe vel indirecte prolem cogunt aliquem ex his statibus amplecti, tum quia non hominis est, sed Dei hominem vocare, tum quia ex coacta vocatione pessimi scaturiunt exitus.

Attamen filii aliquando teneri possunt manere in seculo, si aliud non occurrat remedium ad subveniendum extremæ vel etiam gravi parentum indigentiæ. Præterea filii matrimonium ordinarie inire non possunt, nisi petito et obtento parentum consensu : sed de hoc in Tract. *de Matrim.*, n. 136-139.

ARTICULUS II

De præceptis observantiæ Inferiorum erga Superiores.

Præcepta illa, quæ ad observantiam pertinent, quamvis nec pauca nec levia, hic tamen vix delibantur, ut jam dictum est, n. 243, in fine.

PROPOSITIO PRIMA

249. — *Inferiores tenentur ex præcepto observantiæ reverentiam exhibere Superioribus, tum ecclesiasticis, tum civilibus.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Eccli. 7, v. 33 : *Honora Deum ex tota anima tua, et honorifica Sacerdotes.* Item, I Tim. 5, v. 17 ; *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina.* Per *duplicem* honorem intellige *multiplicem*, ex S. Hieron., vel reverentiam et alimoniam, ex S. Ambr. De reverentia autem Superioribus secularibus debita, sic loquitur S. Paulus, Rom. 13, v. 7 : *Reddite omnibus debita... cui honorem, honorem.*

2° *Ratione.* Nam, sicut parentibus carnalibus honorem debemus, eo quod sint principium generationis carnalis et educationis nostræ, ita etiam honorem debemus Presbyteris et Pastoribus, qui sunt principium spiritualis generationis et educationis; item, Superioribus temporalibus, qui vitam nostram carnalem et temporalia bona tuentur, nosque sua gubernatione dirigunt, et, sicut, ait S. Thomas, particulariter participant rationem patris. Unde patet injurias contra Superiores, sive spirituales, sive temporales, præcepto speciali observantiæ prohiberi, et esse gravia peccata, præsertim si ex contemptu procedant.

PROPOSITIO II

250. — *Præcepto observantiæ tenentur Inferiores speciali amore prosequi Superiores suos.* Certum est.

Prob. iisdem momentis quibus præcedens propositio. In quo autem hic amor consistat, colligi potest ex iis quæ diximus de amore filiorum erga parentes; eadem enim est obligatio, servata proportione, respectu Superiorum, quamvis non ita gravis.

PROPOSITIO III

251. — *Tenentur subditi obedire justis legibus Superiorum, tum ecclesiasticorum, tum civilium.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Et 1. quidem pro Superioribus eccle-

siasticis, scilicet, S. Pontifice, Episcopo, Parochis, Hebr. 13, v. 17 : « *Obedite præpositis vestris et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* » 2. Pro Superioribus civilibus, v. g., Regibus, Principibus, Magistratibus, Rom. 13, v. 1, 2 : « *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit... Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* » Item, pro dominis particularibus, I Petri 2, v. 18 : « *Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.* » Item, Coloss. 3, v. 22; Ephes. 6, v. 5; Tit. 2, v. 9.

2° *Ratione.* Quia alioqui nullus esset ordo, et omnia subverterentur; adde quod sæpe etiam sit ex justitia obligatio obediendi, v. g., in famulis, ob pactum cum dominis initum.

Circa officia discipulorum erga magistros, vide Tract. *de Statuum oblig.*, n. 130.

CAPUT III

DE OFFICIIS JUSTITIÆ ERGA PROXIMUM

252. — *Quæritur* quodnam sit objectum justitiæ et hujusce capitis?

Resp. Justitia stricte sumpta pro objecto habet jus proprietatis *perfectum*, cujus, scilicet, limites vere et clare determinantur, aut saltem determinari possunt, et quod ideo rigorose exigi potest via coactionis. In hoc justitia differt a charitate, quæ pro objecto habet jus *imperfectum*, cujus nimirum limites pro nobis indeterminati manent, ac proinde quod via coactionis vindicare non possumus. Vide Tract. *de Justitia*, n. 2, 7.

Jus autem perfectum lædi potest ut jam diximus, n. 171, vel in bonis corporis proprii aut conjuncti per *homicidium* et *adulterium;* vel in bonis externis per *furtum*, vel in bonis animæ, famæ, honoris per *mendacium*, *detractionem*, *contumeliam*, *judicium temerarium*. Quæ omnia prohibentur eodem ordine sex ultimis Decalogi præceptis.

Jam vero, quæ spectant adulterium variasque luxuriæ filias, discussa sunt in Tract. *de Peccatis*, n. 53, 54, 55,

90 et seq., et fusius evolvuntur in speciali Tract. *de Virtute castitatis*. Insuper, quæ ad furtum attinent, absolvuntur in Tract. *de Justitia* et *Contractibus*, ubi etiam agitur de restitutione famæ et honoris injuste ablati. Hic ideo agendum superest de quinto, octavo, nono et decimo Decalogi præcepto.

ARTICULUS PRIMUS

De quinto Decalogi Præcepto.

253. — *Quæritur* quodnam sit objectum quinti præcepti Decalogi?

Resp. Quintum Decalogi præceptum hoc verbo continetur : *Non occides :* quo prohibentur occisio et mutilatio suiipsius, occisio, mutilatio et persecutio proximi; imo, ut explicuit ipse Christus, Matth. 5, v. 22, omnis contra fratrem ira non solum externa, sed etiam *mere interna*. De ira autem jam actum est in Tract. *de Peccatis*, n. 106 et seq. Hic igitur de duobus tantum prioribus disserendum habemus.

§ I

De Præcepto non occidendi, nec mutilandi seipsum.

Duplici modo potest aliquis seipsum occidere : 1° directe ex intentione occidendi seipsum; 2° indirecte et veluti per accidens, faciendo vel omittendo aliquid, ex quo posito vel omisso mors sequitur; v. g., si quis in naufragio tabulam amico tradat, vel occupandam relinquat, unde fiat ut ipse undis absorbeatur.

PROPOSITIO PRIMA

254. — *Nunquam licet seipsum directe occidere.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim : « *Non occides;* » Exod. 20, v. 13. — « *Ego occidam, et ego vivere faciam;* » Deuter., 32, v. 39. — « *Tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem;* » Sap. 16, v. 13. Illa verba manifeste probant nunquam licitum esse seipsum directe occidere, nisi exceptio suppeditetur revelatione supernaturali aut ratione :

atqui in doctrina revelata nullibi ulla hujusmodi exceptio indicatur; nec etiam ullam suppeditat ratio, ex statim dicendis; ergo nunquam licet seipsum directe occidere.

2° *Traditione*. Eamdem absolutam prohibitionem propugnant SS. Patres et Concilia, præsertim contra Donatistas et Circumcelliones, qui sui ipsorum occisionem genus putabant esse martyrii. « Restat ut de homine intelligamus, illud quod dictum est *Non occides*, nec alterum, *nec te;* neque enim aliud quam hominem occidit, qui seipsum occidit; » S. August., *de Civit.*, lib. 1, c. 20, qui legendus est a cap. 17, usque ad 27, ubi refellit rationes et causas, quibus aliqui falso existimare poterant licitum esse seipsum occidere.

Idem constat ex praxi Ecclesiæ. Namque in Jure can., *causa* 23, q. 5, prohibetur ne pro illis homicidis fiant ullæ oblationes et commemorationes, et ne cum Psalmis cadavera hæc ad sepulturam deducantur. Tract. *de Censuris*, n. 115.

3° *Ratione*. Etenim qui seipsum occidit, violat caritatem erga seipsum, et justitiam erga societatem et ipsum Deum. Et quidem 1. *caritatem* erga seipsum. Nam quælibet res naturaliter seipsam amat : porro ad hunc amorem pertinet, quod res quælibet conservet se in *esse*, et corrumpentibus resistat, quantum potest; ergo, qui seipsum occidit, peccat mortaliter contra inclinationem seu legem naturalem et caritatem erga seipsum. Propterea suicidium damnarunt ipsi Gentiles, inter quos Cicero, *de Offic.*, lib. 1; *Tuscul.* q. 1; *de Somnio Scipionis;* Aristot. 3. *Ethic.* c. 7, et lib. 5, c. 11.

2. Contra *justitiam* erga societatem. Quilibet enim homo est pars communitatis, et ad eam pertinet sicut pars ad totum; ergo, seipsum occidendo, injuriam communitati facit, privando eam membro et parte, ut docet ipse Aristoteles, 5 *Ethic.* cap. ult. Quare olim in Gallia, Respublica cadavera eorum, qui se interimebant, remittebat carnifici suspendenda, deinde per vicos et plateas publice raptanda, et tandem in sterquilinium projicienda, absque sepultura.

3. Contra *justitiam* erga *Deum*. Etenim Deus solus est

auctor et ideo dominus vitæ; ergo, qui seipsum occidit, divinum illud dominium usurpat, ac proinde contra justitiam peccat; sicut qui alienum servum interficit, peccat in dominum cujus est servus, vel sicut qui usurpat sibi judicium de re sibi non commissa.

Revera, Deus, ex supremo suo dominio, posuit unumquemque hominum super terram, ut intra certum tempus ab ipso determinatum, talem vel talem gradum meriti supernaturalis quisque adipiscatur, ac per finalem perseverantiam efficaciter vitam æternam consequatur : porro, qui seipsum occidit, eo ipso violat legem a Deo positam tum de termino vitæ præsentis pro unoquoque homine; tum de merito supernaturali per hanc vitam obtinendo; tum de perseverantia finali in gratia sanctificante, ad efficaciter consequendam vitam æternam; ergo qui directe seipsum occidit, ex multiplici capite graviter peccat, et ineluctabiliter damnatur[1].

255. — Hinc 1. non licet occidere seipsum propter aliquod *peccatum commissum*.

1. « Tu veux cesser de vivre, mais je voudrais bien savoir si tu as commencé. Quoi! tu fus placé sur la terre pour n'y rien faire? Le ciel ne t'impose-t-il point avec la vie une tâche à remplir? Quelle réponse tiens-tu prête au Juge suprême qui demandera compte de ton temps? Malheureux! trouve-moi ce juste qui se vante d'avoir assez vécu; que j'apprenne de lui comment il faut avoir porté la vie pour être en droit de la quitter.

« Tu comptes les maux de l'humanité, et tu dis : *La vie est un mal*... La vie est un mal pour le méchant qui prospère, et un bien pour l'honnête homme infortuné; car ce n'est pas une modification passagère, mais son rapport avec son objet qui la rend bonne ou mauvaise... Puisque c'est dans la mauvaise disposition de ton âme qu'est tout le mal, corrige tes affections déréglées et ne brûle pas ta maison pour n'avoir pas la peine de la ranger...

« La vie n'est rien par elle-même; son prix dépend de son emploi. Le bien seul qu'on a fait demeure, et c'est par lui qu'elle est quelque chose. Ne dis donc plus que c'est un mal pour toi de vivre, puisqu'il dépend de toi seul que ce soit un bien, et que si c'est un mal d'avoir vécu, c'est une raison de plus de vivre encore. Ne dis pas non plus qu'il t'est permis de mourir, car autant vaudrait dire qu'il t'est permis de n'être pas homme, qu'il t'est permis de te révolter contre l'auteur de ton être et de tromper ta destination... Ignores-tu que tu ne saurais faire un pas sur la terre sans trouver quelque devoir à remplir, et que tout homme est utile à l'humanité par cela seul qu'il existe? » J.-J. Rousseau.

Malefactoris enim occisio non pertinet nisi ad publicam potestatem, cum nullus sit judex sui ipsius. Sed etiam qui seipsum occidit, in hoc sibi maxime nocet quod sibi adimit necessarium pœnitentiæ tempus. Unde S. August., *de Civit.*, lib. 1, c. 17, ait : « Judas cum se occidit, sceleratum hominem occidit; et tamen non solum Christi, verum etiam *suæ mortis reus* finivit hanc vitam, quia licet propter scelus, *alio scelere* suo occisus est. »

256. — Hinc 2. non licet occidere seipsum ad vitandum peccatum *futurum*, ob timorem scilicet in illud consentiendi.

Non sunt enim facienda mala ut eveniant bona, aut ut vitentur mala præsertim minora et minus certa : atqui incertum est an aliquis in futurum consentiet in peccatum; potens est enim Deus hominem quacunque tentatione superveniente liberare a peccato. Insuper ordinarie minus est malum vitandum per suicidium, quam suicidium ipsum; sic minus est peccatum fornicationis et adulterii quam homicidium et præcipue sui ipsius, quod est gravissimum, quia sibi ipsi nocet homicida cui maximam dilectionem debet; et etiam est periculosissimum, quia non restat tempus, ut expietur.

Proinde non licet immoderatis et prorsus indiscretis pœnitentiis graviter valetudinem pessumdare. Attamen non est illicitum, ex motivo perfectioris virtutis, uti pœnitentiis gravibus cum certa quadam vitæ abbreviatione; ex communi enim doctorum sententia, propter meritum aut pravæ naturæ mortificationem, aliqua longioris vitæ jactura contemni potest S. Ligor., n. 571.

257. — Hinc 3. non licet occidere seipsum, ut infamias, labores, ægritudines, paupertatem aliasque hujus vitæ miserias et ærumnas evadamus.

Ultimum enim malorum hujus vitæ et maxime terribile est mors, ut ait ipse Aristoteles in 3 Ethic., ideoque inferre sibi mortem ad hujus vitæ miserias evadendas, est majus malum assumere ad minus vitandum.

Equidem mortem sibi inferre ad vitanda mala pœnalia, habet speciem quandam fortitudinis, propter quod quidam se interfecerunt, æstimantes se fortiter agere; et tamen non est vera fortitudo, sed magis quædam mollities animi non volentis mala pœnalia sustinere, ut docet S. August. *de Civit.* lib. 1, c. 22 et seq.

258. — Hinc 4. non licet seipsum occidere ad immortali et feliciori vita citius fruendum.

Namque transitus de hac vita ad aliam feliciorem non subjacet libero hominis arbitrio, sed potestati divinæ, sicut et ejus ingressus per nativitatem. Unde Samson, Eleazar, S. Apollonia aliique Sancti non seipsos occiderunt nisi ex speciali divino instinctu, ut expresse docet S. August., *ibid.*, c. 21. Alii dicunt quod Samson et Eleazar seipsos directe non interfecerunt et ex intentione, sed tantum, ob commune bonum et hostium ruinam, sese exposuerunt periculo, operantes virtutis actionem, ex qua per accidens fuerunt interfecti : quod licitum est ex subsequenti propositione. Vide S. Th. 2, 2. q. 64, a. 3[1].

1. De 1863 à 1870, la moyenne des suicides, en France, était, par année, de 5,147; de 1871 à 1875, de 6,107; en 1876, de 5,804; en 1877, de 5,922; en 1882, 7,213; 1883, 7,267; 1884, 7,572; 1885, 7,902; 1886, 8,187, dont 6,474 hommes, 1,718 femmes, 1,688 pour la Seine. De 1836 à 1840, la moyenne annuelle des suicides par 100,000 habitants était de 7,60; en 1877, elle était de 16.

En 1877, sur 100 suicides parmi les hommes, il s'en est produit 4 de 10 à 20 ans d'âge, 26 de 21 à 40 ans, 40 de 40 à 60 ans, 30 de 60 ans et au-dessus. Parmi les femmes, 9 de 10 à 20 ans d'âge, 27 de 20 à 40 ans, 37 de 40 à 60 ans, 27 de 60 ans et au-dessus.

Le suicide, de 10 à 20 ans, est attribué à une éducation mal dirigée, aux conditions spéciales des natures nerveuses et impressionables par l'évolution de la puberté, à la mobilité propre à l'enfance, au défaut de résistance à des impulsions que les plus futiles motifs éveillent parfois. Les morts volontaires, à l'âge de 60 ans et au-dessus, ont pour causes ordinaires les affections incurables, la misère et la démence.

Sur 100,000 célibataires de même condition, on a constaté, en 1877, 28 suicides; sur les hommes et les femmes mariés, 18 seulement. En 1877, sur 5,922 suicides, on trouve 4,688 hommes et 1,234 femmes.

L'ensemble des statistiques donne une moyenne de suicides plus élevée en juin et juillet; mai et août viennent ensuite, puis mars et septembre; février, octo-

PROPOSITIO II

259. — *Licitum est aliquando indirecte occidere seipsum seu aliquid facere aut omittere, ex quo mors prævidetur secutura per accidens.* Certum est.

Etenim non semper obligamur ad cavenda ea, quæ per accidens eveniunt, sed ex justa causa possumus ea permittere, neque semper prohibitum est vitam suam periculo exponere, sed solum quando id fit ex intentione directa se occidendi, vel absque causa, quod patebit exemplis.

bre et janvier sont égaux; les mois de novembre et de décembre sont les moins chargés.

Les causes des suicides restent souvent ignorées. En 1877, on a constaté 1,754 suicides pour cause d'aliénation mentale, 701 pour ivrognerie, 855 pour chagrins domestiques, 837 pour souffrances physiques, 688 pour cause de misère, 251 pour déceptions, revers de fortune, 235 pour chagrins d'amour, 229 pour désir de se soustraire à des poursuites judiciaires.

A Paris, le suicide est trois fois plus fréquent que dans les campagnes, et deux fois plus que dans les villes d'une population de 2,000 âmes. En 1877, pour un million d'habitants, Paris a eu 327 suicides, l'ensemble des populations urbaines 167, et l'ensemble des populations rurales 112.

En 1886, on a constaté 2,263 suicides par submersion, 3,471 par pendaison, 1,085 par armes à feu, 632 par asphyxie, 183 par instruments tranchants et aigus, 200 par poison, 217 par chute volontaire d'un lieu élevé, 97 par chute volontaire sous un train en marche, 7 par chute volontaire sous une voiture, 27 par abus de liqueurs alcooliques, 2 par le feu, 4 par causes non spécifiées.

Les cordonniers et les tailleurs sont, dans la classe ouvrière, ceux qui se suicident dans les plus fortes proportions. Les professions libérales donnent toujours le chiffre *maximum;* on l'évalue à 30 sur 100,000, tandis qu'il n'est que de 15 pour les commerçants, 15 pour les ouvriers de diverses industries, 12 pour les agriculteurs et les domestiques. « Le suicide, dit Saint-Marc-Girardin, n'est pas la maladie des simples de cœur et d'esprit; c'est la maladie des raffinés et des philosophes; et, si de nos jours les artisans sont, hélas! atteints eux-mêmes de la maladie du suicide, cela tient à ce que leur intelligence est sans cesse agacée et aigrie par la science et la civilisation modernes. »

Considéré, en Grèce et à Rome, comme un crime, le suicide fut puni comme tel jusqu'au jour où triomphèrent les doctrines épicurienne et stoïcienne, qui le mirent en honneur. Les aspirations de toutes les ambitions plus ou moins satisfaites, l'amour effréné d'un faux luxe et d'une sotte égalité entraînant à des dépenses sans frein, le goût des spéculations hardies, l'abus effrayant des alcooliques et des stupéfiants, l'abandon de toutes les croyances, les convulsions politiques et sociales sans cesse renaissantes, sont les causes ordinaires de ce dégoût, de cette lassitude de la vie, de ce *tædium vitæ*, avant-coureur du suicide. (*Journal de la Société de statistique*, mai 1880.)

Aliunde thesis constat ex dictis in Tract. *de Act. hum.*, n. 70, 72.

Unde 1°, *propter bonum commune*, possunt milites se exponere evidenti periculo mortis; membrum enim debet pro toto corpore periclitari.

2° Ad *vitandam mortem certiorem*, v. g., grassante incendio, persequente inimico, potest quis e sublimi seipsum præcipitem dare, sperans utcunque hac ratione posse salvari.

3° Ad *exercendam caritatem vel misericordiam*, potest quis non se defendere contra invasorem, ne illum in peccato mortali occidat; item, exponere se periculo mortis ad conservandam vitam temporalem amici, et a fortiori Principis, conjugis, parentum, etc.; vel pro iis injuste ad mortem damnatis seipsum nocentem tradere occidendum. Sic etiam ad mortem damnati, Fidei christianæ causa, non solum tenentur illam fortiter ferre, si inferatur, sed etiam possunt non fugere, tametsi via pateat ad fugiendum, ut de SS. Martyribus passim legitur. Sic etiam licitum est seipsum carnis afflictionis macerare, non quidem ex intentione vitam abbreviandi, sed Deo placendi vel subjiciendi carnem rationi; in quo tamen non licet imprudenter modum excedere cum notabili vitæ aut virium detrimento.

4° Ex *amore obedientiæ et justitiæ*, ad publicum exemplum, licitum est malefactoribus seipsos offerre Judici interficiendos; item, ex carcere vel ex lictorum manibus non fugere, quamvis id possint sine ulla vi contra ministros justitiæ : nunquam tamen debet reus sibi ipsi mortem inferre, seipsum a scala dejiciendo, propriis manibus venenum hauriendo, secando venam, membrum aliquod amputando, etc.; hæc enim naturæ repugnant, et injusta esset ac crudelis Judicis sententia hoc imponens.

5° *Nemo*, nisi forte sit persona Reipublicæ valde necessaria, *tenetur vitam suam conservare mediis valde difficilibus aut extraordinariis*, v. g., membrorum cum gravissimis cruciatibus amputatione, cibis exquisitissimis, medecinis valde pretiosis, aliisque remedis a quibus natura vel pudicitia valde abhorreat, et sæpe non minus quam ab ipsa morte. Ratio est, quia præceptum conservandi vitam est affirmativum,

neque omni modo et tempore, neque cum tanto rigore obligat.

260. — *Quæritur* an peccati rei sint funambuli, qui in fune excelsus protenso saltant, etc.?

Resp. Censent aliqui eos, si longa experientia moraliter certi sint de industria et agilitate sua ad vitandos lapsus, non peccare saltem graviter. Sentiunt alii eosdem peccati mortalis reos esse, 1. quia, quæcumque sit eorum agilitas, semper obnoxii sunt proximo mortis aut gravis vulneris periculo; cum ad id sufficiat vertigo, irrepens imaginationis debilitas, subitus adstantium clamor ex plausu vel tremore, unde non rarum est plurimos ex eo perire ludo; 2. quia est funambulorum conditio, ut scenis obscena plurima permisceant.

PROPOSITIO III

261. — *Nemini unquam licitum est seipsum mutilare, nisi ex gravi necessitate.* Certum est.

Nam, sicut vitæ, sic membrorum nostrorum dominus est Deus, cui proinde gravem injuriam facit, qui aliquod eorum amputat sine ipsius concessione; quæ tamen si adsit, non erit illicitum seipsum mutilare. Hæc autem Dei concessio potest esse vel expressa, per evidentem Dei instinctum, quomodo legimus quosdam Sanctos linguam suam, pollicem, nasum, amputasse, etc.; vel tacita et rationabiliter præsumpta, quoties nempe mutilatio est necessaria ad vitandum majus malum; sic enim licitum est, ad vitam conservandam, seipsum mutilare, aut ab aliis mutilari permittere : ad id tamen, secundum quosdam Doctores, nemo obligatur, quando id sine maximis doloribus fieri non potest.

Cæterum, *mutilatio nunquam est medium necessarium ad vitandas tentationes, vel ad vitandum peccatum :* quocirca a SS. PP. reprehenduntur, qui, verba Christi nimis litteraliter intelligentes, oculos suos eruerant, vel seipsos castraverant. Hinc, canone 21 Apostolorum, hujusmodi homines dicuntur sui homicidæ, et inimici creationis Dei, seu hujus opificii hostes ac destructores.

§ II

De Præcepto non occidendi, nec mutilandi Proximum.

Quadruplex hic potest distingui difficultas : scilicet circa malefactorem, aggressorem injustum, circa innocentem, circa abortum, de quo in speciali paragrapho.

PROPOSITIO PRIMA.

262. — *Non licet homini privato privata auctoritate quemcunque malefactorem occidere, mutilare, vel* [illegible], *extra casum necessariæ defensionis.* Certum est.

Constat 1° Traditione sive sacra, sive profana. Nam apud Hebræos et omnes populos vindicta criminum semper ad potestatem publicam reservata fuit, paucis et determinatis quibusdam casibus exceptis; atque apud Ecclesiam, ut homicida semper reputatus est, qui hominem quemlibet ex proposito extra casum necessariæ defensionis occidit. « His exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, *homicidii crimine innectitur;* » ait S. August. *de Civit.*, lib. 1, c. 21. Et *Epist.* 204 alias 61 : « Qui sine ulla legitima potestatis auctoritate hominem occidit, *homicida est.* »

2° *Ratione.* Homines privati sunt ad invicem æquales; ergo, extra casum necessariæ defensionis, nemini jus competit proximum occidendi aut mutilandi. Revera quot mala hinc et inde scaturirent, si cuilibet liceret publicam vindictam contra malefactores exercere!

Quamvis autem patribus familias concessum non sit delicta subditorum punire atrocibus pœnis, v. g., mortis, mutilationis, aut alterius mali non reparabilis, imo nec veri carceris aut exilii; aliquam tamen habent potestatem puniendi subditos levioribus et consuetis pœnis, v. g., aliqua verberatione, subtractione cibi vel potus ad tempus, imo interdum inclusione ad breve tempus [1].

1. La Grèce, Rome, ne punissaient pas le parricide, parce qu'elles le considéraient comme ne pouvant être commis : or, en France, on comptait 7 parricides en 1881, 14 en 1882, 16 en 1883!

263. — *Obj.* 1° Interdum cuivis permittitur, etiam proposito præmio, occidere insignem malefactorem, qui aliter capi non potest; ergo, etc.

Resp. Si hoc legitime a publica potestate permittatur, quilibet et populus tunc fit minister Reipublicæ, ac proinde non occidit privata auctoritate; ad quod tamen licite faciendum requiritur, 1. ne id fiat ex privata vindicta vel odio; 2. ne id fiat a conjuge, patre, aut filio, quod est manifeste contra jus naturæ et pietatis; 3. ne fiat, pendente appellatione, et extra territorium Reipublicæ id permittentis.

2° Quædam leges civiles marito aut patri permittunt, ut occidat adulterum cum uxore aut filia deprehensum; ergo, etc.

Resp. Ex communi Theologorum sensu, leges illæ non sunt intelligendæ quasi id concedant, sed intelligi debent ita ut, qui hujusmodi adulteros occiderunt, excusantur a pœna temporali homicidii, ob maximum doloris sensum, qui sæpe efficit, ut in his casibus non sint sui compotes. Præterea, leges illæ in hoc Regno non vigent, et videntur improbatæ Jure canonico, causa 33, quæst. 2, cap. *Inter hæc.* Et vero, ex regula 176ª Dig., non est singulis concedendum, quod per Magistratum publice potest fieri.

PROPOSITIO II

264. — *Licet occidere, mutilare aut lædere iniquum aggressorem, ad justam sui vel aliorum defensionem, idque exacte servatis conditionibus debitis.* Certum est.

Namque *vim vi repellere leges omnes omniaque jura permittunt,* inquit Innoc. III, cap. *Significasti,* de Homicidio. Revera, ex ordine caritatis, quisque potest propriam vitam, aut etiam alterius qui invaditur, præferre vitæ nocentis et injuste invadentis, nisi forte sit persona publica et Reipublicæ necessaria; atque magnam potentiam sumerent malefactores ad maximum societatis detrimentum, negato defensionis jure.

265. — *Quæritur* autem quænam servandæ sint conditiones ad justam defensionem?

D'après le rapport ministériel, les verdicts *négatifs* du jury, en France, pour l'année 1883, ont été de 19 % pour les crimes contre la propriété; de 30 % pour les crimes contre les personnes; de 28 % en matière de viol et d'attentats à la pudeur; de 37 % en matière d'infanticides.

En matière correctionnelle, les affaires ont été au nombre de 172,936 en 1882 et de 179,289 en 1883; de 1881 à 1883, l'accroissement est de 23,743.

Resp. Quatuor sunt, scilicet, 1. ut vis, quæ infertur, sit injusta; 2. ut inferatur actualiter; 3. cum periculo vitæ aut pudicitiæ personæ se defendentis; 4. ut repelli non possit, nisi occidendo vel lædendo invasorem.

266. — Et quidem 1° *ut aggressor vim injustam inferat :* si enim juste invadat, v. g., si satellites reum capere conentur, ut secundum ordinem justitiæ condemnatus plectatur, certum est eos vi repelli non posse : quia non consentur vim inferre, cum jus habeant invadendi; ideoque vis ipsis illata esset injusta. Deinde bonum commune postulat ut ministris justitiæ, bona fide officium publicum exercentibus, non inferatur injuria vel damnum.

267. — 2° *Ut iniquus aggressor vim actu inferat,* quia non licet alium occidere vel lædere, nisi ad vim repellendam; si ergo non infertur *actu,* nulla est causa alteri vim inferendi.

Hinc 1. non licet iniquum aggressorem repellere, antequam *inceperit* actum invasionis; quia scilicet vis nondum infertur. Deinde, si liceret eum prævenire et occidere, a quo quis timet sibi mortem parari, frequens daretur multorum cædium occasio, in magnam Reipublicæ perniciem. Quocirca damnata est ab Alexandro VII hæc propositio : « Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare. » Sed etiam ab Innoc. XI hæc altera propositio proscripta est : « Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus. »

Hinc 2. non licet occidere vel lædere invasorem post finitam invasionem, scilicet, si jam ab ea destitit, et, v. g., fugit; qui enim læderet invasorem, postquam desiit invadere, jam seipsum non defenderet, sed privata auctoritate vindictam sumeret, quod est illicitum.

268. — 3° *Ut vis inferatur in re gravi,* scilicet, cum periculo vitæ, vel membrorum, vel pudicitiæ personæ se de-

fendentis : ratio est, quia non debemus alteri gravi damnum inferre ad vitandum leve malum. Hinc ab Innoc. XI damnata est hæc propositio : « Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. »

Hinc 1. *quoad membra*, juxta auctores plerosque, licet occidere injustum aggressorem etiam pro defensione membrorum. Nam quisque jus habet servandi bonum sibi maxime ad vitam necessarium, etiam cum periculo vitæ alterius, modo aliud medium desit, nec mors aggressoris intendatur. S. Ligor., n. 380.

Hinc 2. *quoad pudicitiam*, licitum esse putant multi Doctores contra alios, raptorem explendæ libidinis causa, ante vi initum concubitum interimere, si non suppetat alia via ad evadendum, præsertim quia illa injusta oppressio semper conjuncta est cum proximo peccandi periculo, et ideo amittendæ spiritualis vitæ. S. Ligor., n. 386; vide Tract. *de Virtute castitatis*, n. 56.

Hinc 3. quod spectat *furem et raptorem bonorum temporalium*, tunc licitum est illum occidere, quando periculum est, ne ipse possessorem occidat. Sic 1. potest occidi fur nocturnus, quando periculum est ne ad occidendum simul et furandum accesserit, nec putatur ejus vita posse conservari absque propriæ vitæ periculo : id probatur ex c. 22, v. 2, 3, Exodi, ubi sic legitur : *Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis : quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur.* Idem quoque asserit Jus canonicum, cap. *Si perfodiens*, de Homicidio, et Jus civile; vid. art. Cod. pœn. 528 et 529, § 3. Sic 2. licitum est domino res proprias a raptore cum moderam ne defendere; quod si raptor obsistat, et in hoc conflictu vita domini proxime periclitetur, tunc domino licitum erit seipsum defendere; etiam occidendo raptorem, si nulla prorsus alia suppetat via ad vitæ propriæ conservationem. Vid. art. Cod. pœn. 329, § 3.

An vero licitum sit bona fortunæ magni momenti defendere cum occisione furis, si aliter retineri non possint, licet absit periculum quod ipse possessor occidatur, affir-

mant non pauci, inter quos S. Ligor., n. 382; quia præceptum caritatis non obligat ut quis præferat bona proximi, licet superioris ordinis, nisi quando proximus in extrema necessitate versatur.

Alii contrarium sentiunt. Quisque enim tenetur res suas dare ad subveniendum periculo vitæ alterius in extrema vel gravi necessitate, ut supra probatum est; ergo tenetur etiam quisque res proprias dimittere, potius quam prò iis defendendis alteri vitam adimere. Vide tamen art. Cod. pœn. 322.

Hinc 4. *licitum non est occidere ad calumniam repellendam, vel conservandam famam.*

Constat ex Bulla Innoc. XI, in qua damnatur hæc propositio : « Fas est viro honorato *occidere invasorem*, qui nititur *calumniam inferre*, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat. »

Et vero 1. vel honor injuste ablatus est coram testibus, vel non; si prius, potest læsus idoneo testimonio honorem recuperare, ope Judicis implorata, absque jactura vitæ infamantis; si testes non habet, ergo non est infamatus coram aliis, nec jacturam fecit gravem, quæ æquiparari possit vitæ alterius. 2. Occisio infamatoris non reparat honorem læsum, siquidem non probat falso aut injuste dicta fuisse quæ objecta sunt, sed solum ea iniquo animo ab infamato accepta fuisse. 3. Honor ille est sæpe solummodo fictitius et honoris imago; plerumque enim iis in rebus statuitur, quæ probro esse debent apud hominem Christianum. 4. In sui suorumque defensionem licet tantum vim vi repellere : sed fraus, calumnia, detractio, non sunt vis; ergo non sunt vi repellendæ, sed ope Judicis. 5. Denique, privatus homo debet honorem suum, imo et vitam exponere, quando agitur de bono Reipublicæ : atqui hic agitur de bono Reipublicæ; si enim calumniatores, maledicos, etc., unicuique liceret occidere, omnia cædibus et homicidiis plena essent. Vide Tract. *de Censuris*, n. 54, ubi de duello.

269. — 4° *Ut defensio aliter fieri non possit sine maximo detrimento :* ratio est quia, ut jam diximus, non debemus alteri grave damnum inferre ad vitandum leve damnum nostrum. Quapropter in defensione contra invasorem servari debet moderamen inculpatæ tutelæ; est autem moderamen illud observatio modi debiti, ita ut non plus fiat quam necesse est ad defensionem; si ergo invasus judicet se minis ac verbis vitam satis posse tueri, ne verberet; si verbera sufficiant, ne mutilet; si mutilatio sufficiat ut tueatur, ne occidat.

270. — Attamen 1. quamvis interdum liceat invasorem occidere ad defendendam propriam vel aliorum vitam, nemo tamen, generaliter loquendo, ad id obligatur, quia invasoris occisio est medium nimis horrendum, a quo abstinere et natura hominis et ipsa suadet caritas, præsertim ne proximus, quamvis malitia sua, pereat : quod confirmatur etiam exemplo Christi et Sanctorum. Dixi, *generaliter loquendo;* quia, si vita invasi vere esset necessaria pro bono Reipublicæ, vel pro ipsius invasi æterna salute, tunc esset obligatio tuendi vitam invasi.

2. Tenentur omnes, lege charitatis, vitam et bona proximorum tueri contra injustos invasores, si absque suo magno incommodo possint; lege autem justitiæ et ratione officii expressi aut taciti, ad id obligantur Principes et Magistratus erga subditos, tutores erga pupillos, famuli erga dominos, milites erga duces; item, lege pietatis, parentes, filii, conjuges, et alii consanguinei erga se invicem; tandem, lege observantiæ, ad id obligantur subditi erga superiores, sive ecclesiasticos, sive civiles.

PROPOSITIO III

271. — *Licitum est, imo necessarium, malefactores auctoritate publica occidere.* Certum est.

Constat 1° *Script.* Namque dicitur : *Maleficos non patieris vivere;* Exod. 22, v. 18. — *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ;* Ps. 100, v. 3. — « Dei minister est (princeps) tibi in bonum : si autem male feceris, *time; non enim*

sine causa gladium portat. Dei minister est vindex in iram ei, qui malum agit; » Rom. 13, v. 4.

2° *Traditione* sive sacra, sive humana. Ecclesia enim semper jus illud agnovit in auctoritate publica, omnesque omnium seculorum populi idem practice comprobarunt.

3° *Ratione*. Omnis pars ordinatur ad totum ut imperfectum ad perfectum; et ideo omnis pars naturaliter est propter totum; sic, si saluti totius corporis humani expediat præcisio alicujus membri, laudabiliter et salubriter abscinditur : porro quælibet persona singularis comparatur ad totam communitatem sicut pars ad totum; ergo, si aliquis homo sit communitati periculosus, et ipsius corruptivus, laudabiliter et salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur : « Modicum fermentum totam massam corrumpit; » I Cor. 5, v. 6.

Revera talis malefactorum punitio necessaria est ad conservationem et vitam hominum, politiam et quietem, ut ex omnium populorum consensu patet, et infertur ex timore salubri, quo commoventur homines scelestissimi ex pœnæ capitalis comminatione et sententia.

272. — *Quæritur* quænam sint conditiones servandæ ad justam damnationis capitalis sententiam?

Resp. Tres sunt conditiones, scilicet, 1. ut judex habeat legitimam auctoritatem; 2. ut servet præscriptum juris ordinem; 3. ut æquitatem in judicando custodiat.

1. Necessitas auctoritatis legitimæ ad legitimum judicium per se patet.

2. Nec minus constat necessitas secundæ conditionis. Quando enim judex omittit juris ordinem quoad essentialia et substantialia, jam non procedit juridice, neque ut jus servans et dicens; et ideo nequit hoc modo damnare ad mortem aliquem reum, etiamsi foret morte dignus, absque homicidii reatu. Quare Cajetanus et alii docent reos esse homicidii occidentes veneno et alias, secreto de mandato dominorum, aliquem non citatum, non auditum, non damnatum, etiamsi læsæ majestatis reus diceretur.

Revera exigit natura actus publici, qualis est occisio

hominis ex publica potestate, ut sit ex publica scientia; ergo non sufficit quod princeps ex certa, sed privata scientia, cognoscat aliquem reum esse mortis, ut absque ullo juris ordine possit eum pœna mortis plectere.

Scientia autem publica tripliciter haberi potest, nimirum, vel ex propria rei confessione judiciali, vel ex probatione judiciali, vel ex notorio facto. Unde plures Theologi non damnant judices, qui repertos in flagranti crimine notorio, ut homicidas in viis, statim eos occidi jubent. Siquidem ibi intervenit notorium facti, loco accusatoris et testium faciens publicam scientiam, et excitans publicam voluntatem et potestatem ad publicum actum justitiæ.

Similiter quidam a reatu homicidii excusant principes ex privata scientia id mandantes, et alios consulentes, et denique exequentes occisiones in quibusdam rarissimis casibus, puta dum consuetus ordo servari nequit absque gravissimo publico incommodo, scandalo, seditione civili, familiæ vel principis infamia, etc. Attamen in hoc casu videtur quod causa secreto et absque strepitu tractanda foret et discutienda, ut certo constaret de delicto per legitimam probationem, et conservaretur, quantum fieri potest, ordo judicialis, omniaque christiano modo peragerentur, ac saluti animæ rei occidendi provideretur.

3. Tandem æquitas in judicio requiritur, id est, sententia capitalis non est preferenda, nisi quando adest crimen cum omnibus circumstantiis a jure requisitum, ut reus coram societate et coram Deo morte dignus reputetur.

PROPOSITIO IV

273. — *Semper illicitum est directe occidere innocentem.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Exodi 23, v. 7 : *Insontem et justum non occides, quia aversor impium;* ergo impium est innocentem occidere.

2° *Ratione.* Nullus enim habet dominium in alterius vitam; ergo nemo potest eam auferre, nisi vel ratione juris naturalis ad necessariam defensionem, vel ratione auctoritatis a Deo acceptæ; v. g., ad justam criminum punitio-

nem : sed hæc in subsequenti paragrapho fusius exponuntur ac comprobantur.

§ III

De illicitate aut licitate abortus.

Præsens quæstio absolvitur in Tract. *de Virtute castitatis*, n. 127-139. Attamen, ob rei maximum momentum nostris temporibus, hic præcipua principia de illa materia exponere opportunum visum est. Scilicet,

273[1]. — Omnes sive philosophi, sive medici, sive Theologi fatentur illicitum esse abortum directe procuratum, si desit ejus necessitas ad matris vitam servandam.

At non adeo unanimis est medicorum consensus de illa abortus illicitate in duplici casu, nempe, quando mater, ob colli matricis arctitudinem, fœtum maturum edere non valet, ac proinde certo moritura est, nisi artificialiter fœtus nondum maturus expellatur, ita ut possit quidem nasci vivus, non autem vitæ habilis; vel nisi fœtus jam maturus in utero matris per instrumentum discerpetur, atque per partes extrahatur. Si prius, adest abortus medicinalis seu provocatus (avortement provoqué); si posterius, adest craniotomia, cephalotripsia, embryotomia, a vocibus ἐμβρύον *embryon*, τέμνω *couper*.

Jam vero in Galliis, ante annum 1852, abortus etiam in duplici dicto casu uti prorsus illicitus communiter a medicis fuit habitus ac reprobatus. Sed ab eodem anno res in controversiam devenit in pluribus medicinæ academiis, et exinde paulatim a multis medicis, præsertim materialistis, non solum uti licitus, sed etiam obligatorius reputatus est abortus, quoties necessarius censetur ad vitam matris servandam. Idem utpote aliqua probabilitate non destitutum propugnare autumavit Avanzini, italus sacerdos, in ephemeride *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 285, 460, 512, an. 1872. Ex tali errore innumerabiles consequi abortus neminem præterit; et ideo hic agitur de quæstione maximi momenti hodiernis temporibus.

Quæstio expendi potest de abortu fœtus vel animati, seu

ab anima rationali jam vivificati, et quidem respectu vitæ temporalis et etiam salutis æternæ pro parvulo, vel nondum animati, si quis sit, ut expositum est in dicto Tract. *de Virtute castitatis*, n. 125, 126, 151.

PROPOSITIO PRIMA

273[2]. — *Illicitum est abortum fœtus animati directe procurare.* Certum est.

Constat 1° *Script.* Etenim illicitum est et intrinsece malum directe innocentem occidere, n. 273 : atqui infans in utero matris non potest non esse innocens, cum cujuslibet culpæ et injuriæ prorsus incapax remaneat, ac ipsa conscientia destitutus; ergo semper illicitum est fœtus animati abortum directe procurare.

A fortiori idem illicitum est et intrinsece malum, quando fœtus animatus sic occisus non fuit in utero matris jam baptizatus, et spes aliqua superest, pereunte matre, infanti baptismum conferendi. Tunc enim eodem ictu infans in æternum privatur vita corporali simul et spirituali, dum ad utramque jus strictum habet, nec cuiquam jus inest eum ab utraque defraudandi.

Nec refert quod, nisi occidatur fœtus, exinde mater certo moritura sit : non sunt enim unquam facienda mala, ut eveniant bona, ex dictis in Tract. *de Act. hum.*, n. 65.

Insuper, ex primo Decalogi præcepto, quod instantius urget in matre respectu proprii filii, præferendum est bonum spirituale necessarium proximi, quale est baptismus pro parvulo, cuicunque bono nostro corporali, etiam propriæ vitæ; Tract. *de Decal.*, n. 178.

2° *Traditione.* Idem constat 1. Ecclesiæ sanctione, nempe sive excommunicatione, sive irregularitate statutis contra abortum procurantes, effectu secuto; Tract. *de Censuris*, n. 73, *de Ordine*, n. 86, 87, 70, 71; sive etiam decis. S. Officii, 28 maii 1884, et 19 aug. 1880, quibus decernitur « *tuto doceri non posse in scholis catholicis* licitam esse operationem chirurgicam, quam *craniotomiam* appellant, quando, scilicet, ea omissa, mater et filius perituri sunt, ea e contra admissa, salvanda sit mater filio pereunte; »

Vide *Institut. Canon.*, Tract. 2, n. 53, 59, 77; Tract. 9, n. 73.

2. Idem comprobatur consensu omnium theologorum, et etiam omnium gentium christiana fide excultarum, quæ contra procurantes abortum graves pœnas decernunt[1],

3° *Ratione*. Juxta adversarios, vita matris salvanda est etiam per fœtus animati abortum, sive quia tunc fœtus est injustus aggressor; sive quia vita matris, utpote plenior et hic et nunc utilior, est fortioris juris; sive quia non ex philosophiæ aut theologiæ principiis, sed ex solius medicæ artis regulis, ex medici et parentum conscientiæ instinctu judicanda est abortus licitas. Porro hæc omnia prorsus falsa sunt.

Et quidem 1. fœtus, ex cujus præsentia in utero periclitatur vita matris, nullomodo est aggressor, et multo minus injustus. Etenim ille injustus aggressor dicitur, qui actionem facit, et quam jus non habet, et quæ in damnum alterius vertitur : atqui fœtus animatus in utero matris est mere passivus, et actionis tantum vegetativæ capax; ergo talis fœtus non est aggressor, et multo minus injustus.

Quinimo, ejus præsentia et evolutio per vitam vegetativam aut animalem in matris utero, non est ipsi fœtui imputanda, sed matri, quæ illum in utero concepit et enutrit; nec a fœtu ullomodo pendet talis status mutatio; demum, periculum imminens pro matris vita ex difficultate partus, non a fœtu provenit, sed ab inconsueta arctitudine ipsius matris; ego fœtus non solum nullomodo est respectu matris injustus aggressor, sed potius ipse sub omni respectu est coactus a natura, cujus auctor est Deus, vel a matre ipsa.

1. In Gallia, Codicis pœnalis art. 317 sic se habet : « Quiconque, par aliments, breuvages, médicaments, violences, ou par tout autre moyen, aura provoqué l'avortement d'une femme enceinte, soit qu'elle y ait consenti ou non, sera puni de la réclusion.

« La même peine sera prononcée contre la femme qui se sera provoqué l'avortement à elle même, ou qui aura consenti à faire usage des moyens à elle indiqués ou administrés à cet effet, si l'avortement s'en est suivi.

« Les médecins, les chirurgiens et autres officiers de santé, ainsi que les pharmaciens, qui auront indiqué ou administré ces moyens, seront condamnés à la peine des travaux forcés à temps, dans le cas où l'avortement aurait eu lieu. »

2. Nec vita matris quatenus hic et nunc plenior et utilior, est fortioris juris. Non quatenus *plenior*. Plenitudo enim vitæ fortiora jura non facit, alioquin vis præpollens esset inter homines, haud secus ac inter bruta, ipsius juris fundamentum, seu eo ipso rueret quælibet juris notio.

Nec quatenus hic et nunc *utilior*. Nam utilitas sive privata, sive publica non est juris fundamentum, ex statutis in Institut. canonicis, Tract. n. 6; alioquin bona et ipsa vita cujusque pertinerent ad illum, cui essent utiliora : quo autem posito, funditus everteretur jus quodlibet, ac terra cædibus obrueretur.

« L'utile!... qu'on me permette d'en finir avec ce mot, avec ce principe affreux, dont vous n'avez pas calculé toutes les monstrueuses conséquences. Je ne connais pas une lâchete, pas une infamie, que ce mot ne puisse légitimer, et qui ne puisse, en arborant le drapeau de l'utilité, parader aux yeux du public comme une bonne action... Si vous proclamez le principe de l'utilité particulière ou générale comme base nécessaire de nos actions, vous devez l'admettre chaque fois qu'il cherchera à s'imposer. Le sacrifice des vieillards inutiles, des idiots, des infirmes, des enfants trop nombreux deviendra légitime à ce point de vue [1]... » Dr Rouxeau.

1. « Tenez, voici un fait qui, bien qu'étranger a la question, peut servir à l'éclairer. Un paysan russe était sur un traineau avec ses cinq enfants. Une bande de loups affamés a flairé cette proie offerte à sa voracité. Ils se jettent sur les traces de cette pauvre famille; les loups ne sont plus qu'à quelques pas du traîneau... Il faut pourtant que le père sauve au moins une partie de sa famille, même au prix d'un de ses membres : un de ses enfants, *le plus jeune*, disparaît au milieu de la tourbe affamée. Retardés un instant par cet affreux repas, les loups recommencent leur poursuite avec une ardeur nouvelle. Une seconde victime leur est abandonnée. Sera-ce la dernière? Non. Deux autres enfants ont successivement le sort de leurs frères. Il n'en reste qu'un, et la chasse recommence, plus ardente, plus furieuse. Il faut opter entre la compagne de toute sa vie et le dernier rejeton d'une famille prête à s'éteindre. Il n'hésite pas; ce dernier martyr d'un calcul impitoyable aura du moins l'avantage de rendre aux auteurs de ses jours la vie qu'il a reçu d'eux!...

« Ce père est-il coupable? Si vous ne voyez dans la morale qu'un calcul de chiffres, vous lui donnerez un verdict de non culpabilité; car, sur sept personnes vouées à une mort affreuse, inévitable, il a su, par un sacrifice cruel, mais nécessaire, en sauver deux. » Dr Rouxeau, 1852.

« Si l'on consacrait le principe, que l'on peut tuer sans remords un enfant pour sauver la mère, on verrait bientôt que les cas qui réclameraient ce sacrifice de l'enfant, iraient se multipliant de plus en plus ; car pourquoi les médecins résisteraient-ils à provoquer l'expulsion d'un fœtus, dont la présence dans le sein maternel compromet à la fois l'honneur d'une femme subjuguée par un moment de faiblesse, trouble le repos d'un mari et détruit la considération d'une famille honorable?... » Dr Villeneuve, *De l'Avortement provoqué*, etc., 1852.

3. Nec ex artis medicæ regulis, aut ex medici et parentum conscientiæ instinctu judicanda est abortus licitas aut illicitas. Non quidem *ex artis medicæ regulis*. Medicina enim nihil considerat nisi in ordine ad sanitatem, S. Th., 2-2, q. 1, a. 1 : porro sanitas corporis, sicut et ipsum corpus, subordinatur sanitati seu rectitudini animæ, et hæc rectitudo subordinatur Deo tanquam primo principio et fini ultimo; ergo ex hac suprema regula pendet artis medicæ et abortus moralitas.

Nec *ex medici et parentum conscientiæ instinctu*. Vel enim hic agitur de instinctu proprie dicto, quo in brutis determinatur actio, vel ex dictamine rationali, quod pronuntiat juxta moralitatis principia, quid hic et nunc liceat, aut non liceat : si prius, medicus et parentes de licitate abortus judicant ex eo instinctu, quo bruta in prædam irruunt, eamque devorant; si posterius, concludere debent prorsus illicitum esse fœtus animati abortum directe intentum, juxta moralitatis inconcussa principia in præfata thesi demonstrata [1].

Nota. In Tract. *de Censuris*, n. 73, in fine, diximus

1. « Qui donc a institué l'accoucheur juge de cette vie encore à sa première lueur? Qui a livré à sa discrétion ce petit être, qui, pour n'avoir pas eu encore de relation directe avec le monde extérieur, n'en est pas moins confié à toute sa sollicitude, et placé d'ailleurs sous la protection des lois? J'ajouterai : Qui vous a donné le droit de décider ainsi entre le présent et l'avenir, entre le présent représenté par une femme maladive, rachitique, incapable de se reproduire, et l'avenir sous la forme d'un enfant, à qui un père vigoureux peut avoir donné une existence robuste? Dieu vous a-t-il confié la garde et l'exécution de ses arrêts? » Dr Bégin, 1853.

censuram incurrere matrem, quæ, ob difficultatem vel impossibilitatem partus, abortum sibi procurat, ne et ipsa simul cum fœtu moriatur. Contrarium tamen hactenus propugnant aliqui auctores, et ideo sententia matri favens non caret probabilitate.

PROPOSITIO II

273[3]. — *Illicitum est directe procurare abortum fœtus nondum animati, si quis sit.* Certum est.

Etenim 1° nunquam licitum est directe fœtum privare vita corporali, et multo minus spirituali et supernaturali, ex dictis in thesi præcedenti : atqui, ex sententia hodie communi, et quæ jam videtur moraliter certa, fœtus humani animatio est immediata seu a primo instanti conceptionis physicæ; ergo, qui procurat abortum intra tempus, per quod fœtus olim putabatur nondum animatus, committit homicidium sive corporale, sive spirituale, juxta sententiam communem et moraliter certam.

Idem verum est, etiamsi mediata tantum animatio esset solide probabilis. Tunc enim, juxta omnes, immediata animatio fœtus est saltem probabilior; porro, in hoc casu, juxta omnes, pars tutior sequenda est; siquidem, quocunque modo abortum procurans sibi conscientiam efformet, nihilominus aderit probabilius homicidium sive corporale, sive spirituale; nec unquam utrumque probabilius committendi jus competere potest matri ad probabilius aut certo salvandam suam vitam corporalem : propria enim utilitas physica non dat jus innocentem corporaliter et spiritualiter directe occidendi, ex dictis in thesi præcedenti. Tract. *De act. hum.*, n. 152, 153, 155.

2° Quin imo, illicitus remaneret abortus, quamvis constaret fœtum nondum animari. Equidem, in hac hypothesi, non committeretur stricte homicidium, sed ad illud tamen reduceretur talis abortus, quatenus proxime vitam hominis impediret, atque esset contra generationis naturam, juxta hæc Tertulliani, *Apolog.*, c. 9, verba : « Homicidii festinatio est *prohibere nasci;* nec refert natam quis eripiat animam, *an nascentem disturbet : homo est et qui nasciturus*

est. » Ita, contra pauculos aliquos, omnes theologi, ait Sanchez, *de Matrim.*, lib. 9, c. 20, n. 7; vide S. Ligor., lib. 3, n. 394; Carrière, *de Justit.*, n. 760.

Quare Sixtus V, in Bulla *Effrœnatam*, 29 oct. 1588, declarat pœnas canonicas adversus *veros homicidas* statutas, incurri etiam ab omnibus et quibuscumque qui, per se aut interpositas personas, abortum fœtus tam animati, quam *inanimati* procuraverint. »

Sed etiam, ab Innoc. XI damnata est sequens propositio: « Licet abortum procurare *ante animationem fœtus*, ne puella deprehensa gravida a conjunctis *occidatur*, aut *infametur*. » Ergo nec metus infamiæ, nec timor mortis in matre sufficit ad excusandum abortum fœtus uti nondum animati reputati.

3° Tandem, si semel liceret talis abortus, præsentissimum et ineluctabile statim adesset periculum, ne homines fœtus animationem impedirent, ut curis et laboribus prolis liberarentur, et ut liberius indulgerent fornicationibus, stupris, adulteriis, a quibus absterrere solet prolis partusque futuri timor.

PROPOSITIO III

273 [4]. — *Nunquam licet abortum fœtus animati etiam indirecte procurare, quando moraliter constat parvulum fore baptizandum, si non perficiatur abortus.* Certum est.

Etenim effectus malus indirecte intentus, ex causa in se bona aut indifferenti defluens, agenti imputatur, quoties non compensatur per effectum bonum directe intentum; Tract. *de Act. hum.*, n. 71 : atqui nullum bonum temporale pro matre ex remedio consecuturum simul cum fœtus abortu, compensare potest amissionem æternæ salutis pro parvulo ex ejus abortu in hoc casu defluentem; ergo nunquam licet indirecte abortum procurare, quando, semoto abortu, parvulo conferri posset baptismus.

Præterea, tenemur ex caritatis præcepto bonum spirituale necessarium proximi bono nostro corporali præferre; ergo mater etiam cum propriæ vitæ damno tenetur a re-

medio abstinere, ex quo consequeretur abortus et amissio vitæ æternæ pro parvulo.

Vera est assertio, etiam quando dubium est, an fœtus sit animatus et spes rationabilis affulget, quod, pereunte matre, fœtus supervivere possit eique baptismus conferri. Periculum enim de morte æterna pro filio non compensatur salute vitæ temporalis pro matre. Ita communiter contra plures; vide S. Ligor., lib. 3, n. 294; Carrière, *de Justit.*, n. 763.

PROPOSITIO IV

275. — *Licet indirecte procurare abortum, quando mater certo moritura est, nisi sumat remedium, ex quo indirecte sequetur abortus, nec adest spes probabilis fœtum, mortua matre, fore baptizandum.* Ita communiter.

Nam in tali casu vita matris compensat indirectam occisionem fœtus, qui, ex hypothesi, pereunte matre, periret simul corporaliter et spiritualiter.

Idem licet, si æquale sit periculum abortus, sive remedium sumatur, necne; quia tunc sine majori fœtus periculo, juste consulitur vitæ matris. S. Ligor., lib. 3, n. 394, quær. 2.

Item, si non supersit nisi exigua et remotissima spes baptizandi prolem; hæc enim spes non videtur sufficere, ut teneatur mater vitam suam negligere. Carrière, *de Justit*, n. 763.

Item etiam, si abortus periculum sit plus minusve remotum, ac simul remedium necessarium aut valde utile ad matris conservationem.

Unde, ut recte judicetur de sufficienti abortus indirecti compensatione per matris curationem, attendendum est sive gravitati effectus boni et mali, sive juribus et obligationibus matris, sive relationi connexus et influxus inter remedium et effectum sive bonum seu curationem matris, sive malum seu abortum. Tract *de Act. hum.*, n. 73, 74.

Quæ spectant compensationem damni ex homicidio vel mutilatione secuti, remittimus ad Tractatum *de Justitia*, n. 297, et seq.

ARTICULUS II

De octavo Decalogi Præcepto.

De sexto et septimo Decalogi præceptis alibi dicemus ut jam notatum est, n. 252. Unde

274. — *Quæritur* quodnam sit *octavum* Decalogi præceptum.

Resp. Præceptum hoc Exodi 20, v. 16, his verbis refertur : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Consentiunt autem Theologi eo non solum prohiberi injurias, quæ proximo inferuntur per falsum testimonium in judicio, sed etiam, indirecte saltem et consequenter, injurias omnes, quæ proximo inferuntur extra judicium, per judicia temeraria, detractiones, et similes injurias, quæ verbis communiter fiunt, præsertim contra famam et honorem proximi. Triplex igitur erit paragraphus, 1° de falso testimonio et mendacio; 2° de detractione et contumelia; 3° de judicio temerario et violatione secreti.

§ I

De Falso Testimonio et Mendacio.

NUMERUS PRIMUS

De Falso Testimonio.

Falsum testimonium est *testis alicujus de re aliqua asseveratio falsa.*

PROPOSITIO

275. — *Falsum testimonium est grave peccatum, tenenturque falsi testes ad restitutionem damnorum, quæ falso testimonio efficaciter et culpabiliter intulerunt.* Certum est.

Prob. 1° *ex verbis Exodi* supra relatis, quibus adde id quod dicitur, Prov. 19, v. 5 : *Testis falsus non erit impunitus,* id est, graviter punietur.

2° *Ratione.* Etenim falsum testimonium habet triplicem deformitatem : uno modo ex *perjurio,* quia testes non admittuntur nisi jurati, et ex hoc semper est peccatum mortale; alio modo ex *violatione justitiæ,* et hoc modo est pec-

catum mortale suo genere, sicut et quælibet injustitia; tertio ex ipsa *falsitate*, secundum quod omne mendacium est peccatum, et ex hoc non habet falsum testimonium, quod semper sit peccatum mortale. Triplicem ergo malitiam includit falsum testimonium, primam *perjurii*, secundam *injustitiæ*, utramque ex genere suo mortalem; tertiam *mendacii*, quæ venialis esse potest.

Ob injustitam illam, tenentur falsi testes non solum restituere omnia damna, quæ efficaciter et culpabiliter intulerunt, sed etiam dicta sua retractare, si spes sit liberandi innocentem, quamvis cum simili suo periculo; quia, *in pari causa*, melior est conditio innocentis, et quisque tenetur alteri ex malitia sua periclitanti potius consulere quam sibi; propter eamdem rationem, testibus se retractare nolentibus, qui illos ad falsum testimonium efficaciter induxerunt, tenentur fraudem aperire Judici, etiam cum proprio vitæ periculo, si innocens in eodem discrimine versetur, nec aliter possit liberari.

Dixi 1 : *falsos testes teneri ad restitutionem damnorum, quæ efficaciter intulerunt;* quia, si falsum testimonium nihil contulit ad damna, eo quod tota causa jam esset posita, et jam reus, v. g., esset plene convictus, tunc non est obligatio restituendi.

Dixi 2 : *culpabiliter;* si enim falsum testimonium feratur ex ignorantia vel inadvertentia omnino inculpabili, quod vix unquam potest evenire, falsum testimonium non erit peccatum; si tamen testis absque magno incommodo possit, et se profuturum speret, debet coram Judice iterum se sistere et rem ut est ei declarare; quod si jam prolata sit sententia, nequet speret se profuturum, debet saltem eum monere in cujus favorem testimonium tulit, ut ipse, veritate cognita, restituat. Vide Tract. *de Oblig.*, n. 136.

NUMERUS II

De Mendacio.

276. — *Quæritur* quid sit mendacium, et quotuplex?

Resp. 1° Mendacium est *locutio vel significatio contra mentem cum voluntate fallendi.*

Dicitur 1 : *locutio* vel *significatio;* mendacium enim fieri potest non solum verbis, sed etiam quibuscunque signis et actionibus. Attamen quod fit dictis et locutionibus vocari solet *mendacium;* quod factis vero et actionibus fit, vocatur *simulatio.*

Dicitur 2 : *contra mentem;* in hoc enim proprie consistit mendacii essentia, quod sit oppositio inter rem expressam et rem putatam. Unde mendacium esse potest, licet quis verum dicat, si nempe existimet falsum esse, quod profert; contra vero non erit formaliter mendacium, sed materialiter tantum, si quis falsum dicat, verum esse existimans.

Dicitur 3 : *cum voluntate fallendi;* in hoc præsertim nititur malitia *mendacii,* quod aliis non solum veritatem denegamus, sed etiam eos, contra jus omne, in errorem inducimus.

2° Triplex distingui solet mendacium, *jocosum* scilicet, *officiosum,* et *perniciosum :* mendacium *jocosum* est illud, quod profertur voluptatis propriæ vel alienæ causa, absque ullo nocumento alieno; *officiosum* est illud, quod profertur causa utilitatis propriæ vel alienæ, absque nocumento; *perniciosum* est illud, quod profertur cum proximi nocumento. Mendacio affines sunt *æquivocatio* et *restrictio mentalis,* de quibus infra dicetur.

PROPOSITIO

277. — *Omne mendacium ex se peccatum est.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Exodi 23, v. 9 : *Mendacium fugies.* Levit. 19, v. 11 : *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum.* Psalm. 5, v. 7 : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Prov. 19, v. 5 : *Qui mendacia loquitur, non effugiet,* scilicet supplicium. Et v. 9 : *Qui loquitur mendacia, peribit.* Eccli. 7, v. 14 : *Noli velle mentiri omne mendacium.* I Joan. 2, v. 21 : *Omne mendacium ex veritate non est,* id est, non ex Deo, sed ex diabolo, qui, juxta verbum Christi Joan. 8, v. 44, *mendax est et pater ejus,* scilicet mendacii. Idem ait Script. multis aliis in locis.

2° *Ex SS. PP.* Ex S. Justino Martyre, in Apologia se-

cunda, ubi scribit Christianos *mori malle quam mentiri*. Ex S. Hieron., qui, in Apologia contra Ruffinum, Origenistas reprehendit quod docerent mendacio interdum velut medicamento utendum. Item patet ex SS. Cypriano, Ambros., Basil., etc., imprimis vero ex S. August., qui totis libris de Mendacio et contra Mendacium, probat nunquam licitum esse mendacium, etiam ad avertendum malum gravissimum. Idem declaravit Alexand. III, cap. *Super eo*, de Usuris, ubi dicit divini præcepti verbo constanter vetari ne quis, etiam pro alterius vita servanda, mentiatur; quod idem docent omnes omnino Theologi.

3° *Ratione*. Societas seu mutuum hominum commercium nititur in locutione, quatenus hæc est expressiva cogitationis internæ, eique conformis : atqui mendacium opponitur tali fini essentiali locutionis, ac proinde mutuum hominum commercium et societatem per se subvertit; ergo mendacium ex se seu intrinsece malum est.

278. — *Quæritur* 1° quale sit peccatum mendacium?

Resp. Mendacium *jocosum* et *officiosum* non est peccatum mortale *per se* et *ex natura sua*, quia non lædit graviter Deum et proximum : possunt tamen hujusmodi mendacia fieri mortalia *per accidens*, ratione alicujus circumstantiæ, v. g., conscientiæ erroneæ aut perversi finis.

At mendacium *perniciosum* est peccatum ex genere suo mortale contra justitiam, quia per illud proximus injuste decipitur; unde Sapientia, 1, v. 11, dicit : *Os autem quod mentitur, occidit animam;* poterit tamen esse veniale, si leve tantum inferat damnum.

Hinc 1. graviter peccant contra *justitiam* et caritatem erga proximum, ii omnes qui mentiendo grave damnum proximo inferunt vel ad inferendum se exponunt, sive in spiritualibus, sive in temporalibus, v. g., falsa remedia docendo in medicina, grave crimen alteri falso imponendo.

2. Peccant graviter contra *veracitatem*, et aliquando etiam contra justitiam, hypocritæ, qui suis actionibus vitæ sanctitatem simulant, vel ut assequantur statum, aut officium, aut beneficium quo sunt indigni, vel ut majores ob-

tineant eleemosynas, quam reipsa postulat eorum indigentia; quo etiam pertinet, si ad hoc fingant morbum, vulnera, majorem paupertatem, etc. Si tamen hypocrisis sit sine gravi damno proximi, et sine veræ sanctitatis ac Religionis contemptu (cui sæpe adjungitur), per se loquendo, erit peccatum veniale contra veracitatem, sicut et quæcunque alia simulatio, qua homines externis nutibus, actionibus, gestu, habitu, mentiuntur id quod non sunt, vel simulant affectiones amicitiæ, gaudii, doloris, compassionis, etc.

3. Peccant mortaliter adulatores, qui sive desiderio placendi, sive ad utilitatem propriam, omnia mendaciter laudantes et approbantes, grave damnum proximo inferunt, vel ipsi, contra caritatem debitam, præbent scandalum et occasionem peccandi et perseverandi in peccatis.

Attamen hypocrisis, adulatio per se seu independenter a fine intento, et quatenus veritati opponuntur, peccatum veniale non excedunt.

Præterea non est mendacium, si quis præcise occultet seu celet veritatem; nihil enim contra mentem dixit : peccare tamen poterit, si silentio suo violet aliud præceptum, v. g., si Judici juridice interroganti non respondeat. Vide Tract. *de Oblig.*, n. 136.

279. — *Quæritur* 2° quid sit *æquivocatio* et *restrictio mentalis*, quotuplex, et an utraque sit illicita?

Resp. — 1. Æquivocatio est locutio *duplicem habens sensum, in iis circumstantiis prolata, in quibus vulgo prævidetur aliter ab auditoribus intelligenda, quam ab ipso loquente intelligitur.*

Restrictio mentalis est *propositio secundum naturalem verborum sensum falsa : vera autem ratione partis orationis quæ in mente retinetur,* ut si mutuum petenti respondeas : Non habeo pecuniam, subaudiendo interius : quam tibi dare velim.

2. Duplici generis distinguntur æquivocationes et restrictiones mentales : aliæ sunt *late dictæ*, quarum sensus verus a loquente intellectus *facile potest cognosci* ex circumstantiis et variis exterioribus indiciis, ut, si interroganti an pœnitens tuus tale crimen admiserit, respondeas, *Nes-*

cio. quamvis contrarium ex confessione noveris. Aliæ sunt *stricte dictæ*, quarum sensus *nulla ratione manifestatur*, nec potest ullatenus ab audientibus deprehendi; talis est responsio servi, qui, interrogatus ab hero num fregerit vitrum, pure et simpliciter affirmat se non fregisse, interius subintelligendo *mense præterito*, cum ipsa die præsenti fregerit.

3. *Æquivocationes et restrictiones mentales* stricte dictæ sunt *veri nominis mendacia, et ideo semper et in quocumque casu illicita*. Etenim, ait S. August. *de Mend*. c. 3, « Ille mentitur, qui aliud habet in animo, et aliud verbis enuntiat : » porro, qui restrictionibus et æquivocationibus stricte dictis utitur, aliud habet in mente, aliud verbis enuntiat; ergo, etc. Constat etiam ex propositionibus 26, 27, 28, ab Innoc. XI damnatis. Revera pars orationis, quæ per restrictionem mentalem reticetur in mente, non corrigit sermonem externum, et æque me fallit, qui dicit : *Non habeo pecuniam*, subintelligens, *tibi dandam*, quam qui rotunde et citra reticentiam dicit : Non habeo pecuniam. Hinc Eccli. 37, v. 23 : *Qui sophistice loquitur, odibilis est.*

4. *Æquivocationes autem et restrictiones late dictæ* juxta Theologos etiam restrictiores, *licitæ esse possunt*. Ratio est quia, cum per eas loquens nihil habeat in mente quod, *spectatis omnibus circumstantiis*, non sit æquivalenter in ore, vere non mentitur; unde, si quis inde decipiatur, inscitiæ suæ vel animadvertentiæ. non fraudi alterius, imputet. Enimvero aliud est mentiri, aliud verum occultare.

Aliunde societati ipsi interest ut medium adsit celandi secretum : porro aliquando nullum aliud superest medium quam æquivocatio aut restrictio late dicta; ergo hæc per se non est illicita.

Cavendum tamen est, 1. *ne in praxi nimia hujusmodi restrictionibus detur extensio; eæque nonnisi legitima et gravi urgente causa adhibeantur, et dum aliter extricare te nequis;* alias enim æquivocationes et restrictiones, etiam late dictæ, tam opponerentur sinceritati, fidelitati, et bono societatis, quam mendacium; simpliciter quippe accipiuntur verba illius, qui qua voluerit via elabi potest. 2. Ne restrictiones

late dictas putes, quæ *vere* et *stricte* tales sunt; ideoque necesse est ut, qui interrogat, possit reipsa detegere ex circumstantiis, puta *ex usu satis recepto, ex modo quo jocose vel ironice loqueris aut ex personæ circumstantia,* nolle te *nude* quid sentias *aperire*. 3. *Ne restrictionibus utaris, dum interrogatus a Judice secundum Juris ordinem, respondes :* cum enim ille jus habeat interrogandi, ad mentem respondere teneris.

280. — *Obj.* Referuntur in Script. plura dicta et facta Sanctorum, quæ videntur esse mendacia; ergo, etc.

Respondet S. Augustinus, in libro contra Mendacium, cap. 12, « nonnulla, quæ ibi (*in divinis Scripturis*) putantur esse mendacia, non esse quod putantur, si recte intelligantur. Deinde, si quæ ibi mendacia manifesta sunt, imitanda non esse. » Dico ergo plurima ex his posse excusari, vel 1° quia sunt tantum juxtæ occultationes veritatis, ut quando Abraham Saram sororem seu cognatam suam esse vere dixit, uxorem tamen suam esse prudenter reticuit; vel 2° si sunt vera mendacia, ex simplicitate et ignorantia profisciscebantur, et bona intentione excusabantur; ut mendacium obstreticum Ægyptiacarum et Judith : ut enim ait S. Thomas, 2. 2, q. 100, a. 3, ad 3, « Judith laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum quem habuit ad salutem populi; » similiter obstetrices non sunt remuneratæ pro mendacio, sed pro timore Dei, et benevolentia ex qua processit mendacium; idemque dicendum de mendacio Rahab. Adde quod non opus sit illa mendacia excusare; quæ enim in Scriptura narrantur, non ideo semper approbantur.

§ II

De Detractione et Contumelia.

NUMERUS PRIMUS

De Detractione.

Dicemus de notione, speciebus et illicitate detractionis.

PUNCTUM PRIMUM

De notione et speciebus Detractionis.

281. — *Quæritur* 1° quit sit *detractio?*

Resp. Detractio definitur : *alienæ famæ occulta et injusta denigratio,* seu *diminutio;* fama autem est bona opinio de

aliquo, sive existimatio de alterius excellentia, v. g., virtute, ingenio, doctrina, nobilitate, potentia, opibus, aliisque perfectionibus.

Dicitur 1 : *denigratio famæ*, quia ad detractionem necesse est ut aliquid dicatur, ex quo extinguatur vel minuatur alicujus fama et opinio bona quam alii habent de illo. Non ergo proprie detrahit, qui de alterius crimine cum iis loquitur qui jam illud noverunt; quamvis aliunde, v. g., ex pravo fine vel affectu, sæpe sit peccatum.

Dicitur 2 : *occulta :* quia detractio fit vel fieri intenditur in occulto, ita ut ignoret is de quo detrahitur; et per hoc detractio differt a contumelia, sicut furtum a rapina.

Dicitur 3 : *injusta;* quia detractio non fit, si ob justam causam imminuatur fama proximi, v. g., illius crimen deferendo ad superiorem, quando ad emendationem vel ad impediendum aliquod grave damnum id necesse est.

282. — *Quæritur* 2° quotuplex sit detractio?

Resp. Detractio considerari potest ex parte intentionis, vel materiæ, vel modi.

1. Ex parte *intentionis*, detractio est *materialis* vel *formalis*. Detractio *formalis* est ea, quæ fit ex intentione expresse alicui nocendi, ejusque famam apud alios denigrandi. *Materialis* est ea quæ fit sine intentione expressa alteri nocendi, ex animi levitate aut loquacitate; est tamen verum peccatum, si fiat cum advertentia diffamationis proximi.

2. Ex parte *materiæ*, dividitur in *directam* et *indirectam*. *Directa* versatur circa defectus proximi, vel 1. falsum crimen aut defectum imponendo, et tunc est proprie *calumnia;* vel 2. verum amplificando; vel 3. occultum revelando; vel 4. factum alterius sinistre interpretando. Quatuor autem istos directe detrahendi modos sequens versiculus complectitur :

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Indirecta detractio dicitur ea, quæ versatur circa aliquod proximi bonum, fitque etiam quadrupliciter : 1. negando recte factum alterius, aut egregias illius dotes; 2. bonum

illud verbis extenuendo; 3. maligne reticendo præsertim eo tempore et loco, quo sine famæ alterius injuria taceri non potest; 4. denique frigide vel simulate laudando, ita ut hoc cedat in laudati vituperium, ut si quis, alterius laudes proferre se velle simulans, nihil afferat laude dignum : quæ omnia sequenti versiculo comprehenduntur :

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remisse.

3. Ratione *modi*, dividitur in *publicam* et *privatam*. *Privata* fit apud paucos seu privatim, voce, scripto, vel alio signo paucis manifestato; *publica* fit in ordine ad totam communitatem, ut alterius infamia sit publica, scilicet per libellum famosum, seu scriptum, aut aliud signum publicum; quod detractionis genus est omnium gravissimum, quia per illud infamia ad plurimos dimanat, et difficillime potest aboleri.

PUNCTUM II

De Detractionis illicitate.

PROPOSITIO

283. — *Detractio, sive per revelationem, sive per calumniam, est peccatum ex genere suo mortale, et communiter contra justitiam.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Levit. 19, v. 16 : *Non eris criminator, nec susurro in populo.* Eccli. 28, v. 15 : *Susurro et bilinguis maledictus : multos enim turbabit pacem habentes.* Rom. 1, v. 30-32, inter eos quod tradidit Deus in reprobum sensum, Apostolus enumerat susurrones, detractores Deo odibiles, contumeliosos, addens : *quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

2° *Ex SS. Patribus*, inter quos S. Cyprianus, *Epist.* 52, ad Antonianum, sic loquitur : « Scias hoc esse *opus semper diaboli*, ut servos Dei mendacio laceret, et opinionibus falsis gloriosum nomen infamet. » — S. Hieron, *in Ps.* 100 : « Ille qui detrahit, et se et illum qui audit, *demergit.* » S. Bernardus, Tractatu de *Interiori domo*, c. 42 : « *Grave* peccatum est *detractio;* detrahentes et audientes pari reatu

detinentur. » Et Serm. de *triplici custodia* : « Nunquid non est *vipera lingua detractoris? Ferocissima* plane, nimirum quæ *lethaliter* tres inficiat flatu uno. Nunquid non lancea est ista lingua? Profecto, et acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. »

Notissimum est S. Augustini hac in parte studium, arcentis a sua mensa detractores, ut Possidius refert in ejus vita, dicens ita scriptum fuisse ad ejus mensam :

> Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
> Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

3° *Ratione*. Nam proximus non minus habet juris ad famam quam possidet apud homines, quam ad proprias pecunias; ergo detractio est peccatum contra justitiam, sicut furtum; imo tanto gravius, quanto melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ, ut dicitur Prov. 22, v. 1.

Insuper in uno detractionis actu plures plerumque concurrunt peccatorum species, in confessione explicandæ, v. g., 1. quando detractio damnum affert proximo in bonis corporis vel fortunæ; 2. quando seminantur odia, lites, rixæ, dissensiones inter amicos vel conjuges, quod dicitur *susurrationis* peccatum, et tanto gravius est detractione, quanto honesta amicitia, quam dissolvit, præstantior est fama, juxta illud Eccli. 6, v. 15 : *Amico fideli nulla est comparatio.* Hinc Eccli. 28, v. 15, dicitur : *Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes;* 3. quando quis de parentibus aut Superioribus detrahit, violat enim pietatem et observantiam; 4. quando id agit ex odio proximi quod est contra caritatem.

Dixi 1 : *detractionem esse peccatum mortale ex genere suo :* quia veniale esse potest, tum ex indeliberatione, tum ex levitate materiæ; nempe quoties, spectatis circumstantiis, leviter lædit alterius famam. Levis autem vel gravis læsio famæ cognosci potest ex qualitate personæ detrahentis, et personæ de qua detrahitur; nam detractio potest esse parum infamans, respectu militis, quæ gravissime lædit famam Prælati aut magnæ pietatis viri; quapropter accurate pensandæ sunt omnes circumstantiæ. Si quis tamen crimen

aliquod revelet, non manifestata persona, non erit peccatum mortale, si non sit periculum ne cognoscatur, modo tamen infamia non redundet in familiam, vel Ordinem, aut Monasterium, ut plerumque contingit, quando deteguntur crimina Religiosorum vel Sacerdotum, quamvis in particulari non nominentur.

Dixi 2 : *detractionem esse communiter contra justitiam;* non tamen semper quia contingere potest ut detractio solum oppugnet caritatem, v. g., quando proximus amisit jus strictum ad famam.

Itaque grave est peccatum de ipsis mortuis detrahere sive verbo, sive scripto, sive, absque causa sufficienti, occulta manifestando, sive cognita exaggerando, sive actam pœnitentiam non referendo. Per mortem enim jure ad famam non amittitur coram Deo; aliunde penitus dedecet judicium humanum proferre de persona a Deo jam in æternum judicata.

Peccat etiam graviter qui uti probabile affirmant de alio gravissimum crimen; minor enim certitudo compensatur per majorem criminis gravitatem.

Non peccat autem graviter, generatim loquendo, qui revelat defectus naturales animi, vel corporis alterius dicendo, v. g., quod sit ignarus, tardus ad intelligendum. Tales enim defectus non sunt mortales, nec ideo directe famam boni nominis respiciunt. Attamen sæpe, attentis circumstantiis, exinde etiam grave damnum consequi potest. S. Ligor., n. 967.

An vero peccet lethaliter, qui gravia peccata alterius refert tantum ut ab aliis audita, absque probatione ex propria auctoritate prolata, hoc pendet ab effectu talis enarrationis. Scilicet, adest peccatum mortale contra justitiam et contra caritatem, si alii sint verisimilius et merito credituri; secus vero, si probaliter fides tali enuntiationi non adhibeatur; tunc enim nulla causatur infamia.

Si vero audientes ex levitate aut propria malitia facta sic enuntiata credituri sint, peccat graviter contra caritatem, qui coram iis talia refert, quia ponit occasionem gravis damni alterius; non autem peccat contra justitiam, juxta

plerosque, eo quod non videtur esse causam damni efficacem. Ita S. Ligor., n. 977, et alii communiter.

Disputant auctores an specie differant detractiones in materiis specie diversis, an, v. g., diffamatio in furto sit specie diversa a diffamatione in sacrilegio. Alii affirmant, quia diffamatio specificatur ex subjecto; alii communius negant, eo quod diffamatio seu detractio specificatur ex objecto formali seu motivo, non vero ex objecto materiali : porro motivum detractionis per se semper idem est, sicut virtus caritatis aut etiam justitiæ, cui aut quibus opponitur; ergo, etc. S. Ligor., n. 978.

Attamen idem S. Doctor cum aliis contra alios, docet lib. 5, n. 48, materias specie distinctas dare in detractione locum distinctioni numericæ peccatorum; ac proinde, qui in pluribus una et eadem detractione unum et eumdem hominem infamat, debet juxta illos auctores, numerum materiarum diversarum in confessione aperire.

284. — *Quæritur* 1° utrum aliquando possit sine peccato manifestari crimen occultum proximi?

Resp. Potest manifestari crimen occultum proximi absque peccato, triplicem potissimum ob causam : 1. quando id necessarium est ad emendationem delinquentis, ita ut alia via emendari non posse videatur, quam revelando ipsius crimen duobus aut tribus testibus, vel superiori, servato ordine correctionis fraternæ; 2. ad petendum consilium, vel auxilium, vel solatium a prudente Confessario, aut altero viro probo ac docto; 3. ad vitandum damnum aliquod notabile spirituale vel temporale, proprium vel alienum, privatum vel publicum; proximus enim non habet jus ad famam conservandam cum damno alterius innocentis. Hinc licitum est detegere furem occultum, ignotum hæreticum, Confessarium imperitum aut scandalosum, ignarum Medicum, auctorem homicidii quod imputatur innocenti, inhabilem ad aliquod Beneficium vel Ordines; imo, in prædictis casibus, non tantum licet alterius crimen revelare, sed ordinarie stricta adest obligatio revelandi.

Cavendum tamen diligenter, quando justa occurrit causa

revelandi crimen proximi, 1. ne quid falsum alicui imponatur ad vitandum quodcunque aliorum damnum; non enim facienda sunt mala ut eveniant bona, et hoc esset mendacium perniciosum et damnosum homini ex hac parte innocenti, quod est intrinsece malum, et ex natura sua peccatum mortale : quocirca damnatæ sunt ab Innoc. XI hæ propositiones : « Quidni *nonnisi veniale* sit detrahentis auctoritatem sibi noxiam falso crimine elidere? » — « Probabile est *non peccare mortaliter*, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat; et, si hoc non est probabile, vix erit ulla opinio probabilis in Theologia. »

Cavendum est 2. ne plus fiat, quam necesse est ad emendationem delinquentis, vel ad quærendum consilium, auxilium, aut ad vitandum damnum; hinc, si privata rei correctio sufficit, vel si satis est defectum uni tantum personæ revelare, aut generaliter admonere, neminem nominando, non licet tunc revelare alteri, aut pluribus, vel nominare personam.

Cavendum 3. ne revelatio ex vindicta vel odio fiat, vel cum prava intentione nocendi, vel animo detrahendi : esset enim apertum peccatum.

An vero peccet graviter qui occultum crimen proximi manifestat uni vel alteri viro prudenti, si nulla plane sit causa illud manifestandi, non consentiunt auctores. Alii negant, et hanc sententiam uti probabilem habet S. Ligor., n. 973. Fama enim consistit in communi hominum æstimatione : et ideo non censetur absolute diffamatus, qui apud unum vel alterum duntaxat bonum nomen amittit.

Alii vero affirmant, quia ordinarie mallet proximus de gravi suo scelere infamari apud multos e plebe, quam apud gravem virum. In hoc casu gravitas detractionis ex magna parte pendere videtur ex qualitate viri prudentis cui revelatur crimen, et ejusdem viri relationibus cum illo qui sic diffamatur. Quidquid sit, adest in præfata detractione peccatum saltem veniale.

285. — *Quæritur* 2° an liceat hominem, in aliquo loco infamatum, in alio infamare?

Resp. 1. Hoc per se non est peccatum saltem grave, juxta probabiliorem sententiam, si agatur de loco ubi facile et brevi publicandum est crimen. Jam enim fere nulla est fama, quæ brevi et necessaria amittenda est.

2. Si agatur de loco, in quem fama non est crimen perlatura, vel nonnisi post longum tempus, et adsit in uno loco notorietas *juris* seu ex juridica sententia; communiter sentiunt auctores illam diffamationem non esse contra justitiam, imo, ut communius asserunt, nec contra caritatem; tum quia bono publico interest, ut reus cognoscatur etiam ab incolis regionis remotæ, qui cum illo inire possent negotia. S. Ligor., n. 974.

3. Si vero pro eodem casu adsit tantum notorietas *facti*, alii affirmant illud non esse etiam per se illicitum, et hæc sententia valde probabilis videtur, modo agatur de criminibus, quæ faciunt hominem perniciosum; quia utile est hujusmodi homines cognosci, ut cæteri ab eis caveant. Ita S. Ligor., *ibid.* Alii vero contendunt in hoc adesse peccatum contra justitiam et contra caritatem, quia proximus non amisit jus ad famam in loco, ubi cognitio criminis non est brevi perventura. Ita Antoine, Billuart.

Exinde infertur absque peccato contra justitiam, et etiam probabilius absque culpa contra caritatem revelari posse ignorantibus crimen jam pro cæteris in eodem loco publicum notorietate juris aut facti.

Quandonam autem crimen dici possit publicum seu notorium, difficile est determinare quoad personarum numerum. Juxta communiorem sententiam, publicum censetur crimen jam cognitum a quindecim ex communitate centum personarum; aut a viginti diversarum familiarum in communitate mille personarum; aut a quadraginta dispersis in oppido quinque millium personarum. Ita S. Ligor., n. 973. Vide Tract. *de Matrim.*, n. 278.

Non censetur tamen publicum seu notorium factum, quod innotuit tantum majori parti familiæ, Monasterii, Congregationis, quamvis publicum dici possit respective ad illam familiam, Congregationem, etc.

286. — *Quæritur* 3° an liceat se infamare?

Resp. Si justam ob causam crimen suum aliquis revelet, est actus virtutis : id fecerunt S. Augustinus, in Confessionibus, S. Ephrem, et alii nonnulli inter Sanctos. Verum, si id fiat sine justa causa, erit peccatum, quia, nisi adsit necessitas propria vel aliena, non licet prodere famam suam. Hoc autem peccatum ex se veniale est, quia volenti non fit injuria : potest tamens per accidens esse mortale, 1. si fama necessaria sit ad obeundum rite munus suum, ut contingit in personis ecclesiasticis et Magistratibus secularibus; 2. si in alios redundet propria infamia, v. g., in familiam, Religionem, etc.; 2. si ex infamia sequatur grave damnum aut aliud nocumentum.

287. — *Quæritur* 4° utrum et quale peccatum committant, qui detractionem auscultant?

Resp. Certum est eos contra caritatem peccare, et participes esse malitiæ detrahentis, si cum complacentia detractionem audiant. Ratio est, quia approbant damnum quod alteri infertur; quod si insuper inducant detrahentem ad detrahendum, vel non impediant cum sint Superiores, peccabunt quandoque contra justitiam, et tenebuntur, sicut et detrahens, reparare damnum, si quod ex detractione sequatur : quapropter S. Bernardus, lib. 2, *de Consider.*, c. 13, ait : « Detrahere aut *detrahentem audire*, utrum horum *damnabilius* sit, *non facile dixerim.* »

Nullo modo tamen peccabit audiens, et non impediens detractionem, 1. si prudenter existimet non profuturam monitionem suam vel correctionem; 2. si sibi magnum metuat incommodum, v. g., contumelias, verbera, damnum; 3. si rationabili verecundia impediatur, ob detrahentis auctoritatem vel suam imperitiam, maxime si sit scrupulosus : attamen qui legitime impeditur a resistendo detractioni, debet, si commode et cum fructu possit, discedere, vel sermonem alio convertere, vel faciem tristiorem ostendere : sic enim saltem minuitur fervor detractionis, juxta illud Proverb. 25, v. 23 : « *Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem.* »

Ex quibus patet ad detractoris correctionem non semper teneri sub peccato mortali æquales, et a fortiori inferiores; contra vero ordinarie tenentur superiores, qui etiam interdum ex justitia obligantur ad tuendam famam illius, de quo detrahitur.

288. — *Causæ* detractionum ordinariæ sunt invidia, superbia, ac societas detractorum. *Remedia* vero, humilitas, quæ proprios ostendit defectus, non alienos; caritas, qua accensus non gaudet de malo proximi, neque illud detegit; fuga detractorum; parcitas in loquendo; frequens consideratio malorum quæ detractionem sequntur,

De obligatione restituendi ob illud peccatum agemus in Tract. *de Justitia*, n. 321 et seq.

NUMERUS II

De Contumelia.

289. — Contumelia, a contemnendo dicta, definitur : *honoris injusta violatio, facta presenti et scienti.*

Dicitur 1 : *honoris violatio*, non vero famæ; et per hoc contumelia distinguitur a detractione, quia per detractionem lædimus famam, seu bonam æstimationem quam proximus apud alios habet; per contumeliam vero lædimus honorem proximi, seu externam reverentiam et æstimationis significationem quam proximo debemus propter ejus excellentiam, dignitatem, virtutem, etc.

Dicitur 2 : *injusta;* si enim, justæ correptionis causa pater vel Superior filium aut subditum durioribus verbis increpet, non infert contumeliam : sic Christus, Luc. 24, v. 25, Discipulos euntes in Emmaüs stultos et tardos corde appellavit; et, Galat. 3, v. 1, Apost. ipse Galatas insensatos vocavit. Monet tamen S. Thomas, 2. 2, q. 72, a. 2, ad 2, quod, sicut dicit Aug. hic in lib. *de Serm. Domini in monte*, « raro, et ex magna necessitate, objurgationes sint adhibendæ, in quibus non nobis, sed ut Domino serviatur, instemus; ne hic objurgandi modus subditis videatur potius ex ira inordinata, quam ex caritate procedere, quo fit ut exacerbentur potius quam emendentur. »

Dicitur 3 : *facta præsenti et scienti;* et per hoc contumelia iterum differt a detractione, quæ ordinarie fit clanculum et in absentia; contumelia autem palam fit, et præsente eo quem lædit, vel saltem ea intentione ut ab illo sciatur; nam contumeliosus vult ei displicere ac suum contemptum illi notum facere.

Duplici modo fieri potest contumelia, *negative*, vel *positive;* si prius, adest omissio voluntaria honoris hic et nunc debiti : si posterius, adest contemptus verbis, aut signis, aut factis. Si verbis fiat, diversa nomina sortitur pro diverso objecto materiali, nempe, dicitur *convicium*, si versatur circa defectus naturales; *contumelia* simpliciter, si circa defectus morales; *improperium*, si circa indigentiam generis vel conditionis vilitatem.

Demum, ad contumeliam reduci possunt irrisio et subsannatio. Per *irrisionem*, proximus verbis et risu contemnitur : per *subsannationem*, quis gestibus ridiculis irridetur. Contumelia honorem directe per se deprimit; irrisio autem et subsannatio pudorem et verecundiam per se directe causant. S. Th. 2. 2. 75, a. 1.

PROPOSITIO

290. — *Contumelia est peccatum ex genere suo mortale contra justitiam.* Certum est.

Prob. 1° *Script.*, ubi Christus ipse ait, Matth. 5, v. 22 : *Qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis;* et Apostolus, Rom. 1, v. 30, contumeliosos adnumerat iis quos tradidit Deus in reprobum sensum.

2° *Ratione.* Contumelia enim ex natura sua graviter lædit honorem proximo debitum, ad quem ipse non minus juris habet quam ad famam ; imo, quia per contumeliam honor aufertur, quasi vi illata scienti et renitenti, ideo contumelia magis lædit, et accerbiorem infert injuriam quam detractio ac proinde est grave peccatum.

Dixi 1 : *est peccatum mortale ex genere suo;* quia veniale fieri potest, tum defectu sufficientis deliberationis, tum levitate materiæ, si contumelia sit levis, vel in seipsa, vel

saltem spectata conditione personæ offensæ et offendentis : eadem contumelia, quæ respectu domini, patris, aut viri honesti, est peccatum mortale, sæpe est peccatum veniale, respectu filii, subditi, aut vilis personæ.

Dixi 2 : *contra justitiam*, propter rationem allatam : sæpissime tamen contumeliæ adjungitur alia malitia mortalis specie diversa, v. g. 1. blasphemiæ vel impietatis contra Deum aut Sanctos; 2. impietatis contra parentes; 3. inobservantiæ contra Superiores, si ipsi contumeliose tractentur; 4. odii contra proximum, quando quis imprecatur malum proximo vel rebus ipsius, v. g., infamiam, mortem, damna temporalia vel spiritualia, diaboli vexationem, damnationem æternam; hujusmodi enim maledictiones et imprecationes præsenti proximo factæ, præter contumeliæ malitiam, adjunctum habent odium contra caritatem, si serio et ex animo malum optetur proximo; imo, quamvis aliquando non proferantur ex animo et cum desiderio ut malum eveniant, neque ullam afferant honoris imminutionem, possunt tamen esse gravia peccata, maxime propter scandalum. De restitutione honoris vide Tract. *de Just.*, n. 321 et seq.

291. — *Quæritur* 1° utrum et quale peccatum sint irrisio et subsannatio ?

Resp. Utraque ordinarie includunt contumeliam, ut patet, suntque ipsa deteriores, quia majorem afferunt contemptum quam contumelia.

Circa irrisiones, aut subsannationes, quæ fiunt *joci causa et ad honestam recreationem*, notat S. Thomas, 2. 2, q. 72, leves aliquos defectus ridere et risui exponere, aliquando urbanitatis esse, *si tamen opportuno tempore fiant* ; in quibus magna desideratur prudentia, quia potest facile peccari, etiam aliquando mortaliter, contra caritatem vel contra justitiam, v. g., si gravis erubescentia, vel tristitia, vel ira causatur proximo; quapropter hujusmodi derisio cavenda est ut perniciosa : multo tamen pejor ac periculosior est justorum derisio propter exercitium virtutis, quia non solum pudorem injicit, sed etiam homines retrahit

a bonis operibus virtutisque studio, quod est peccatum grande nimis coram Domino.

Cæterum, sicut irrisio et subsannatio, sic etiam contumelia fieri potest non solum verbo, scripto, sed etiam facto, quando nempe scienter fit actio, qua honori alterius derogatur, v. g., si quis virum nobilem fuste vel alapa percutiat, aut aliquid ipsi per vim auferat.

292. — *Quæritur* 2° quid agere possit ille cui infertur contumelia vel detractio?

Resp. Qui calumniis aut maledictis impetuntur, debent, secundum Christi doctrinam et exemplum, hæc omnia patienter ferre, neque iis licet, vindictæ causa, similes referre injurias; sicut non licet ex vindicta percutientem repercutere. Id præclare ait S. Hieron. *Epist.* 77 : « Inter Christianos, non qui patitur, sed qui facit contumeliam, miser est. » Similiter S. Greg. lib. 8 *Moral.*, c. 1 : « Sancti viri nec sustinere falsa per infirmitatem metuunt, nec læsi unquam a veritate conticescunt. »

Potest tamen is, qui injuriam patitur, licite facere quod est necessarium ad justam defensionem et ad arcendam injuriam, v. g., dicendo calumniatorem non vera loqui, sed falsa imponere, quamvis certe laudabilius sit tacere, nisi improperanti et audientium saluti expediat calumniam repellere, non tamen alio convicio, sed responso prudenti, caritatemque et humilitatem redolente. S. Ligor., n. 964.

§ III

De Judicio temerario, et Violatione secreti.

NUMERUS PRIMUS

De Judicio temerario.

293. — Judicium temerarium est *actus internus intellectus, quo quis sine sufficientibus indiciis malum aliquod de proximo cogitat, eique cogitationi voluntarie adhæret et assentitur*, v. g., si judicet proximum suum esse hypocritam, furem, etc., vel nullo ingenio aut doctrina præditum.

Judicii temerarii quatuor veluti gradus distinguuntur.

Primus est *dubitationis*, quo quis temere, ac sine sufficientibus indiciis dubitat de alterius probitate vel perfectione, neque affirmans, neque negans malum ipsi inesse, sed judicans duntaxat dubiam esse illius probitatem aut perfectionem.

Secundus gradus est *suspicionis*, quo quis, licet nondum determinate judicet vitium aliquod inesse proximo, ad illud tamen judicandum inclinatur et excitatur.

Tertius gradus est *opinionis*, quo non firmiter, sed cum errandi formidine judicatur rem ita esse.

Quartus gradus est *perfecti judicii*, quo quis firmiter, ac sine oppositi formidine, judicat vitium proximo inesse, ita ut, si interrogatus esset, responderet sine dubitatione se ita credere.

PROPOSITIO

294. — *Peccat mortaliter contra justitiam, qui de proximo malum judicat, si quædam conditiones reperiantur.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Matth. 7, v. 1, et Lucæ 6, v. 37 : *Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini.* — Rom. 2, v. 1 : *Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas;* et 14, v. 4 : *Tu quis es, qui judicas alienum servum? domino suo stat aut cadit.* — Jacobi, 4, v. 11 : *Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi et judicat legem;* id est, deficit a præscripto legis, quæ utrumque prohibet, eamque contemnit.

2° *Ex SS. PP.* In primis S. Amb., lib. 5 Commentariorum in Evang. Luc., 7 : « Non temere judicandum, inquit, ne, cum sis tui conscius ipse delicti, dum alterum judicas, in teipsum cogaris ferre sententiam. »

3° *Ratione.* Quisque jus habet ut de ipso non male sentiamus sine causa sufficienti, sicut jus habet ut ipsum apud alios non infamemus; sicut ergo peccat mortaliter qui vel apud unum hominem infamat proximum, saltem si falsum crimen ei imponat, sic graviter peccat qui temere de proximo in re gravi judicat; is enim falsum crimen proximo in mente sua affingit.

295. — *Quæritur* 1° quænam requirantur conditiones, ut judicium temerarium sit peccatum mortale?

Resp. Quatuor requiruntur conditiones, scilicet, ut sit vere judicium, temerarium, plene deliberatum, et de malo gravi proximi.

Et quidem 1° ut *vere sit judicium* Si autem judicium illud sit firmum, gravius est peccatum, quam si mere opinativum esset. Si quis vero suspicetur tantum, vel dubitet de malo alterius etiam gravi, ex communiori sententia, non peccat ordinarie mortaliter, quia judicium illud parum lædit alterius famam; sicut illius fama non multum augetur, si præclara de eo leviter suspicemur. Adde hujusmodi suspiciones facile corrigi ac deponi posse et debere, atque ex humana fragilitate oriri, sine qua vita ista non ducitur, ut ait S. Aug., Tract. 90 *in Joan.*, ubi subjungit : « Si suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, judicia tamen continere debemus. »

Potest tamen simplex suspicio esse peccatum mortale, 1. si sit de gravissimo scelere, ex levissimis indiciis, ac magna animi temeritate scienter concepta, de persona valde sancta et cujus fama est integerrima. Hujusmodi enim suspicio et magnam injuriam continet, quam proximus maxima pecuniæ summa sæpe vellet redimere, nec est sine gravi contemptu proximi. Adde quod vir gravis, si de se istam dubitationem et suspicionem haberi sciret, id ægre admodum ferret; denique, si quis interrogaretur an aliquis, v. g., Sacerdos, integerrimæ vitæ esset, castus, sobrius, etc., et ex levibus indiciis responderet se id nescire, vel se opinari eum talem non esse, profecto ejusmodi detractio esset mortalis; ergo etiam peccat mortaliter, qui sciens et volens, talem suspicionem de proximo concipit; is enim famam ejus violat in mente sua, sine causa. 2. Suspicio interdum adjunctam habet aliam malitiam mortalem, v. g., si ex gravi odio procedat, vel si ob suspicionem graviter contemnatur proximus, perinde ac si reipsa malus esset, vel si addatur detractio aut suspicionis manifestatio apud alios; constat enim experientia homines, cum de aliquo dubitant, facile inclinari ad eum contemnendum ac de illo detrahen-

dum, et ad ei deneganda officia, honores, etc. 3. Denique erit peccatum mortale, si propter levem suspicionem Superior graviter puniat, Judex condemnet, inferior suffragium neget. Ita S. Thomas.

2° *Ut judicium temerarium sit*, id est, sine sufficientibus indiciis; quia, si talia adsint indicia ut, spectatis circumstantiis loci, temporis, ac personæ, juxta regulas prudentiæ sufficiant ad ferendum judicium, v. g., si hujusmodi indicia, ut plurimum ac fere semper sint cum effectu conjuncta, tunc ordinarie non peccat, qui judicat rem ita se habere sicut indicia significant; quocirca diligenter expendenda sunt, ut ultra charitatis vel justitiæ metas non fiat suspicio vel judicium.

Dixi : *juxta prudentiæ regulas;* inter quas diligenter observandæ sunt tres quæ sequuntur : 1. quidem postulat prudentia ut majora et clariora habeantur indicia ad judicandum quam ad suspicandum; et ideo quædam sufficiunt ad suspicionem, quæ ad judicium non sufficiunt. 2. Dictat prudentia quædam indicia sufficere ut quis judicet crimen de homine vitioso et huic crimini assueto, vel de eo infamato, quæ levissima et prorsus insufficientia forent ad idem judicandum vel suspicandum de viro probo : similiter, quædam nocte vel in uno loco facta sufficiunt ad prudenter judicandum, quæ die vel alio loco facta non sufficerent. 3. Cum sæpe contingat nos errare de aliis judicando tum quia indicia, quæ sufficientia putabantur, reipsa talia non erant, tum quia ex opere externo pravam intentionem conjicimus; idcirco et prudentia postulat, et caritas exigit, ut ab hujusmodi suspicionibus ac judiciis abstineamus, nisi aliud exigat necessitas aut utilitas propria vel aliena. Possunt quidem ac debent Superiores aliis invigilare, et de iis inquirere, veritatis indagandæ causa : non debent tamen ex levibus indiciis judicare inferiores, juxta illud S. Bern. *Serm. 4 in Cantica :* « Cave alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius judex, etiam si perperam actum quid deprehendas, nec sic judices proximum, magis autem excusa intentionem, si opus non potes; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod

si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipsi tibi, et dicito apud temetipsum : Vehemens fuit nimis tentatio; quid de me illa fecisset, si in me accepisset similiter potestatem! »

3° Ut judicium sit *plene deliberatum;* si enim quis ex proposito sibi objecto statim concipiat vel etiam judicet grave malum de proximo, non ideo statim peccat mortaliter; oportet enim ut voluntas consentiat, postquam intellectus advertit malitiam ac temeritatem judicii; ad hoc tamen non requiritur mora temporis, cum hæc deliberatio haberi possit in instanti. Cæterum quando quis timoratam conscientiam habet, signum est voluntatem deliberate non consensisse, si hujusmodi judicia temeraria oderit, ac procul abesse exoptet.

4° Denique *ut judicium sit de malo gravi proximi;* quia, si sit duntaxat de levi, levis etiam erit injuria : grave autem dicitur quodcunque malum, sive culpæ, sive pœnæ, sive naturæ, quod spectatis circumstantiis, affert notabile famæ detrimentum; v. g., si quis sanctissimum virum judicet esse mendacio deditum; item, nobilem virum esse spurium, vel doctrina spectatissima esse ignarum; contra vero leve illud malum esse hic dicitur, quod non magnam affert famæ jacturam, ut si quis hominem infimæ conditionis judicet fuisse ebrium, militem esse duellatorem, etc.; hæc enim, ex communi hominum sensu, parum aut nullatenus hujusmodi homines infamant, qui ea de se credi parum vel nihil curant, imo interdum de iis misere gloriantur.

296. — *Quæritur* 2° an actiones proximi, quæ in bonam vel malam partem accipi possunt, sint semper in meliorem partem interpretandæ?

Resp. 1. In illis non tenetur quilibet judicare, sed potest suspendere judicium, totum Deo committere; non enim tenemur actu positivo judicare aliquem esse probum, de cujus probitate datur sufficiens causa dubitandi.

2. Ex hypothesi quod quis velit judicare, in dubiis circa personas, judicium fieri debet in meliorem partem. Si quis enim in illo casu judicaret in deteriorem partem,

temere judicaret proximum, condemnans sine sufficientibus indiciis. Deinde juris naturæ est illud : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris :* atqui nullus vult rationabiliter actiones suas in deteriorem sensum accipi; ergo, etc.

3. Quando agitur de damno vitando, malo præcavendo, vel adhibendo remedio, prudentia postulat, non quidem ut dubia de proximo *positive* in pejorem partem explicemus, sed ut perinde nos geramus, nobis cavendo et illi vel aliis consulendo, ac si dubia esset ejus probitas. Hinc, qui recipit ignotum hominem in domum suam, quamvis judicare non possit eum esse furem, potest tamen rebus suis prudenter providere, perinde ac si fur esset; quia, sic agendo, dici non potest male sentire de proximo, sed prudenter rerum suarum damnum præcavere. At vero, quando agitur tantum de interna æstimatione aut reverentia erga proximum, quamvis, ut diximus, non teneatur actu positivo judicare eum esse probum, id tamen supponendum est, ac pro tali haberi debet. Unde et perinde nos exterius gerere debemus erga eum, ac si probus esset.

NUMERUS II

De peccato Violationis secreti proximi.

297. — *Quæritur* 1° quid sit *secretum*, quænam ejus species?

Resp. Secretum in genere dicitur *quod paucis notum est.* Illius quatuor assignantur species, scilicet, secretum naturale, promissum, commissum, sacramentale.

1. *Naturale*, quando ex lege naturali seu ex ipsa rei natura, absque ulla promissione, scientem obligat ad celandum, quale omne est occultum cujus detectio noceret animæ, corpori, famæ vel bonis alterius.

2. *Promissum*, quando quis promisit se non revelaturum arcanum quod ab alio audivit, vel casu didicit.

3. *Commissum*, quando quis alteri arcanum manifestat, sub expressa aut tacita conditione quod sciens obligetur ad celandum. Tunc autem censetur adesse tacita illa conditio, quando aliquid occultum ita manifestatur, ut ex circumstantiis facile appareat illud committi tanquam secretum,

v. g., cum quis, consilii, auxilii, vel solatii causa, aperit arcana sua advocatis, obstetricibus, vel amicis, aut propinquis, maxime vero Confessariis, quamvis extra confessionem.

4. *Sacramentale*, quod *ex lege divina confessionis sacramentalis prorsus inviolabili*, scientem obligat ad celandum, ita ut nulla dari possit causa ob quam licite possit violari, ut diximus in Tractatu *de Pœnitentia* : quapropter, hoc ultimo omisso, de tribus primis hic breviter agendum est.

298. — *Quæritur* 2° an illicita sit secreti violatio?

Resp. 1. Naturale secretum per se sub gravi obligat et quidem ex justitia. Certum est. Namque, ex ipsa illius secreti notione, qui illud revelat, eo ipso infert damnum proximo, qui jus habet ne sine rationabili causa in suis bonis lædatur; ergo hujusmodi secretum per se obligat sub gravi et ex justitia.

2. Promissum secretum per se, vi solius promissionis obligat sub gravi vel sub levi juxta intentionem promittentis, nempe, sub levi, si promittens, ut fit ordinarie, se obliget ex fidelitate tantum; sub gravi, si in gravi materia promittens ex justitia se obligare intenderit. Tunc adest obligatio ex contractu [redacted] suscepta.

Sed insuper, præter obligationem ex promissione ortam, adesse potest obligatio naturalis, ratione ipsius materiæ.

3. Commissum secretum per se obligat sub gravi et plerumque ex justitia, etiam strictius ac secretum naturale aut promissum. Ex natura enim illius secreti patet ejus observationem interesse bono non solum privato, sed etiam publico. S. Ligor., n. 970.

Aliquando tamen possunt adesse justæ causæ revelandi secretum. Unde

299. — *Quæritur* 3° quænam sint justæ causæ, ob quas licitum est secretum revelare?

Resp. Triplex esse potest hujusmodi causa, nempe 1. *damnum Reipublicæ*, vel *tertiæ personæ, pendens in futu-*

rum; quando enim revelatio secreti necessaria est ad avertendum illud damnum, ordinarie est obligatio illius revelandi : ratio est, quia secretum non potest obligare contra caritatem debitam alteri; quod si damnum jam illatum sit, nihilque pro futuro timeatur, secretum non poterit revelari.

2. *Grave damnum spirituale vel temporale illius, qui illud commisit;* v. g., si quis cum occulto impedimento matrimonium sit contracturus, nisi is, qui sub secreto naturali novit, id denuntiet : tunc enim licita, imo ex caritate præcepta est secreti revelatio, scilicet, ad vitandam irreverentiam erga sacramentum, ad impediendum grave peccatum ac multa incommoda. Vide Tract. *de Matrim.*, n. 152.

3. *Si quis non possit absque magno suo incommodo secretum celare,* v. g., absque vitæ periculo, aut bonorum : tunc enim non tenetur illud celare, quia non censetur voluisse secretum promittendo, tam rigorose se obligare. Attamen, si secreti revelatio cedat in magnam Reipublicæ perniciem, tunc, ob quævis tormenta vel mortis etiam periculum, revelari non potest; contra vero, si sola privatæ alicujus personæ, vel illius qui secretum commisit, vita periclitaretur; proprium enim bonum quisque potest alieno privato præferre. Excipiunt Doctores, nisi secretum injuste seu per vim aut fraudem si cognitum; quia illo casu revelatio secreti esset injuriæ continuatio.

Si vero quis promiserit secretum servare etiam cum vitæ jactura, et illud servare non possit absque suo proprio damno gravi aut extremo, tenetur illud nihilominus servare, quia juri suo expresse renuntiavit; ita probabilius juxta Lugo, Lacroix, S. Ligor., n. 971, qui tamen oppositum tenet uti sat probabile.

300. — Hinc. 1. *per se* graviter peccat, qui aperit aut legit alterius litteras. Jure enim naturali et jure gentium datur obligatio secreta litterarum illæsa relinquendi; alioquin commercium humanum pessumdaretur. Ita communiter Theologi.

Excipiuntur tamen sequentes casus, nimirum, 1. si adsit consentus tacitus aut præsumptus illius qui scribit; vel illius ad quem litteræ mittuntur; 2. si cognoscatur vel præsumatur litteras continere res minoris momenti; 3. si justa de causa fiat, ut jam dictum est; 4. si litteræ ex levitate aut defectu advertentiæ perfectæ aperiantur; 5. Superior religiosus litteras suorum subditorum aliorumve ad ipsos missas licite aperit sive ex Religionis statuto, sive ex consuetudine, aut ex prudenti suspicione, quod aliquid minus recti contineant. Superior tamen aperire et legere nequit litteras, quas subditi Superioribus majoribus, ac vicissim isti Superioris subditis mittunt; alioquin Superiores cum omnibus suis subditis facile communicare non possent, ut postulat recta gubernandi ratio.

Si litteras ab alio dilaceratas et in locum publicum a domino objectas quis colligat, et junctis partibus legat, ex sola curiositate, peccatum veniale est; nullum autem, si, ut ex illa notitia sibi provideat. Quod enim pro derelicto habetur, in usum proprium convertere licet.

Si vero projectæ sint non a domino, sed ab alio, vel si projectæ sint in ignem, vel in fornacem ut comburantur, peccat qui illas litteras extrahit et legit. S. Ligor., lib. 5, n. 70.

301. — Hinc 2. probabiliter *per se* graviter non peccat, qui revelat secretum alteri viro probo sub eodem secreto.

In hoc enim casu, gravis injuria erga alium committi non videtur. Contra vero, si detegatur personæ, cui secretum mihi committens specialiter voluisse illud celari merito præsumitur.

Dixi : *per se*, quia ob varias circumstantias facile in praxi revelatio secreti gravis evadet, ex eo quod personæ, quibus secretum committitur, multo facilius sat discretæ supponuntur ad illud fideliter servandum, præsertim si de mulieribus agatur, ut omnibus notum est. Revera, si tu secretum violas, putasne alium, cui confidis, te ipso discretiorem futurum esse?

ARTICULUS III

De Nono et Decimo Decalogi præcepto.

302. — *Quæritur* quodnam sit nonum et decimum Decalogi præceptum?

Resp. Duo hæc præcepta his verbis referuntur, Exodi 20, v. 17 : *Non concupisces domum proximi tui; nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.*

Itaque 1° *Nono præcepto* prohibetur omne *desiderium* contra castitatem, nempe 1. illa libido qua adulter alterius uxorem appetit; 2. libido qua quis alterius uxorem in matrimonium ducere concupiscit, quia hinc facile induceretur ad optandam ejus viro mortem, vel ad desiderandum adulterium; 3. etiam inordinatus ejusmodi affectus erga mulieres aliis non desponsatas, et a fortiori erga virgines Deo consecratas, quacunque facta suppositione.

Eodem præcepto, quatenus affirmativum est, præcipitur ut castitatem summopere amemus, et diligentissime custodiamus, ut obscenis cogitationibus summa cum diligentia resistamus. De his omnibus agitur in Tract. *de Peccatis*, n. 52-58, 90-93, et in speciali Tract. *de Virtute castitatis.*

2° *Decimo præcepto* prohibetur ne divitias avide exspectemus, neve alienis opibus, potentiæ, nobilitati invideamus, sed statu nostro, qualiscunque sit, contenti simus. Contra hoc præceptum peccant mercatores, qui rerum penuriam et annonæ raritatem expetunt, ut carius vendant; milites qui bellum exoptant, ut possint furari; Medici, qui morborum frequentiam, Jurisconsulti qui litium copiam concupiscunt.

Hoc etiam præcepto, quatenus affirmativum est, Deus præcipere videtur ut, si divitiæ affluant, cor non apponamus; si desint, æquo animo feramus.

Cæterum, quia rudes homines solos actus externos illicitos putant, frequenter in concionibus et catechismis monendi sunt fideles, peccata quæ in hæc duo ultima præcepta committuntur, nonnunquam gravius sauciare, et periculosiora esse iis, quæ in manifesto fiunt, ut notat Concilium

Tridentinum. Quapropter omnem sollicitudinem adhibere debent in devitandis illis peccatis, quæ sola cogitatione et desiderio consummantur. De iis enim sic loquitur Christus, Matt. 5, v. 27, 28 : *Audistis quia dictum est antiquis : Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

De peccatis contra decimum illud præceptum jam dictum est in Tract. *de Peccatis*, n. 52-58, 94-97, et ideo hic nihil aliud de his dicendum occurrit.

Qua tractatione de Lege divina sic absoluta, patet Christum his decem præceptis omnium mortalium causas in nobis tollere, et virtutes perficere, quibus ad vitam pervenitur : utinam die ac nocte secundum legem illam ambulemus, ut cum Christo vivamus in secula seculorum!

FINIS TRACTATUS DE DECALOGO.

TRACTATUS

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ

OBJECTUM, UTILITAS, DIVISIO TRACTATUS

1. — Ecclesia jus habet condendi leges, quæ Christianos obligent in conscientia, ex dictis in Tract. *de Legib.*, n. 34; et revera multas legas proposuit, constituit aut approbavit Ecclesia, quarum collectio *Jus canonicum nuncupatur*, ex ibidem dictis, n. 30.

Inter leges illas, aliæ spectant omnes fideles, aliæ vero circam materiam specialem versantur, et fideles cujusdam specialis status, vel conditionis respiciunt, v. g., Episcopos, presbyteros, Diaconos, Beneficiarios. De his porro legibus Ecclesiasticis proprie agitur in Jure canonico, vel ubi *de Statuum obligat.* Hic de præceptis tantum Ecclesiasticis, quæ universos cujuscunque ætatis aut conditionis fideles respiciunt, omnibusque ideo fidelibus a Pastoribus sunt exponenda, movetur quætio.

2. — Hujusmodi præcepta sex vulgo numerantur, scilicet, præceptum 1. de sanctificatione Festorum; 2. de auditione Missæ diebus Dominicis et Festis; 3. de Confessione annua; 4. de Communione paschali; 5. de jejunio statutis temporibus; 6. de Abstinentia a carnibus certis diebus. Quæ omnia hisce versiculis includuntur :

> Festa colas, præsens Sacro, jejunia serves;
> Annua sit confessio; sit communio Paschæ.

In his versiculis præceptum abstinentiæ a carne in præcepto jejunii continetur. Olim enim unicum erat præcep-

tum individuum. In præsenti vero Ecclesiæ disciplina hæc duo sunt distinguenda, cum sæpe urgeat obligatio abstinendi a carnibus absque jejunio.

Jam vero de præcepto audiendi Missam diebus Dominicis et Festis dictum est in Tract. *de Decalogo,* n. 131 et seq.; de præcepto annuæ Confessionis actum est in Tract. *de Pœnit.*, n. 259 et seq.; de præcepto Communionis paschalis diximus in Tract. *de Euchar.*, n. 143 et seq. De tribus igitur aliis præceptis hic disserendum superest in triplici articulo.

ARTICULUS PRIMUS

De Sanctificatione Festorum.

3. — *Quæritur* 1° quid sint festa christiana, et quodnam sit eorum objectum?

Resp. Festa, de quibus agitur, sunt dies quædam per auditionem Missæ et requiem ab operibus servilibus, haud secus ac dies Dominica sanctificandæ ex præcepto Ecclesiæ. Plures ex illis Festis diei Dominicæ sunt affixæ, v. g., festum Paschæ, Pentecostes.

Objectum illorum Festorum est per speciales solemnitates commemorare vel beneficia per Christum humano generi a Deo collata, vel gratias B. Mariæ et Sanctis a Deo largitas, virtutes ope illarum gratiarum acquisitas, gloriam per illas virtutes promeritam, et qua fruuntur B. Maria et illi Sancti; denique beneficia per intercessionem B. Mariæ et Sanctorum a Deo Ecclesiæ Catholicæ concessa.

Exinde colligitur illorum Festorum summa utilitas atque ratio. Per ea siquidem omnia Religionis christianæ mysteria quotannis sub cujusque oculis subjiciuntur, sicque enutritur fides, spes roboratur, et incenditur caritas. Sed etiam festa B. Mariæ et Sanctorum sunt totidem exhortationes ad praxim earumdem virtutum, ut eadem gloria finaliter fruamur, juxta illud : « Ideoque *et nos* tantam habentes *impositam nubem testium*, deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, *per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* » Hebr. 12, v. 1. — « Solemnitates Martyrum, exhortationes sunt martyriorum, *ut imi-*

tari non pigeat quod *celebrare delectat,* » ait S. August., Sermo 47 *de Sanctis.* Vide S. Th. 1. 2, q. 100, a. 5, ad 2; q. 102, a. 4, ad 10; q. 103, a. 3, ad 4.

4. — *Quæritur* 2° quis in Ecclesia instituere possit Festa, quorum sanctificatio obliget in conscientia?

Resp. Solus Papa diem festum pro universa Ecclesia instituere potest, quia solus in universam Ecclesiam suprema jurisdictione gaudet, ex dictis in Tract. *de Eccl.*, n. 37, 242.

Episcopi, ante Conc. Trid., facultate pollebant addendi novum festum calendario aut aliquod supprimendi, sed etiam novum festum de præcepto instituendi, et hanc facultatem idem Concilium agnoscit his verbis : « Dies etiam festi, *quos in diœcesi sua servandos præcepit Episcopus,* etiam ab exemptis regularibus serventur; » Sess, 25, c. 12.

At, post Bullam Pii V, de obligatione Breviarii et Missalis pro ecclesiis latinis, nullam habet Episcopus auctoritatem addendi novum festum calendario aut supprimendi.

Præterea, Urbanus VIII Bulla *Universa,* 22 dec. 1642, hæc dicit : « Monemus Ordinarios in Domino ut... *ab indictione novorum Festorum studeant abstinere.* » Insuper, S. Congr. Rit. interrogata an Episcopus in sua diœcesi *possit* alia Festa instituere de præcepto, præter illa quæ in Bulla Urbani VIII expressa sunt, die 23 Jun. 1703, respondit : Negative. Unde præfata verba Bullæ *Universa,* etiamsi essent tantum exhortativa, ut sentiunt auctores multi, plane sufficiunt ut Episcopi omnino se abstineant ab indictione novorum Festorum, ut monent Ferraris, v. *Festa,* n. 2, 37, et Reiffenstuel, lib. 2 Decret, tit. 9, § 1. n. 22; Institut. Canon., Tract. 4, n. 93.

5. — *Quæritur* 3° quænam sint festa hodie de præcepto celebranda?

Resp. Festa, quæ adhuc de jure communi, præter diem Dominicam, servanda sunt, et per Missæ auditionem, atque abstinentiam ab operibus servilibus a populo christiano sanctificanda, exhibentur sequentia, scilicet : Nativitas

Domini, ejusdem Circumcisio, Epiphania, Ascensio et ejus Corporis solemnitas, Purificatio, Annuntiatio, Assumptio, Nativitas et Immaculata Conceptio B. M. V.; festa SS. Apostolorum Petri et Pauli, omnium Sanctorum et Patroni diœcesis et parœciæ, præter solemnitates Paschæ, Pentecostes, et SS. Trinitatis, quæ diei Dominicæ affixæ sunt.

In Gallia autem, post indultum Card. Caprara, 9 apr. 1802, ex concessione Pii VII, quatuor tantum festa de præcepto fidelibus supersunt, præter ea quæ diei Dominicæ sunt affixa, scilicet : Festa Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, ejus Ascensionis, Assumptionis B. Virginis Mariæ, et Omnium Sanctorum : « Ita ut in reliquis festis diebus omnes Gallicanæ Reipublicæ incolæ non solum a præcepto audiendi missam, vacandi ab operibus servilibus, sed jejunii etiam obligatione in diebus qui festa hujusmodi præcedunt prorsus absoluti censentur; » sicut dicitur in præfato indulto.

6. — Attamen nihil per hoc immutatum fuit quoad obligationem Pastoribus impositam Missam *pro populo* celebrandi, ut expresse Pius IX declaravit per Constitut. *Amantissimi*, 3 maii 1858: ideoque standum est adhuc Catalogo Urbani VIII. Vide Tract. *de Euchar.*, n. 223.

7. — Præterea, per abrogationem præcepti abstinendi ab operibus servilibus et Missam audiendi, sublata non fuit *solemnitas liturgica* festorum suppressorum aut translatorum, ut sic expresse pro Gallia asserit Card. Legatus : « Eam tamen legem adjectam esse voluit (Pius VII), ut in diebus festis, vigiliisque quæ *suppressæ* decernuntur, in *omnibus Ecclesiis nihil de consueto* divinorum *Officiorum*, sacrarumque *ceremoniarum ordine* ac *ritu innovetur*, sed omnia ea prorsus ratione peragantur, qua hactenus consueverant. » Et idem dicendum est de festis, quorum solemnitas ad Dominicam proxime sequentem translata fuit, v. g., Epiphaniæ, Corporis Christi, etc., ut pluries respondit S. C. Rituum, 1831, 1855. Hæc etiam confirmata sunt a Pio IX, in Encyclica diei 3 maii 1858. Vide *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 600.

Quoad cætera, quæ ad præsentem materiam spectant, vid. auctores, qui de sacra Liturgia ex professo tractant.

ARTICULUS II

De præcepto Jejunandi certis diebus.

Dicemus, 1° de natura et obligatione jejunii ecclesiastici; 2° de modo jejunandi ab Ecclesia prescripto; 3° de causis a jejunio ecclesiastico excusantibus.

§ I

De notione et præcepto Jejunii.

8. — *Quæritur* quid sit jejunium ecclesiasticum?

Resp. Jejunium, a voce *jejuneum*, quod est quoddam intestinum animalis fere semper vacuum in cadaveribus, derivatum, in genere significat *abstinentiam a cibo et potu.*

Triplex distinguitur, scilicet, naturale, morale et ecclesiasticum. *Naturale* est omnimoda cibi potusque abstinentia a media nocte præcedente : tale jejunium obligat omnes sanos in licita Eucharistiæ sumptione, ex dictisin Tract. *de Euchar.*, n. 113.

Morale et philosophicum est parcimonia in cibo et potu juxta communes temperantiæ regulas, ut corpus et anima bene sint disposita ad suas functiones.

Ecclesiasticum est *certa quædam victus abstinentia, juxta præscriptum Ecclesiæ ad bonum hominis spirituale promovendum.*

Dicitur 1 : *certa quædam victus abstinentia;* non enim requiritur omnimoda, ut in jejunio naturali.

Dicitur 2 : *juxta præscriptum Ecclesiæ*, quæ saltem determinat tempus et modum illius abstinentiæ, in se jure naturali præscriptæ, tanquam remedii, quo interdum uti debemus. S. Th. 2, 2, q. 147, a. 3.

Dicitur 3 : *ad bonum hominis spirituale promovendum;* quibus innuitur finis jejunii ecclesiastici, ejusque discrimen a jejunio sive naturali, sive etiam coacto, v. g., in pauperibus qui paupertatem suam in voluntarium virtutis actum non convertunt.

Jam vero Eustichiani et Ariani quarto seculo, et Protes-

tantes negarunt jejunium esse in præcepto, atque ideo contenderunt Ecclesiam non habere potestatem quædam jejunia Christianis præcipiendi. Contra sit

PROPOSITIO

9. — *Jejunium in genere, jure naturali* ~~præceptum est~~ innititur, *quoad determinationem vero temporis et modi, jure Ecclesiastico* præceptum est. Certum est.

Et quidem 1° *jure naturali* ~~est præceptum~~ innititur. Constat ex consensu omnium populorum, etiam Protestantium, qui necessitatem jejunii ad placandam Divinitatem, et ad præcavenda vitia plus minusve practice admiserunt, juxta illud antiquum adagium : *sustine et abstine.*

Sed thesis comprobatur præcipue ex jejunii effectibus. Etenim 1. jejunium *concupiscentias carnis comprimit,* sicque a peccato præservat ; unde Apostolus dicit, II Cor. 6, v. 5 : *In jejunias, in castitate,* etc.; quia per jejunia castitas conservatur. Nam, ut ait Poeta Terentius, quem refert S. Hieronym., *sine Cerere et Baccho friget Venus,* id est, per abstinentiam cibi et potus tepescit luxuria.

2. Jejunio *mens liberius elevatur ad sublimia contemplanda,* ut patet exemplo Moysis, Eliæ, Danielis, Antonii, Eremitarum, qui jejuniis ad colloquia divina sese præparabant. Revera « experientia constat potus satietate *aciem mentis obtundi,* et ciborum nimietate *vigorem cordis hebetari,* » ait S. Leo, Serm. 8, *de Jejunio.* Unde « homines volentes contemplationi et rebus divinis vacare, oportet quod se magis a carnalibus desideriis abstrahant. » S. Th. 2. 2, q. 142, a. 1.

3. Jejunio *satisfacit homo pro peccatis,* sicque a peccato commisso *liberatur*, juxta illud : « *Convertimini* ad me in tote corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu; » Joel, 2, v. 12; I Reg. 7, v. 6; Matth. 6, v. 16-19.

Triplicem illum effectum sic profitetur Ecclesia in Præfatione Quadragesimæ : « Deus, qui *jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et præmia.* » — « Jejunium, ait S. August., *Serm.* 230, purgat animam, mentem elevat, propriam carnem spiritui subjicit, cor facit contritum et humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum

ardores exstinguit, castitatis verum lumen accendit. » Vide S. Th. 2. 2, q. 147, a 1.

Imo ipsis corporibus medendis et conservandæ sanitati non parum inservit jejunium, ut experientia docet, et sapientiores inter medicos testantur[1].

Porro unusquisque ex naturali ratione tenetur uti medio necessario ad deletionem et cohibitionem culpæ, et ad elevationem mentis in spiritualia; ergo jejunium, in communi, cadit sub præcepto legis naturalis.

2° *Quoad determinationem vero temporis et modi cadit sub jure Ecclesiastico.*

Lex enim naturalis silet circa tempus et modum, quo convenit et utile est communitatem christianam jejunare; ergo ad auctoritatem, quæ huic communitati præest, pertinet tempus hujusmodi et modum determinare per præceptum positivum.

Revera talem potestatem habuit Synagoga, ut patet ex libro Esther, 9, v. 31, et ex Zachar. 8, v. 19 : atqui profecto non minor est Ecclesiæ in nova lege potestas, quam Synagogæ erga Judæorum gentem; ergo, etc. Imo principes et magistratus hæretici quandoque indicant jejunia, ut patet in Anglia et Hollandia; ergo idem profecto statuere potest Ecclesia. Consonat universalis et constans traditio.

10. — *Quæritur* autem 1° quænam sint dies jejunii ab omnibus servandæ fidelibus.

Resp. Jejunia in universali Ecclesia nunc observanda reducuntur ad Quadragesimam, Quatuor Tempora et Vigilias.

1. Jejunium *Quadragesimale* ab ipsis Apostolis institutum fuisse colligitur, eo quod hanc consuetudinem, quam universa apud Græcos et Latinos tenet Ecclesia, nullibi legi-

1. « Souvent il m'est arrivé de songer avec admiration et même avec reconnaissance à cette loi salutaire qui oppose des abstinences légales et périodiques à l'action destructive que l'intempérance exerce continuellement sur nos organes, et qui empêche au moins cette force de devenir accélératrice, en l'obligeant à recommencer toujours. Jamais on n'imagina rien de plus sage, même sous le rapport de la simple hygiène; jamais on n'accorda mieux l'avantage temporel de l'homme avec ses intérêts et ses besoins d'un ordre supérieur. » De Maistre, *Soirées de Saint-Pétersbourg*, 1er *Entretien*.

mus a Concilio quopiam vel S. Pontifice, vel a Christo institutam.

2. Jejunium *Quatuor Temporum*, etiam ab Apostolis, originem habere communiter docent eruditi, quamvis probabilissimum sic hanc praxim in diversis regionibus non fuisse uniformem, nec æque antiquam.

3. *Vigiliæ* sunt præparatio ad celebriores solemnitates. Noctuanis constabant orationibus et jejunium importabant. Diu perseverarunt, et non raro graves induxerunt abusus. De medio autem sublatis vigiliis, excepta vigilia Nativitatis. Pentecostes, Assumptionis, et festi Omnium Sanctorum, et etiam vigilia SS. Apost. Petri et Pauli[1].

Convenienter autem determinata sunt illa tempora jejunii ecclesiastici. Nam jejunium ordinatur, ex dictis, n. 3, ad purgationem et cohibitionem a peccato, et ad elevationem mentis in Deum : porro homines a peccato purgari et cohiberi atque ad Deum elevari maxime convenit tempore Quadragesimæ, Quatuor Temporibus et Vigiliis.

Etenim 1. per jejunium Quadragesimæ, præparantur fideles ad recte mysteria Dominicæ Passionis et Resurrectionis celebranda, atque per devotionem elevatur mens hominis ad æternitatis gloriam, quam Christus resurgendo inchoavit. Durat autem illud jejunium per quadraginta dies in memoriam et imitationem jejunii Christi, qui jejunavit quadraginta diebus. — « Magna divinæ institutionis provisum est, ait S. Leo, Serm. 4, *de Quadrages.*, ut ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas et pia opera redimerent, et jejunia casta decoquerent. »

Præterea Quadragesimæ tempus ad jejunium est aptissimum ratione corporis seu castitatis, quia verno tempore

1. Ex decis. S. Congreg. Inquisit., 23 maii 1853, jejunium in privilegio festivitatis SS. Apostolorum Petri et Pauli servandum est etiam in regionibus, in quibus festum S. Petri in sequentem dominicam transfertur, et quidem sabbato immediate præcedente dominicam, ad quam remittitur solemnitas SS. Apostolorum. Quod si dies 29 Junii occurrerit die sabbati, jejunium servetur die qua ante servabatur, quarto nempe kalendas Julii. Ita ex multiplici decis. S. Congr. Rit., speciatim 22 nov. 1879.

libido maxime incenditur, ob sanguinis augmentum et fervorem.

2. Similiter Quatuor Temporibus conferuntur Ordines sacri, ad quorum susceptionem oportet per jejunium præparari et eos qui ordinant, et illos qui ordinandi sunt, et etiam totum populum pro cujus utilitate ordinantur.

Sed etiam iisdem temporibus aeris temperies maxime variatur, et fructus omnes aut seruntur, aut nascuntur aut maturantur, aut colliguntur; ergo his diebus specialiter convenit ut Deo supplicemus pro frugibus terræ, aut pro iisdem gratias agamus.

Tandem « ideo ipsa continentiæ observantia *Quatuor* est assignata *Temporibus*, ut in idipsum totius anni redeunte cursu, cognosceremus nos indesinenter purificationibus indigere, semperque esse nitendum, dum hujus vitæ varietate jactamur, ut peccatum, quod fragilitate carnis et cupiditatum pollutione contrahitur, jejuniis atque eleemosynis deleatur. » S. Leo, Serm. 92.

Singula autem jejunia Quatuor Temporum *tribus diebus* continentur, propter numerum mensium, qui competit cuilibet tempori; vel propter numerum sacrorum ordinum, Ministri scilicet, Presbyteri et Episcopi, qui in his temporibus conferuntur.

3. Nec minus conveniens est jejunium in Vigiliis præcipuarum festivitatum, in quibus præparari nos oportet ad illa festa devote celebranda.

11. — Ex supradictis, patet Ecclesiam nullum de præcepto jejunium instituisse tempore paschali usque ad Pentecostem, neque diebus Dominicis. Jejunium enim est opus pœnale et afflictivum, quod non convenit diebus lætitiæ, quales sunt dies quinquaginta post Pascha, et dies Dominici, propter commemorationem Resurrectionis : « Per hos quinquaginta dies est *jugis* et *continua festivitas;* ita ut hoc omni tempore neque ad observandum indicemus jejunia, neque ad exorandum Deum genibus succidamus. » S. Amb. *Serm.* 61.

12. — *Quæritur* 2° an jejunia ecclesiastica servari debeant sub gravi?

Resp. Affirmative. Constat 1. *Traditione :* « *Non leve,* inquit S. Amb., serm. 25, *peccatum est* fidelibus, indictam a Domino Quadragesimam violare, et jejunia consecrata ventris voracitate dissolvere. » Et S. Aug., Serm. 62, *de Tempore :* « Aliis diebus, inquit, jejunare remedium est aut præmium ; in Quadragesima non jejunare peccatum est. »

Unde ab Alex. VII damnata est hæc propositio : « Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, *non peccat mortaliter,* nisi ex contemptu et inobedientia fiat, puta, quia non vult se subjicere præcepto. » — Idem infertur ex interminatione anathematis aut alterius gravissimæ pœnæ, sub qua a pluribus Conciliis præcipitur jejunium ecclesiasticum.

2. *Ratione.* Jejunium utpote opus virtutis et homini ad salutem necessarium aut valde utile, est ex genere suo materia gravis; porro, ex dictis in Tract. *de Legib.*, n. 53, 54, leges obligant pro quantitate materiæ sub mortali aut veniali, nisi contrarium constet de voluntate legislatoris; ergo, etc.

§ II

De modo Jejunandi.

Ad perfectum jejunium ecclesiasticum tria requiruntur, nempe 1. unica refectio; cui tamen refectiuncula superaddi hodie permittitur; 2. tempus ad refectionem et refectiunculam sumendam determinatum; 3. abstinentia a carnibus. Triplex igitur erit numerus.

NUMERUS PRIMUS

De unica Refectione, et de Collatione.

PUNCTUM PRIMUM

De unica Refectione.

PROPOSITIO

13. — *Ad jejunium ecclesiasticum, requiritur quod a media nocte ad aliam mediam noctem, una tantum sumatur refectio.*

Constat ex universali et constanti Ecclesiæ consuetudine,

quæ ab incunabulis viguit. « In jejunio, inquit Cajetanus, communiter intelligitur unica refectio, quia Ecclesia, indicendo jejunium, secuta est exemplum Patrum veteris Testæmenti, qui jejunantes tantum semel reficiebantur. » Unde etiam per unicam refectionem distinguuntur jejunantes a non jejunantibus.

Revera jejunium ab Ecclesia institutum est ad refrenandam concupiscentiam, ita tamen quod salvetur natura : atqui ad utrumque sufficere videtur unica refectio, per unam scilicet homo et naturæ satisfacit, et tamen concupiscentiæ aliquid detrahit, diminuendo refectionum vices; S. Th. 2. 2, q. 147, a. 6; ergo, etc.

14. — Hinc 1° satisfacit præcepto jejunii, etiam qui lautius prandit, ut facilius sustineat laborem jejunii. Quantitas enim cibi in una refectione non taxatur præcepto jejunii, ut ait S. Th. *ibid.* Idem dicendum est de eo, qui pridie lautius cœnaret, aut postridie citius et largius jentaret.

Attamen, si quis gravi intemperantiæ excessu se cibo potuque ingurgitaret, eo præcise animo ut nullatenus difficultatem jejunii sentiret, peccaret contra legem, non præcise ratione quantitatis, sed ratione fraudis, quatenus ex intentione omnem jejunii difficultatem gravi excessu exstingueret.

Cæterum quantitas cibi ad refectionem sufficientis, non potest eadem omnibus taxari propter diversas corporum complexiones, ex quibus contingit quod unus majori, alter minori cibo indigeat.

15. — Hinc 2° frangit jejunium, qui sic dividit refectionem, ut non remaneat *moraliter una.*

Ex dictis enim unica refectio est primaria jejunii conditio, qua sublata, nemo unquam jejunare dicitur.

Porro, ut dignoscatur an remaneat vel non refectio moraliter una, attendendum est ad intentionem jejunantis et ad tempus, quod inter inchoatam et resumptam refectionem intercedit.

Scilicet, 1. qui sufficienter, licet non abunde refectus,

surgit a mensa cum animo finiendi, et postea iterum eidem vel alteri mensæ accumbit, quamvis intra tempus communiter concessum ad refectionem, quod est duarum horarum, frangit jejunium. Ita Layman, Sylvius, Billuart et alii communiter contra Lessium. In hoc enim casu refectio re et animo finita est, adeoque repetitio non censetur respectu hujus hominis continuatio prioris nec moraliter una cum illa, sed plures. Hanc tamen violationem quidam non admittunt, si convivæ adhuc comedant, vel si in mensa apponatur novum ferculum, quod ipse ignorabat apponendum; quia tunc moraliter idem censetur prandium. Ita S. Ligor., n. 1020.

2. Si interruptio sit unius quadrantis, etiam absque ratione, materia ne levis quidem est; si sit unius horæ, gravis est materia, juxta Billuart, levis autem juxta alios; si sit duarum horarum, juxta omnes materia est gravis.

3. Si interruptio gravi de causa habeatur, nullum est peccatum ad mensam redire, etiam mora notabili interposita, si refectio sufficiens deficiat. Ecclesia enim nunquam intendit ad diem sine sufficienti refectione transigendam obligare.

Unde, qui inter pocula et fercula confabulantur, nugantur, nuntios aut litteras legunt, modo refectionem non pertrahant ultra duas horas, non agunt contra legem jejunii, quia moraliter censetur una refectio.

Excusatur etiam ab omni culpa qui, ob impotentiam sive physicam sive moralem continuandi eamdem refectionem, hanc ita dividit, ut non remaneat moraliter una.

Et quidem ob impotentiam *physicam*, ut accidit plerumque in pauperibus, qui non habent unde unam integram refectionem simul et semel sumere possint. Sed insuper excusat impotentia *moralis* seu magna difficultas, quando, scilicet, non potest continuari eadem refectio absque aliquo gravi damno aut incommodo, v. g., si quis ex infirmitate non possit eodem tempore integram refectionem sumere; si Parochus, inchoata refectione, vocetur ad ministranda Sacramenta, quæ commode et sine periculo differri non possunt; si instet alia necessitas succurrendi

proximo periclitanti sive corporaliter sive spiritualiter; si inter prandendum occurrat mercatori occasio transiens aliquas merces notabiles vendendi, aut solutionem debitorum periclitantium recipiendi.

Minor autem requiritur causa ad dividendam refectionem quam ad eximendum a jejunio; item major vel minor requiritur hujusmodi causa, prout majus vel minus intervallum intercedit inter utramque refectionis partem.

16. — *Quæritur* 1° an parvæ comestiones quæ extra unicam refectionem et collationem, de qua infra, fierent, graviter frangant jejunium?

Resp. Illæ comestiones, in se leves, si seorsim sumantur, sunt peccata venialia; si vero eodem die sæpius sint repetitæ, in materiam gravem coalescere possunt, atque ita tollere jejunii difficultatem, ac si simul fierent. Unde damnata est ab Alex. VII hæc propositio : « In die jejunii, qui *sæpius* modicum quid *comedit*, etsi *notabilem* quantitatem in fine comederit, *non frangit* jejunium. »

Controvertitur autem quænam quantitas censeatur notabilis et ad peccatum mortale sufficiens. Juxta Billuart, notabilis est quantitas quæ æquivalet levi jentaculo, aut collationi, aut tertiæ parti refectionis. Procul dubio censenda est materia gravis, quæ vespertinæ cœnulæ addita alteram efficeret refectionem. Certo autem quantitas duarum unciarum ut levis materia habenda est.

17. — *Quæritur* 2° an qui *culpabiliter duplicem* sumpsit *refectionem*, graviter peccet, si tertiam supperaddat?

Resp. Controvertitur. Alii affirmant, eo quod præceptum de unica refectione, licet verba tenus videatur affirmativum, est tamen re et sensu negativum, atque huic propositioni æquivalet : *Non sumes plures refectiones;* et ideo obligat semper et pro semper, ita ut non solum per primum aut secundum actum ipsi oppositum violetur, sed per quoscunque sequentes. Ita Medina, Sylvius, Natalis Alex., Billuart.

Alii negant, quia præceptum jejunii utpote affirmativum

urget modo indivisibili, durante die præcepti; ergo, patrato semel peccato mortali per jejunii violationem, tota lex tali die urgens violata est; ac proinde, qui semel illud violavit, non peccat iterum atque iterum comedendo. Ita Durandus, Cajetanus, Navarrus, Lessius, S. Ligor., n. 1030, et alii sat communiter.

Hinc, ex priori sententia, qui inculpabiliter duplicem in die *refectionem* sumpsit, errore detecto, aut ablata causa excusante, tenetur sub gravi a tertia refectione abstinere; non tenetur autem ex posteriori sententia.

18. — *Quæritur* 3° quomodo jejunare debeat, qui culpabiliter vel inculpabiliter jentatus est ?

Resp. 1. Si mane sumpserit quantitatem vel duplici fere cœnulæ, vel consuetæ refectioni æquivalentem, tenetur, omisso prandio vespertinam tantum collationem sumere; eam tamen maturius, si absque difficultate exspectare nequit. Hanc insuper cœnulam pro necessitatis ratione augere potest.

2. Si jentaculum sumpserit æquivalens collationi, debet vespere cœnam prandere, vel a cœnula abstinere, ut salvetur unica refectio, inquantum potest.

3. Si tamen parum sumpserit, v. g., duas, vel tres, aut quatuor cibi uncias, debet ex more jejunare, quin refectionem ac cœnulam consuetis horis deserat; non enim fuit substantialiter læsum jejunium.

19. — *Quæritur* 4° an *potus* solvat jejunium?

Resp. Distinguendum est, scilicet, vel potus est proprie dictus seu ex natura sua et principaliter ordinatus ad refrigerationem et digestionem, licet aliquo modo nutriat; vel potus non est proprie dictus, sed ex natura sua et principaliter ordinatus per modum cibi ad sedandam famem et ad nutriendum.

Si prius, liquidum non frangit jejunium; si posterius liquidum frangit jejunium, ex communi Theologorum sententia, post S. Th. 2. 2, q. 147, a. 6, ad 2, 3. Jejunium enim non solvitur, nisi per ea quæ Ecclesia interdicere

intendit instituendo jejunium : porro intendit Ecclesia certum modum statuere manducandi, ut scilicet, semel in die jejunans manducet; ergo solvitur vel non jejunium, prout extra refectionem et collationem, aliquorum iteratur sumptio, quibus manducatio compleri solet, vel quorum usus communiter manducatio non vocatur. S. Th. *in 4 disp.* 15, q. 7.

20. — Hinc 1. vinum, cerevisia, sicera, aqua et alii similes liquores, non violant jejunium : « Theologi salvum et integrum jejunium, licet *qualibet* per diem *hora vinum* aut *aqua* bibatur, unanimiter declararunt, » ait Ben. XIV, *Inst.* 15, n. 7.

Frangunt autem jejunium lac, mel, jusculum, chocolatus, et similia, quia hæc licet non dicantur manducari, neque proprie potari, sed sorberi, potius tamen secundum se ordinantur ad nutritionem, quam ad refrigerationem et digestionem, et sic sunt magis cibus quam potus.

21. — Hinc 2. potus cafæi et theæ, quamvis aliquo modo nutriat, tamen probabilius non frangit jejunium. Secundum se enim potus ille sumitur ad refrigerationem, aut digestionem, et ideo est potus proprie dictus vel medicina. Secus autem, si multum sacchari admisceatur, et sumatur in magna quantitate. Ita Billuart, S. Ligorius, de thea loquens [1].

Idem dicendum est de potu aquæ saccharo immixtæ vel ex succis aureorum aut citreorum malorum effectæ, modo magna horum substantiæ copia non immisceatur, quæ rationem cibi habere censeatur; de electuariis, si per modum medicinæ, et in modica quantitate sumatur, ita ut « eis quasi aliis cibis non utamur ad famem exstinguendum, ait S. Th. *in* 1 *dist.* 15, q. 10, a 3. Sufficit autem quælibet causa rationabilis ad excusandum ab omni culpa, v. g., ciborum digestionem, stomachum confortandum, oris fœtorem tollendum, vocem conservandam, et similia.

1. Un litre d'infusion préparé avec 100 grammes de café moulu pour un litre d'eau contient, en moyenne, 20 grammes de substances alimentaires; la solution de chicorée en contient moitié moins.

22. — *Quæritur* 5° an potio chocolati in modica quantitate semel tantum in die sumpta, frangat jejunium?

Resp. Negative, ex consuetudine in Italia præsertim vigente et a superioribus non improbata. S. Pœnitentiaria interrogata an permitti possit, ut mane, diebus jejunii, in parva quantitate sumatur cafæum aut chocolatum cum frustulo panis, die 21 nov. 1845, respondit « eos, qui talem usum sequuntur, non esse inquietandos. » Generatim standum est locorum praxi et Ordinariorum interpretationi.

Juxta S. Ligor., n. 1023, cibi illius quantitas excedere non debet duarum unciarum pondus, præcisa aqua. Non pauci, imminuta chocolati prædicta quantitate, panem pro rata substituunt. Datur autem obligatio mane sumendi aliquid, si ad jejunium servandum necessarium sit. Similiter excusantur, qui aliquid sumunt, ne vires deficiant, quando prandium ultra horam communem differre debent.

PUNCTUM II

De Collatione.

Inquiri possunt collationis origo et licitas, ejusque conditiones respectu quantitatis et qualitatis ciborum. Unde

23. — *Quæritur* 1° quid sit collatio, ejus origo, et licitas?

Resp. 1. Collatio, quæ etiam dicitur cœnula, refectiuncula est modica sumptio leviorum ciborum ordinarie sub vespere facta diebus jejunii.

2. Diu fuit ignota in Ecclesia. Cum enim unica permitteretur refectio, quæ sumenda erat in Quadragesima, hora vespertina, et in aliis jejuniis hora nona, hoc est tertia postmeridiana, non erat collationi locus.

Huic verisimiliter occasionem præbuit usus apud quosdam monachos bibendi ante lectionem seu collationem spiritualem, quæ vespere ante Completorium fieri solebat. Deinde potui additum est frustulum vel panis vel alterius cibi, ne potus noceret. Et ne tempus officiis vitæ regularis destinatum in ea actione tereretur, lectionem seu collationem spiritualem, quæ in capitulo fieri solebat, his diebus

in refectorio habuerunt, et hunc ad refectorium aditum his verbis significabant : *ire ad collationem, ire ad lectionem collationum;* sicque nomen *collationis* ad serotinam illam refectiunculam translatum est. Ita Billuart.

Verum hæc collatio non in solo potu, adhibito frustulo alicujus cibi solidi per modum medicinæ, ne potus noceret, stetit, sed aucta est tandem ad aliquam nutritionem; ac per modum cibi sumpta cœnula evasit. Quandonam hæc initium habuit, non satis constat. Videtur quod tempore S. Thomæ, qui vixit ad annum 1274, nondum esset in usu; ubicunque enim S. Doctor agit de jejunio, nullam collationis mentionem facit. Probabile est tunc cœnulam fuisse introductam, quando anticipata est hora refectionis a vespere et tertia pomeridiana ad meridiem. Cum enim, si post tam maturam diei refectionem, homines nihil amplius cibi sumerent, difficile noctu somnum capere possent, laborique mane et vespere sufficienter incumbere, consequenter, consuetudine paululum invalescente, cœnula vespertina fuit introducta.

3. Quidquid sit de origine hujus cœnulæ, constat nunc ex universali consuetudine ab Ecclesia tolerata, imo tacite etiam approbata, licitam esse collationem, non solum ne potus noceat, sed etiam ad aliquam nutritionem. Revera, ut jam dictum est, consuetudo refectionem sumendi meridie, per se introducebat consuetudinem refectiunculæ ante somnum.

24. — *Quæritur* 2° quænam cibi quantitas in collatione apponi possit?

Resp. In his præcipue attendendum est consuetudinem locorum, complexionem cujusque, munera abeunda, durationem jejunii, etc.; ita ut, ex regula generali, licet sumere, quantum necessarium quis ducit ad vitandam indispositionem, quæ ipsum impedit quominus officia sua convenienter obeat.

Unde quantitas octo unciarum nemini deneganda videtur ex usu fere universali; major etiam quantitas concedenda est iis, quibus hæc non sufficeret. Sic in frigidioribus re-

gionibus plus concedi solet senili seu debili, quam adolescenti aut robusto; plus voraci quam fame carenti; plus per totam diem laboranti, quam otio tempus consumenti.

Cæterum omnes conveniunt excessum duarum unciarum esse materiam levem; non pauci ad excessum gravem requirunt quantitatem alteri dimidiæ cœnulæ, aut etiam alteri integræ cœnulæ æquivalentem, inter quos Billuart.

25. — *Quæritur* 3° quænam cibi *qualitas* adhiberi possit in collatione?

Resp. Hic etiam imprimis servanda est locorum consuetudo. Plura enim permittuntur in variis diœcesibus, vel provinciis, quæ alibi interdicuntur.

Porro 1. hodie commune est posse comedi panem, fructus, olera quælibet et dulciaria varii generis.

2. Variis in locis ex hodierna consuetudine licet sumere aliquid butyri, aut casei, non obstante decreto Benedict. XIV et Clem. XIII, a quo, virtute indulti, in Gallia quotannis dispensant Ordinarii. Ova autem cum sint maximæ substantiæ, a consuetudine communiter rejiciuntur, etsi plures contendant ova pro collatione non esse illicita.

Similiter in cœnula permittuntur pisciculi, præsertim exsiccati, et probabiliter etiam pisces majores, modo quantitas, sumpta duarum aut trium unciarum pondus non excedat. S. Ligor., n. 1028.

3. In collatione licet uti jusculo ex herbis coctis cum aqua, aceto, oleo, aut vino decocto, nisi consuetudo adversetur; et tunc nec aqua, nec vinum in pondus computanda sunt. Computandum est autem, quod non habet rationem potus, v. g., oleum, juxta Vivam et S. Ligor., n. 1029.

Tandem licet etiam sumere in cœnula panem cum aqua et oleo decoctum, sive panem jurulentum (*potage*). Talis est enim hodierna consuetudo, quam sequuntur etiam timorati, approbantque communiter recentiores Theologi.

Tunc autem non licet sumere octo uncias panis decocti cum aqua, hac præcisa, ait S. Ligor., *ibid.*; quia panis per decoctionem et fermentationem cum aqua, fit quid unum cum ista, ita ut una evadat substantia major. Unde alii sen-

tiunt licitas esse quinque aut saltem quatuor uncias panis decocti, non computata aqua, neque oleo. Si igitur quantitas panis imminuatur, quantitas aquæ crescere potest. Idem pariter dicendum est de aliis decoctionibus, v. g., ex hordeo, oryza, quæ minoris sunt nutrimenti quam panis.

NUMERUS II

De hora Refectionis et Collationis.

26. — *Quæritur* quanam diei hora refectio et collatio sumi debeant?

Resp. 1. Prioribus Ecclesiæ seculis, hora solvendi jejunii communis extra Quadragesimam erat nona, seu tertia post meridiem; intra Quadragesimam protendebatur ad vesperam seu post solis occasum.

2. Seculo decimo tertio mos obtinuit, ut omnia jejunia in distincte solverentur hora nona; constat ex S. Th. 2. 2, q. 147, a. 7, ubi etiam rationes congruentes affert. Scilicet illo seculo, extra jejunii dies, solebant homines refectionem sumere circa meridiem; et ideo, diebus jejunii, dilatio per tres horas erat aliqua notabilis castigatio carnis, quin tamen multum gravaretur natura. Sed etiam hora nona completa est passio Christi; ergo, cum jejunantes, carnem suam affligendo, passioni Christi conformentur, convenit ut carnem castigent usque ad horam nonam.

3. Nunc vero, ex universali consuetudine, hora solvendi jejunii est circa meridiem; in pluribus locis est hora undecima; hora autem collationis est vespere. In multis etiam locis ex consuetudine fieri potest collatio hora decima matutina, et refectio vespere. De hujusmodi inversione interrogata S. Pœnitentiaria, die 19 jan. 1834, respondit « non esse inquietandos pœnitentes, qui hoc more utuntur, si illius inversionis aliqua exstet rationabilis causa. »

Consuetudo autem solvendi jejunii circa meridiem paucis post annis a S. Thoma obtinuit, ut testatur Durandus ejusdem seculi scriptor. Cum enim nunc soleant homines relici, sive jentando, sive prandendo, circa nonam matutinam, hora conveniens solvendi jejunii est circa meridiem. Antiquæ tamen consuetudinis voluit Ecclesia manere quæ-

dam vestigia; unde in Quadragesima ante refectionem cantantur Vesperæ; in aliis jejuniis cantatur Nona.

Fideles autem in jejunio *naturali* servando, et in officio divino recitando, sequi tempus medium possunt, sed non tenentur, ex decis. S. Pœnitentiariæ, 29 nov. 1882. Idem proinde verum est de jejunio ecclesiastico. Tempus verum signatur meridiano alii loci, v. g., in Gallia signatur meridiano Parisiensi. In prima anni parte, tempus medium præcedit tempus verum; in alia anni parte, subsequitur.

Anteponendum est autem horologium publicum præ privato, signans tempus verum, aut medium, prout quis hoc vel illud sequitur; S. Pœnitent., 18 jun. 1873; S. Cong. Rit., 7 aug. 1875[1].

27. — *Quæritur* 2° an graviter peccet, qui horam refectionis notabiliter anticipat?

Resp. Non consentiunt auctores. Nam, juxta alios, hora refectionis non est jejunio essentialis conditio, sed accidentalis tantum, cum Ecclesia pluries circa illam variaverit; et ideo sub gravi non imponitur; ita Layman, Elbel et alii non pauci. Juxta alios autem, hora refectionis est jejunii essentialis conditio, vel saltem sub gravi præcipitur ab Ecclesia; ita S. Ligor., *Hom. Apost.* n. 21, Billuart. Hæc sententia præferenda videtur, nisi legitima locorum consuetudo contrarium permittat.

Juxta Sylvium, quem sequitur Billuart, anticipatio mediæ horæ est certo levis, anticipatio duarum horarum est certo notabilis, et anticipatio unius horæ est probabiliter nota-

1. Ex decis. S. Congreg. Rit., 6 febr. 1858, juxta relationem factam a P. Secchi, *ibid.*, pro regionibus ultra circulum polarem positis, retenta distributione horarum juxta romanum methodum, determinari debet meridies per transitum solis in meridiano locali; quod si tempus medium sequi placeret, adjici deberet consueta æquatio temporis medii.

Transitus autem solis per meridianum semper dignosci potest, tempore æstivo, per maximam ejusdem solis altitudinem; hiemali vero tempore, ex majori crepusculorum claritate, vel etiam melius ex stellarum observatione; namque nullus est incolatus locus, neque stabilis incolatus esse potest locus intra circulum polarem, in quo aliquis uti non possit hoc medio ad determinandum localem meridiem.

bilis. Sed hoc ultimum utpote durum non probat Billuart.

Excusat autem a lege et hora refectionis omnis legitima causa, quando, scilicet quis non potest sine gravi incommodo sumere refectionem hora solita, qualis est iter inchoandum, concio habenda, aliquod grave negotium tractandum, et similia. Cæterum major vel minor causa requiritur pro majori vel minori anticipatione; et eo majus vel minus est peccatum, quo plus vel minus causa accedit ad sufficientiam, vel ab ea recedit.

Quoad tempus per quod protrahi potest prandium, nihil absolute determinari potest; non absque culpa aliqua protrahi posse videtur ultra duas horas ad summum, juxta S. Ligor., Billuart, etc.

NUMERUS III

De abstinentia carnis in Jejunio.

PROPOSITIO

28. — *Singulis jejunii diebus, esus carnis præcepto Ecclesiæ interdicitur omnibus ratione utentibus.* Certum est.

Constat Traditione et constanti atque universali consuetudine. Hujusmodi abstinentiam suo tempore omnibus impositam ostendunt S. Chrysost. *Homil.* 1. in *Genes.;* S. August. Serm. 64, *de Tempore;* et eadem hactenus saltem in Jure admittitur.

Revera diebus jejunii Ecclesia intendit, ut apud omnes efficacius reprimentur concupiscentiæ carnis : atqui carnes animalium in terra quiescentium et respirantium magis conformantur corpori humano, et hoc ipso eum plus delectant, ad ejus nutrimentum magis conferunt, et ita carnis concupiscentias magis incendunt; ergo convenienter diebus jejunii omnibus præcipitur a carnibus abstinentia.

29. — Sed etiam, in Quadragesima, præcipitur abstinentia ab his quæ ex animalibus procedunt, scilicet, a lacticiniis et ab ovis, tum quia eumdem fere effectum producunt in corpore humano respectu concupiscentiæ, ac ipsæ carnes; tum quia tempus pœnitentiæ in Quadragesima est solemnius, n. 10. Unde damnata est ab Alex. VII sequens propositio :

« Non est evidens, quod consuetudo non comedendi *ova* et *lacticinia in Quadragesima obliget.* »

Abstinentia autem a lacticiniis et ab ovis non præcipitur in jejunio extra quadragesimale, ex communi consuetudine et sententia. Principalius enim et severius interdicuntur carnes, quam ova et lacticinia.

30. — Præterea, ex Constit. *Non ambigimus* Benedict. XIV, apponi non possunt pisces simul et carnes in eadem mensa, seu ex utroque hujusmodi cibo comedere non licet in eadem refectione, sive tempore Quadragesimæ, ipsis diebus Dominicis comprehensis, sive aliis diebus jeiunii extra Quadragesimam. Non convenit enim ut, tempore ad pœnitentiam specialiter destinato, quibuscunque delicatis alimentis utamur. Vide *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 422. Sub nomine *piscium* hic comprehenduntur ehcrasicholi (anchois), harengi (harengs), ostreæ (huîtres), cancri (écrevisses), ex decis. S. Pœnitentiariæ, 16 jan. 1854.

Hæc obligatio de non permiscendis piscibus cum carne attingit omnes illos, qui vi Indulti carnibus vesci possunt, etiamsi ex quacunque rationabili causa ad unicam comestionem non teneantur, ex decret. S. Officii 24 maii 1841, 23 jun. 1875. Vide *Acta S. Sedis*, t. 15, p. 144.

31. — Hinc 1. lege jejunii duplex imponitur præceptum, nempe ratione abstinentiæ cibi, et ratione abstinentiæ carnis; ita ut dispensatus vel impotens ad unum, non ideo ab altero excusandus sit.

Sed etiam toties peccat in die jejunii, quoties quis carnes comedit. Præceptum enim non comedendi carnes est negativum, atque ad integram diem se extendit; ergo per totam diem obligat.

32. — Hinc 2. qui die jejunii comedit carnes, aut ova, aut comedit carnes et pisces in eadem refectione, peccat graviter, si quantitas sit notabilis. Violat enim præceptum Ecclesiæ in re gravi, ut expresse declarat Benedict. XIV, in Epist. *Libentissime.* Facilius tamen levitas materiæ in lacti-

ciniis et ovis quam in carnibus admittenda est, cum, ex dictis, carnes principalius interdicantur, quam lacticinia et ova.

Attamen nunc in plerisque locis conceditur fidelibus generalis dispensatio a lege, qua sempore Quadragesimæ prohibentur ova et lacticinia, paucis diebus exceptis.

Imo in multis diœcesibus Episcopi, ex Indulto S. Pontificis, in esu carnis, pro præcipua parte Quadragesimæ dispensationem concedunt. Unde circa abstinentiam diebus jejunii servandæ sunt locorum consuetudines et Ordinariorum prescriptiones.

33. — De esu carnium diebus jejunii sequentes exstant decisiones a S. Pœnitentiaria prolatæ :

1. Non gula, nec avaritia, nec generatim expensarum compendium eximere possunt a præcepto abstinentiæ in diebus esurialibus, sed infirmitas ut aliud quodcunque rationale impedimentum.

2. Potest personis, quæ sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrisfamilias indultis, adjecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis, n. 30, et de unica comestione in die iis, qui jejunare tenentur; et hæc decisio valet ubique terrarum; atque ad licitatem sufficit permissio facta a simplici confessario.

Attamen præfata decisio intelligi debet non de omnibus membris ejusdem familiæ, sed de iis tantum qui sub potestate sunt, et debent vesci cibis a parentibus datis; ita ut ratio illius permissionis sit impotentia in qua versantur filiifamilias observandi præceptum, non autem Indultum patrisfamilias. Unde, speculative loquendo, non possunt filiifamilias edere carnes tempore vetito, præsupposita ejusmodi facultate in ipsis parentibus, vel in horum uno; sed practice confessarius dijudicare tenetur. Ita 16 jan. 1834, 27 maii 1863, 20 apr. 1863.

3. Fideles, qui, ratione ætatis, valetudinis, vel laboris, jejunare non tenentur, licite possunt in quadragesima, cum Indultum concessum est, omnibus diebus Indulto compre-

hensis vesci carnibus aut lacticiniis per idem Indultum permissis, *quoties per diem* edunt. Ita S. Pœnit., 1834, 16 mart. 1882.

Quæ autem verba : *quoties per diem edunt,* applicationem non habent, ubi Episcopus, auctoritate Apostolica, concedit fidelibus ut feria 2ª, 3ª, 5ª Quadragesimæ possint *semel* in die vesci carnibus et ovis; iis vero, qui ratione ætatis vel laboris jejunare non tenentur, permittit ut *ovis sæpius in die* utantur.

Nec iis qui jejunare non tenentur ratione ætatis vel laboris, æquiparandi sunt, qui ratione infirmæ valetudinis, a jejunio excusantur. Priores enim uti possunt cibis vetitis vi Indulti, quod subjici potest majori vel minori limitationi; posteriores vero possunt uti cibis vetitis juxta statum propriæ valetudinis, et medici judicium. Ita die 27 maii 1863, et 8 mart. 1864.

4. Illis quibus licitus est esus carnium diebus, quibus utuntur tantum lacticiniis, possunt uti condimento laridi liquefacti. Ita die 8 feb. 1828.

5. Qui ad jejunium tenentur, licite uti possunt, in serotina etiam refectione larido liquefacto titulo condimenti et aliis condimentis in Indulto permissis, quia illa, vi Indulti, olei locum tenent, dummodo in Indulto non sit posita restrictio, quod ea condimenta adhiberi possint in unica comestione. Ita 16 jan. 1834.

6. In concessione condimentorum, utendum est tantum condimento suino, (vulgo *de graisse*) nec comprehenditur jusculum carnis coctæ. Ita ibidem S. Congreg. Vide dehis omnibus *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 422.

§ III

De causis a Jejunio excusantibus.

Tres sunt causæ a jejunio excusantes, scilicet, dispensatio, impotentia physica, impotentia moralis.

34. — I. *Dispensatio.* S. Pontifex a jejuniis pro universa Ecclesia dispensare potest, et quidem valide etiam sine justa causa, quamvis non licite.

Episcopus cum subditis suis pro casibus occurrentibus, dispensare potest, ex juxta causa; non autem generaliter seu quoad diœcesim aut totam aliquam civitatem, juxta communiter auctores, ob Benedict. XIV Bullam *Libentissime*, 10 jun. 1745, in qua expresse asseritur id non posse Episcopos absque Indulto.

Parochi, jure consuetudinis possunt ex justa causa dispensare in jejuniis cum suis subditis particularibus, non vero pro tota parochia; nimis enim grave foret ex locis remotis adire Episcopos ad obtinendam dispensationem, cujus necessitas ocurrit in diem.

Id possunt etiam Vicarii Parochorum, qui exercent actus parochiales jurisdictionem exigentes, nisi Parochi expresse repugnent; S. Ligor. n. 1052. Idem possunt confessarii cum suis pœnitentibus, ex decis. S. Pœnitent., 27 maii 1803.

Possunt etiam dispensare cum suis subditis et adhuc cum semetipsis, omnes Prælati religiosorum etiam inferiores, atque vicarii Superiorum localium. Regulares enim Superiores veram habent jurisdictionem spiritualem supra subditos suos, ut eis provideant in illis, quæ ad ipsorum bonum regimen pertinent. S. Ligor. *ibid.*

35. — II. *Impotentia physica*, scilicet, ratione ætatis, infirmitatis, et paupertatis.

1° Ratione *ætatis*, omnes juvenes etiam viribus validiores, a jejunio eximuntur ante vigesimum primum ætatis annum completum. Talis est enim universalis et constans consuetudo. Revera juvenes crebriori et copiosiori cibo indigent, tum propter debilitatem naturæ, tum propter necessitatem augmenti. Suadendum est tamen juvenibus, ut, pro modo suæ ætatis, interdum jejunent, quo efficacius concupiscentiam refrænent, et, cum tempus obligationis advenerit, jejunii legem facilius exsequantur. S. Th. 2. 2, q. 147, a. 4, ad 2.

Senes quicunque viribus debiles, certe a jejunio eximuntur; et idem verum est in dubio de validitate virium.

Plures etiam contra alios sentiunt senes sexagenarios,

etsi viribus polleant, a jejunio excusari, tum quia talis esse videtur universalis consuetudo, tum quia in hujusmodi senibus, licet actu validis et robustis, robur est de facili illusivum et inconstans, unde adagium : *senectus ipsa morbus est.* Ita S. Ligor., Sanchez, Salmatic., etc., contra Layman, Antoine, Collet, etc. Quidquid sit, septenarii certe excusantur, et minor causa dispensationis totalis vel partialis est a sexagenariis exigenda.

2° Ratione *infirmitatis*, a jejunio excusantur ægroti, infirmi, convalescentes et debiles, qui, v. g., propter inediam, vehementes capitis aut stomachi dolores pati solent; mulieres gravidæ aut lactantes, quæ uberiori et frequentiori cibo indigent.

3° Ratione *paupertatis*, a jejunio excusantur, qui nec habent, nec habere possunt unde æquam refectionem comparent, ad quam non sufficiunt panis et fructus, nec offa cum pane et fructibus, nec panis et vinum tantum, nisi forte uno aut altero die.

56. — III. *Impotentia moralis*, seu grave incommodum aut magna difficultas extrinseca ratione laboris, peregrinationis, aut pietatis,

1° Ratione *laboris*. Equidem omnes artificiales, qui in republica corporaliter laborant, non excusantur a jejunii præcepto. Hoc enim damnatum est ab Alex. VII. Sed ab obligatione jejunii eximuntur, qui exercent opera admodum laboriosa, ut arare, fodere, secare lapides, onera gravia portare : famuli et famulæ aut alii ejusmodi, qui vehementer tota die incumbunt majoribus laboribus; et id probabiliter verum est de fabris, artificibus et aliis, etsi sint adeo robusti, ut jejunare sat facile possint; quia « in praxi vix reperietur unus, qui ex hujusmodi labore non graviter relaxetur, » ait S. Ligor. n. 1043, Excusantur etiam opifices diebus, quibus a labore abstinent, si uno vel altero tantum die labores intermittant, ratione reficiendæ lassitudinis, et servandarum virium ad proximos labores sustinendos.

Non excusantur autem tonsores, sartores, pictores,

scribæ, famuli, pedisequi, typographi, qui prælum non versant, sed characteres tantum disponunt, cæterique similibus operam dantes; nec qui laborem inusitatum et cum jejunio incompossibilem sine justa causa assumunt.

2° Ratione *peregrinationis*, eximuntur qui, justa de causa, suscipiunt iter quinque ferme leucarum, vel solum duarum leucarum, si per ardua via foret, vel tempestas immitis, aut viator debilis itinerique non assuetus. Secus vero, si peregrinatio, cum jejunio incompossibilis, non esset ex justa et sufficienti causa.

3° Ratione *pietatis* et *caritatis* a jejunio excusantur 1. concionatores, qui quotidie, vel fere quotidie concionem habent; a fortiori missionarii, qui graviori defatigatione in missionibus exercentur. Non excusantur autem, qui tantum ter aut quater in hebdomada concionantur, nisi ita debiles fiant, ut nequeant jejunium perferre. S. Ligor., n. 1049. Idem dicendum est de advocatis, cantoribus, etc.

2. Magistri variarum scientiarum, etiamsi per unam tantum horam singulis diebus doceant, si magno studio et labore indigeant ad lectiones parandas; magistri etiam grammaticæ, si per quatuor vel quinque horas doceant, eximuntur juxta Sanchez, contra Salmant, et alios non paucos, quorum plures volunt hos magistros tribus diebus in hebdomada jejunare.

3. Confessarii, cum extraordinarium laborem subeunt, nempe, si confessiones audiant per septem aut octo horas; vel si ita sint debiles viribus, ut sine gravi incommodo pœnitentium frequentiæ satisfacere nequeant. Idem dicendum est de iis, qui pluribus infirmis cum magno labore in hospitiis aut monasteriis inserviunt.

Tandem, si quis non habet causam absolute sufficientem ad eum excusandum a jejunio quadragesimali, et aliqua ratio ipsi probabilis et justa appareat, qua tantum bis vel ter in hebdomada jejunet, non est urgendus ad jejunandum, etiamsi illa causa non omnino sufficiat, sed relinquendus in bona fide, ne ipse forte deinde omnia jejunia culpabiliter omittat. S. Ligor., n. 1049.

ARTICULUS III

De præcepto Abstinentiæ.

PROPOSITIO

37. — *Omnes fideles tenentur abstinere ab esu carnium feria sexta, et etiam, in multis regionibus, sabbato.*

Constat universali constantique consuetudine, variis SS. Pontificum Constitutionibus, Ritualibus, Catechismis, et omnium Theologorum consensu.

Et vero, abstinentia feriæ sextæ est ubique in usu ab antiquissima ætate, et a jejunio prioribus Ecclesiæ seculis non separabatur. Quæ sabbatum spectat, non est ita vetus, nec unquam ubique viguisse omnes fatentur. Primum invaluit in Oriente, postea apud Latinos in plerisque locis. Undecimo seculo nondum exstabat Romæ.

Feriæ sextæ abstinentia instituta fuit, ut testantur S. August., Innocent. I et alii, in honorem et ad imitationem passionis et mortis Christi; sabbati autem abstinentia, in honorem sepulturæ Christi, et in præparationem ad diem Dominicam, quæ est Christi Resurrectionis commemoratio. Vide Tract. *de Decalogo*, n. 148.

Abstinentia, quæ *pluribus in locis* obtinuit in Festo sancti Marci ac triduo Rogationum, instituta est ut facilius flecteretur Deus, et exaudirentur solemnes preces quæ iisdem diebus fiunt, maxime ut Omnipotens fructus terræ, qui grave ea tempestate periculum subeunt, dare et conservare dignetur.

Ex decis. S. Officii, 10 jan. 1855, dispensatio ab esu carnium pro die Sabbati data pro pluribus locis a S. Pontifice, est localis, non personalis; et ideo lege abstinentiæ adstringuntur, qui die sabbati peregrinantur in loco, ubi hactenus viget lex illa.

38. — Hinc præceptum abstinentiæ *per se* obligat sub gravi, quia materia est per se gravis; per accidens autem materia levis esse potest. Sic juxta omnes, gravis est materia quantitas carnis, quæ notabiliter nutrit.

Similiter mortale est vesci offa, lactucis, etc., carne vel

sagimine conditis, si ille cibus sit notabiliter jurulentus, vel si jus offæ cum magna carnis quantitate decoctum fuerit, et sic de aliis, n. 33, ad 6. Facilius autem excusantur a gravi, vel etiam a levi peccato, pauperes, qui, cum butyrum emere non valeant, exigua sagiminis quantitate ad condiendam offam utuntur.

39. — *Quæritur* quænam causæ a lege abstinentiæ excusent?

Resp. Tres sunt causæ, scilicet, dispensatio, impotentia physica, impotentia moralis. Unde quæ diximus de causis a jejunio eximentibus, n. 34, 35, 36, vera sunt etiam, proportione servata, de abstinentia.

Videlicet, a lege abstinentiæ excusantur, 1. qui dispensationem a S. Pontifice, vel ex justa causa ab Episcopo, vel a Parocho obtinuerunt.

2. Ægrotantes, vel qui stomacho ita debiles sunt, ut cibos licitos digerere nequeant. Sed, ut ab hallucinatione caveatur, medici religiosi et timorati consulendi sunt, si facile fieri potest.

Pauperes mendicantes, vel pauperes operarii, qui nihil aliud habent nisi frustulum sagiminis aut laridi ad offam aut lactucas temperandas.

3. Qui quotidie operam dant laboribus adeo arduis et stomachum defatigantibus, ut, ægrotantium instar, famem non experiantur, cibosque respuant, n. 33.

Viatores qui, præter cibos vetitos, nihil in cauponis reperiunt, neque alio facile divertere possunt. Serio tamen et instanter cibos licitos petere tenentur.

Milites in castris vel contuberniis versantes, et expensis Gubernii in communi nutritis.

Et hæc de Ecclesiæ Præceptis; quæ si, quisque fideliter custodiat, facilius præceptis et consiliis evangelicis obtemperabit, tutiusque immarcessibilem coronam servo fidei et prudenti promissam percipiet.

FINIS TRACTATUS DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

De justitia next volume.

TRACTATUS

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

OBJECTUM, UTILITAS, DIVISIO TRACTATUS

1. — Ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 316, et *de Virtut.*, n. 3, *morales* virtutes ad quatuor præcipuas reduci possunt, quæ ideo vocantur *Cardinales*, nempe Justitia, Prudentia, Fortitudo, et Temperantia. De Justitia autem jam dictum est in Tract. *de Decalogo*, n. 251 et seq., et in Tract. *de Justitia* et *de Contract.* Superest igitur ut disseramus de virtutibus Justitiæ annexis, et de tribus cæteris virtutibus Cardinalibus.

ARTICULUS PRIMUS

De virtutibus Justitiæ annexis.

2. — *Quæritur* quid et quænam sint virtutes Justitiæ annexæ?

Resp. Virtutes Justitiæ annexæ illæ sunt, quæ versantur circa aliquod debitum ad alterum, sed quod non est tam rigorosum quam debitum Justitiæ, vel quod adeo magnum est, ut nequeat reddi ad æqualitatem; propterea virtutes illæ dicuntur *Justitiæ species imperfectæ*.

Præcipuæ hujusmodi virtutes sunt Religio, Pietas, Observantia, Obedientia, Gratitudo, Affabilitas, Liberalitas, Veracitas, Vindicatio, Pœnitentia. De his omnibus breviter dicemus.

3. — Religio est *virtus inclinans voluntatem ad tribuendum cultum latriæ Deo debitum*. Hæc virtus inter partes justitiæ primum locum obtinet, quippe quæ *primum* et *summum*

debitum, quod in creatura rationali oriri possit, respiciat; Religio enim est justitia quædam creaturæ ad Deum, qua hæc suo Creatori debitum cultum et honorem persolvit. De ea fuse agitur in Tract. *de Decalogo*, n. 73. Ei opponuntur *Irreligiositas* et *Superstitio*.

4. — PIETAS duplex est, *religiosa* et *filialis;* illa cum Religione confunditur; ista vero definitur : *virtus per quam tribuitur debitus cultus* tum *parentibus* tanquam vitæ et educationis post Deum auctoribus; tum *patriæ*, quia patria aliquo modo est principium ortus, eo quod parentes foveat, et idonea ad ortum et educationem suppeditet; tum *etiam aliis consanguineis*, ob conjunctionem quam habent cum parentibus.

Consistit hic cultus sive in honore parentibus suo tempore et loco deferendo, sive in obsequiis et necessariis vitæ subsidiis præstandis, ex S. Aug., q. 51. Vid. Tract. *de Decalogo*, n. 242.

5. — Ad Pietatem accedit OBSERVANTIA, quæ definitur : *virtus per quam defertur cultus*, hoc est, honor et obsequium *superioribus, ob eminentiam conjunctam cum beneficio gubernationis, atque etiam aliis personis virtute, sapientia, aut dignitate conspicuis;* quatenus ratione talis perfectionis idoneæ sunt ad nos gubernandum, seu dirigendum, saltem exemplo suo vel consilio. Duplex est, nempe *politica*, qua ob dignitatem politicam vel excellentiam humanam, et *religiosa*, qua ob dignitatem vel perfectionem supernaturalem cultus defertur. Tract. *de Decalogo*, n. 245.

6. — Observantiam consequitur OBEDIENTIA, quæ triplex est : alia est *virtus generalis inclinans ad observandum quodvis præceptum, ex quovis motivo bono :* et sic obedire pertinet ad quamlibet virtutem, ex cujus motivo mandatum servatur. Ei opponitur *Inobedientia generalis*, quæ est vitium generale, *consistens in cujusvis præcepti violatione, ex quovis motivo :* ideoque est peccatum mortale in re gravi, veniale in levi, et includitur in omni peccato tanquam ratio generica.

Alia Obedientia, *stricte sumpta*, est virtus specialis *inclinans subditum ad exsequenda præcepta superiorum, quia præcepta sunt.* Ei opponitur *Inobedientia formalis*, quæ est *violatio præcepti, quia præceptum est :* unde semper mortalis est, etiam in re levi, quia non est contemptus præcepti, sed potestatis præcipientis; nam nolle obedire præcepto quia præceptum est, est contemnere potestatem unde manat, quod de se grave est.

Alia Obedientia, *minus stricte* sumpta, est virtus *qua quis voluntati superioris se accommodat, sive iste præcipiat, sive non.* « Voluntas enim superioris, quocunque modo innotescat, est quoddam tacitum præceptum; et tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptum obediendo prævenit, voluntate superioris intellecta, » ait S. Thomas, 2. 2, q. 104, a. 2. De hujusce virtutis fundamento dicitur in Tract. *de Legibus*, n. 2, et *de Decalogo*, n. 250.

7. — Gratitudo est *virtus inclinans ad compensandum beneficium acceptum, quantum et ubi recta ratio postulat.* Ejus officia sunt 1. in *mente*, beneficii æstimatio; 2. in *verbis*, gratiarum actio, grata commemoratio; 3. in *factis* repensio beneficii pro loco et tempore.

Ei opponitur *Ingratitudo*, quæ est peccatum, cum disconveniat naturæ rationali ut rationali, et opponatur virtuti : « Ex hoc enim aliquid dicitur esse peccatum, quod virtuti contrariatur; » ait S. Thom. 2. 2, q. 148, a. 1.

Sicut autem Gratitudinis assignantur tria officia, ita Ingratitudinis ponuntur tres gradus, nimirum denegare officia *operum, verborum* et *animi*, quæ postrema ingratitudo pessima est. Præter hos gradus qui negativi sunt, etiam positivi numerantur saltem duo, scilicet, lædere benefactorem, et ejus beneficia contra ipsum convertere.

8. — Affabilitas est *virtus, quæ totam conversationem nostram cum proximo, consistentem in colloquiis, convictu, et actionibus quibus cum illo tractamus, ita moderatur, ut ei grata sit, servato tamen decori ratione :* efficitque ne nimis blande, nimis aspere in congressibus nos geramus.

Ei opponuntur, per excessum, *Blanditiæ* et *Adulatio* quæ est nimia et indecora ad homines accommodatio : per defectum, *Morositas*, qua proximo *molestia* et *tædium* in ongressibus affertur.

9. — Liberalitas est *virtus, quæ reddit nos faciles et promptos ad divitias impendendas, quantum et quando recta ratio dictat.* Unde ad ejus officium pertinent, 1. moderatio affectus divitiarum secundum rectam rationem; 2. largitio, et modus debitus in ea servandus.

Ei opponitur, per defectum, *Avaritia*, de qua dictum est in Tract. *de Peccatis*, n. 94. Per excessum, *Prodigalitas*, quæ consistit in defectu conservandi et excessu erogandi. Quamvis hæc sit sæpe venialis, quatenus cum sola liberalitate pugnat, est tamen mortalis culpa, cum quis inde se reddit impotentem ad solvenda debita, ad sustentandam convenienter familiam, ad eleemosynas erogandas, etc., vel etiam ratione finis, periculi, scandali, etc. Ad liberalitatis exercitium pertinent quæ diximus de Eleemosyna, in Tract. *de Decalog.*, n. 183.

10. — Veritas in dicendo, seu Veracitas est *virtus qua inclinamur ad semper loquendum conformiter menti nostræ;* unde facit ut recte utamur signis ordinatis ad mentem alteri patefaciendam, de qua, Ephes. 4, v. 25 : *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo; quoniam sumus invicem membra.*

Officia *Veracitatis* sunt : 1. priusquam affirmes vel neges quidpiam, veritatem inquirere; 2. præcipitantiam, temeritatem et deceptionem cavere; 3. fideliter mentem exprimere, *cum ratio et occasio id postulant;* hæc autem additur restrictio, quia officium veracitatis non requirit ut semper et ubique veritas pandatur; opus enim est aliquando veritatem quampiam silere et occultare. Hinc

Vitia Veracitati opposita sunt mendacium, hypocrisis, et jactantia. De mendacio fusius diximus in Tract. *de Decalogo*, n. 256. De hypocrisi et de jactantia dictum est in Tract. *de Peccatis*, n. 79.

11. — Vindicatio est virtus, *qua malum pœnale pro peccato infligitur;* quæ quidem vindicatio nomine Dei fit. Recedit ab hac virtute per excessum, *ob crudelitatem* et sævitiam; per defectum autem, ob nimiam in puniendo *remissionem.*

12. — Pœnitentia est virtus, *qua homo movetur ad peccatum suum, ut Dei offensam, detestandum, cum emendationis et satisfactionis proposito.* Fluit ex justitia vindicativa, quatenus hæc respicit peccata propria subjecti cui inest. Vid. Tract. *de Pœnit.*, n. 29, 43. Ei opponitur *Impœnitentia,* seu cordis obduratio.

ARTICULUS II

De Prudentia.

Circa Prudentiam tria quæruntur, scilicet, 1° ejus natura et actus; 2° ejus partes; 3° vitia ei opposita.

13. — *Quæritur* 1° quid sit Prudentia, et quinam sint ejus actus seu functiones?

Resp. 1° Prudentia est virtus *disponens ad cognoscendum* et *eligendum quid in quavis particulari actione agendum sit, tanquam honestum, vel fugiendum tanquam turpe, in ordine ad finem ultimum* : nam agitur hic de perfecta Prudentia, quæ, proposito vero et ultimo fine totius vitæ humanæ, nempe Deo seu Dei gloria et possessione, præscribit media ad hunc finem apta. Hinc patet quam sit necessaria : *Oculi tui recta videant;* Prov. 4, v. 25. — *Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei;* Ephes. 5, v. 17.

Est autem virtus moralis tum *objective*, quatenus versatur circa moralem materiam, decernendo et dictando quid virtus moralis prosequi, et quid fugere debeat; tum *directive*, quatenus dirigit voluntatem ad eliciendum actus semper honestos, et ad fugiendum inhonestos. Non residet tamen in voluntate, sed in intellectu; unde dicitur *virtus intellectualis, morum doctrix.*

2° Actus seu *functiones* Prudentiæ sunt præcipuæ tres : 1. inquirere de mediis; 2. judicare de inventis; 3. inventa

et judicata applicare; vel bene consulere, recte judicare, præcipere exsecutionem. *Bene* dicitur, id est, cum debita sollicitudine, et cura proportionata tum objecto, tum personæ capacitati.

14. — *Quæritur* 2° quænam sint partes integrantes, subjectivæ et potentiales Prudentiæ?

Resp. 1° Partes *integrantes* Prudentiæ, a S. Thoma commemoratæ, 2, 2, q. 48, sunt : 1. *memoria*, id est præteritarum rerum recordatio; 2. *intelligentia*, id est, præsentium notitia; 3. *providentia*, seu futurarum præscientia; 4. *ratio*, scilicet, illius quod agendum est, ex præteritis, præsentibus et futuris colligendi facilitas; 5. *docilitas*, seu bonus affectus mentis ad aliorum monita et consilia excipienda; 6. *solertia*, cui adjungenda est *sagacitas*, nimirum facilis excogitatio, et applicatio mediorum ad finem; sagacitas enim invenit, solertia vero feliciter adhibet; 7. *circumspectio;* seu attenta circumstantiarum omnium consideratio; 8. denique *cautio*, vel cura et sollicitudo omnia vitandi incommoda, quæ susceptum negotium interturbare possunt.

2° Partes *subjectivæ* seu species Prudentiæ plures distinguuntur. Etenim, ratione *principii elicitivi*, Prudentia dividitur in *naturalem* seu acquisitam, et in *supernaturalem* seu infusam.

Ratione *objecti*, Prudentia alia est *personalis* seu monastica, per quam quis regit seipsum, proprium intendens bonum; et alia *gubernatrix*, per quam regitur multitudo cujus bonum quis, ut præpositus, procurare tenetur; ista autem est vel *œconomica*, qua gubernatur familia, vel *politica*, qua civitas dirigitur.

Sed hæ species inter se non differunt intrinsecus, et ratione principii, nempe mentis ordinem amantis; sed extrinsecus tantum, et ratione objecti, circa quod versantur. Imo discrepant tantum ratione objecti *materialis*, nempe ratione actuum qui fiunt vel a familia, vel a civitate, non ratione *objecti formalis;* siquidem ii omnes actus a Prudentia sive monastica, sive œconomica, sive politica spectan-

tur *quatenus ad honestatis regulas sunt conformandi.* Unde eadem reipsa Prudentia est qua quis tum seipsum, tum alios dirigit; sive ea quæ alios dirigit sit *œconomica*, seu familiæ gubernatrix, sive *politica* seu civitatis directrix, sive *nomothetica* seu legum conditrix, sive *dicastica* seu judicatrix. Præcipua autem Prudentiæ species ea est, qua sibi suisque rebus quis prospicit; unde ea simpliciter Prudentia appellari solet, aut debet.

3° Partes *potentiales* sunt : *eubulia*, seu habitus bene consultandi; *synesis*, seu habitus bene judicandi; *gnome* seu habitus discernendi quid sit agendum *præter communes regulas*, seu per epikeiam a lege excipiendi. In his enim singulis aliquid Prudentiæ, sed non tota ejus ratio invenitur; de quibus vide S. Th. 2. 2, q. 51.

15. — *Quæritur* 3° quænam sint vitia Prudentiæ opposita?

Resp. 1° Alia sunt per *defectum*, scilicet 1. *Præcipitatio* et *Inconsideratio*, quæ sunt peccata ejusdem speciei et gravitatis, cujus sunt illa quibus homo se exponit, præcipitanter et inconsiderate judicando, vel agendo : nam eodem præcepto prohibentur. 2. *Inconstantia mentis*, qua sine justa causa mutatur sententia; est mortalis, quando quis ex voto vel caritate, vel alio præcepto tenetur graviter perseverare in sententia. 3. *Negligentia*, quæ est mortalis vel venialis, prout quis negligit id ad quod graviter vel leviter obligatur, aut adit periculum graviter vel leviter peccandi. Circa vitia hæc seu peccata et eorum causam effectusque, vide quæ dicuntur in *Institutionibus philosophicis* ubi de *causis errorum*, et in Tract. *de Actibus hum.*, n. 101, 104, 110, et in Tract. *de Peccatis*, n. 34.

2° Alia sunt vitia opposita Prudentiæ per *excessum*, seu potius, per quamdam speciem vanam imaginemque Prudentiæ, sive ex parte *finis*, sive ex parte *mediorum*, sive ex parte *modi*. Etenim vel 1. studium rationis ordinatur ad finem qui non est vere bonus, et tunc vocatur *Prudentia carnis*, quæ, *proposito malo fine*, nempe bono creato inordinate expedito, *præscribit media ad hunc finem assequendum*

apta. Est mortale ei obsequi in re gravi : nam, Rom. 8, v. 6, *Sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subjecta*. Vel 2. aliquis ad finem aliquem, sive bonum, sive malum consequendum utitur non veris mediis, sed simulatis et apparentibus, et hoc pertinet ad *Astutiam*, quæ definitur : *notitia mediorum pravorum, occultorum, ad fallendum aptorum, cum affectu exsequendi conjuncta*. Est mortalis vel venialis pro ratione affectus, cui subest, et damni quod proximo obvenit, et pravitatis medii. Ad hanc revocantur *dolus* et *fraus*, quæ in eo inter se differunt, quod dolus sit astutiæ exsecutio tum verbis, tum factis, fraus autem solis factis. Vel 3. aliquis plus æquo sollicitus est de iis acquirendis vel conservandis, quæ non sunt tantæ necessitatis, et cadit in vitium quod dicitur, *Nimia sollicitudo temporalia acquirendi*, vel *conservandi*. Hæc prohibetur, Matth. 6, v. 25 : *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, etc.* Mortalis est, cum ex illa sollicitudine violatur gravis obligatio; vel cum in ea re creata ponitur finis ultimus, ut facit is qui affectu illius peccat mortaliter, vel sic peccare paratus est, potius quam re illa carere.

16. — *Nota* 1. Axiomata quædam Prudentiæ celebrantur ut hæc Philosophorum : *Respice finem; Nosce teipsum; Festina lente;* et hæc Spiritus Sancti : *Consilium semper a sapiente perquire*, Tob. 4, v. 19; *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, Prov. 3, v. 5; *Verba prudentum statera ponderabuntur*, Eccli. 21, v. 28; *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ*, Math. 10, v. 16.

17. — *Nota* 2. Spiritus Sancti donum quod dicitur *Consilii*, respondet virtuti Prudentiæ. Etenim Prudentiæ, quæ importat rationis rectitudinem in agilibus, maxime perficitur et juvatur secundum quod regulatur et movetur a Spiritu Sancto : quod pertinet ad donum consilii. Unde donum consilii pertinet ad Prudentiam, sicut ipsam adjuvans et perficiens. Vide Tract. *de Gratia*, n. 521.

ARTICULUS III

De Fortitudine.

Circa Fortitudinem inquiritur 1° de ejus natura, objecto et actibus; 2° de vitiis ei oppositis; 3° de virtutibus eidem annexis, seu de partibus potentialibus.

18. — *Quæritur* 1° quid sit Fortitudo, quodnam ejus objectum, et quinam ejusdem actus?

Resp. 1° Fortitudo, in genere, est *firmitas animi in operando bono :* hoc sensu est vel virtus generalis, vel potius conditio omnis virtutis. *Speciatim* vero accepta, est virtus dignitate tertia inter quatuor cardinales, pertinens ad appetitum irascibilem, quæ impedit ne rebus arduis et terribilibus homo pravo timore aut temeritate quidquam agat aut omittat contra rectam rationem et legem divinam. Quare moderatur timorem, audaciam, et tristitiam in gravibus malis, et periculis præsertim mortis.

Itaque Fortitudo est *virtus moralis inclinans voluntatem ad aggredienda pericula et ardua, ad perferendum labores et gravia mala, secundum rectam rationem et voluntatem divinam.* De qua virtute agit S. Paulus, Ephes. 6, v. 10-13, his verbis : *Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli..., ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare...* Et, I Cor. 16, v. 13 : *State in fide, viriliter agite, et confortamini.*

2° Ex definitione ipsa Fortitudinis colligitur quodnam sit ejus *objectum* sive materiale sive formale. Objectum materiale *remotum* sunt omnes res arduæ vel difficiles, præcipue *pericula mortis; proximum* autem est motuum timoris et audaciæ atque etiam tristitiæ moderatio : dum enim malum superari non potest, Fortitudo moderatur tristitiam in sustinendo et patiendo suboriri solitam. Objectum vero *formale* est honestas quam continet firma animi in arduis aggrediendis sustinendisque constantia.

3° Duo igitur sunt Fortitudinis *actus* seu munia, scilicet,

aggressio et *perpessio;* unde Fortitudo dicitur gladius simul et clypeus animi.

Præcipuus autem actus Fortitudinis est *martyrium, quod definitur : perpassio voluntaria mortis vel cruciatus de se mortiferi, pro Christi fide, aut virtute christiana.* Quid vero requiratur ut martyrium *adultorum*, de quo solo hic agitur, efficax sit ad salutem, et quinam sint ejus effectus, vide Tract. *de Baptismo*, n. 38 et seq.; S. Th. 2. 2, q. 124.

19. — *Quæritur* 2° quænam sint vitia Fortitudini opposita?

Resp. Peccatur contra Fortitudinem per excessum et per defectum timoris, aut audaciæ : unde quatuor sunt vitia ei opposita. 1. *Timiditas* seu timor inordinatus, cum timetur aliquod, vel quando non oportet, vel plus quam oportet. 2. *Stupiditas animi*, quæ est defectus timoris rationabilis, ut cum quis mala seu pericula non formidat nec cavet, quæ vel quando, vel quantum oportet formidare et cavere. 3. *Temeritas*, quæ est excessus in audendo vel aggrediendo, ubi, quomodo non oportet. 4. *Ignavia*, quæ est defectus audendi, ut cum quis non aggreditur vel non sustinet quod et quando recta ratio dictat sustinendum esse.

Hinc intelligitur opus veræ Fortitudinis esse quasi compositum ex passionibus timoris, audaciæ vel iræ, et ex rectitudine rationis eas temperantis conflatum.

20. — *Quæritur* 3° quænam sint partes Fortitudinis seu virtutes ei annexæ?

Resp. Fortitudini, secundum quod est specialis virtus, non possunt assignari partes *subjectivæ*, eo quod dividitur in multas virtutes specie differentes, quia est circa materiam valde specialem. Assignantur autem ei partes *quasi-integrales* et *potentiales*, nempe, *Fidentia* seu *Magnanimitas*, *Magnificentia*, *Patientia*, *Perseverantia*. Ilæ enim sunt partes integrales, quia ad Fortitudinis integrum officium requiruntur, si Fortitudo spectetur quoad materiam ejus principalem, nempe pericula mortis. Potentiales vero, si considerentur ut versantes circa alias materias in quibus est

minus difficultatis; tunc enim sunt virtutes distinctæ a Fortitudine, cui tamen, quia eam imitantur, adjunguntur ut secundariæ principali, et ideo dicuntur partes ejus potentiales. De singulis, sub hoc respectu, breviter dicendum quid sint, quænam sint vitia ipsis opposita, quandonam mortaliter contra ipsas peccetur.

21. — 1. Magnanimitas est *virtus inclinans* ad *contemptum rerum caducarum, et ad opera magna ac heroica, qua talia, in omni virtutum genere aggredienda.* Quare licet versetur circa opera ardua aliarum virtutum, est tamen specialis virtus, quia ad illa inclinat ex motivo proximo sibi proprio, nempe quia sunt magna et ardua, ac proinde consentanea animo magno et generoso, scilicet, ad maximam dignitatem et perfectionem, ad amicitiam et filiationem Dei beatitudinemque destinato, et magnis gratiæ præsidiis instructo.

Ei per *excessum* opponuntur *Præsumptio, Ambitio, et vana Gloria,* de quibus diximus in Tract. de Peccatis, n. 78. Per *defectum* vero magnanimitati opponitur *Pusillanimitas,* quæ est vitium *quo quis ex animi parvitate, nimiaque abjectione, recusat tendere in id quod est suæ potentiæ proportionatum, detrectatque officium, vel res magnas, quibus gerendis aptus est cum auxilio Dei; suamve auctoritatem, dignitatem, et privilegia negligit, cum ea curare necessarium vel utile est ad Dei honorem, aut aliarum utilitatem.* Est autem mortale vel veniale peccatum, prout quis sub mortali vel veniali tenetur suscipere id quod detrectat, vel tueri id quod negligit.

22. — 2. Magnificentia est virtus *inclinans ad magna opera externa magnis sumptibus efficienda, quando recta ratio dictat, et præcipue ad ea quæ pertinent ad honorem Dei.* Differt a liberalitate, quod hæc circa sumptus mediocres et ordinarios, illa vera circa majores versetur.

Ei opponitur, per excessum, *Profusio,* qua *quis majores sumptus facit quam ratio dictat.* Est mortalis ratione gravis damni proximo illati, ut si propterea debita non solvas, eleemosynas omittas, etc. Per defectum vero, *Parvificentia,* qua quis, *præ animi angustia, opus magnos sumptus requi-*

rens non audet suscipere, quando oportet, vel susceptum relinquit, vel non decore perficit. Est mortalis, si graviter quis ad opus magnum teneatur, v. g., ex voto, promissione, etc.

23. — 3. PATIENTIA est virtus, qua *in rebus adversis mœror temperatur, et mala præsentia æquo animo tolerantur.* Hujus virtutis materia *remotissima* sunt mala toleranda; *remota*, sunt actiones, verba, gestus externi, quæ hac virtute ita reguntur, ut interna moderatio in eis eluceat; *proximn* autem est tristitia quam patientia moderatur vel plane comprimendo vel temperando. Hæc autem moderatio fieri potest vel ex affectu honestatis in ipsa patientia relucentis, vel ex affectu alterius virtutis, quæ per afflictiones oppugnatur. Est maxima virtus et valde necessaria. *Patientia opus perfectum habet; ut sitis perfecti et integri, et in nullo deficientes*; Jac., 1, v. 4. *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes. reportetis promissionem.* Hebr., 10, v. 36:

Huic opponitur, per excessum, *Impatientia*, qua *quis plus justo de malis dolet.* Potest esse mortalis ratione vel scandali, vel mali quod quis ex impatientia facit optative, vel præcepti violati. Per defectum, *Insensibilitas* seu animi durities, *cum quis ob animi stuporem nec propriis nec alienis malis movetur.*

Longanimitas est ipsa virtus patientiæ quatenus versatur *circa molestiam, quæ percipitur ex rei exspectatæ dilatione.*

24. — 4. PERSEVERANTIA seu constantia, *inclinat et firmat ad persistendum in opere bono, non obstante molestia ac difficultate quamtumvis diuturna, quandiu recta ratio dictat.*

Ei opponitur, per excessum, *Pertinacia* qua *quis proprium sensum, vel agendi propositum retinet quando non oportet vel plus quam oportet.* Per defectum autem, *Inconstantia* in agendo, qua quis sine justa causa et propter *molestias et difficultates a bono proposito recedit.* Utraque est mortalis vel venialis, pro subjecta materia, seu prout levis vel gravis obligatio violatur. Videtur autem semper aliqua reprehensione dignus, saltem ut imperfectionis reus, qui propositum bonum sine justa causa mutat, vel ab eo bene

cœpto desistit in re etiam non præcepta, quia inordinatum est, leviter et sine rationabili causa hominem agere.

25. — *Nota.* Donum *Fortitudinis* est qualitas infusa, qua quis ex speciali motione Spiritus Sancti pervenit ad finem cujuslibet operis inchoati, cum fiducia evadendi omnia pericula, contrarium timorem excludente. Dono autem Fortitudinis respondet octava beatitudo : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Matth. 5, v. 10. Vide Tract. *de Gratia,* n. 321.

ARTICULUS IV

De Temperantia.

26. — Temperantia, *late sumpta, est virtus refrenans animi affectus, qui ipsum contra rectam rationem et legem divinam alliciunt.*

« Temperantia, ait S. Aug., *quæst.* 31, est rationis in libidinem atque alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio. » Sed sic sumpta non est virtus specialis; nam id præstat omnis virtus moralis in sua materia. Ideo, *minus late sumpta,* Temperantia est virtus, quæ *refrenat appetitum in iis quæ communiter homines magis alliciunt,* illarumque rerum usum vel desiderium moderatur juxta necessitatem, utilitatem et convenientiam vitæ humanæ.

Partes ejus quasi integrales, seu quæ ad ejus integrum officium requiruntur, sunt *Verecundia,* quæ *est timor de turpi facto,* et *Honestas,* id est, *amor decori* seu *convenientis* dignitati humanæ naturæ. Verecundia est potius passio laudabilis quam virtus proprie dicta; Honestas autem est vere virtus; et utraque est vel pars quasi integralis, vel quædam conditio Temperantiæ.

Porro inter ea quæ homines magis alliciunt, seu inter delectationes, aliæ sunt corporales, seu *sensuales,* quæ nimirum capiuntur per sensus externos, et præcipue per tactum et gustum; aliæ vero *spirituales,* quæ sequuntur apprehensionem intellectualem, etiam fundatam in phantasia, vel in visu aut auditu; tales sunt quæ ex rerum divinarum

vel naturalium contemplatione, item quæ ex honoribus vel fabularum narratione nascuntur. Quia vero corporales delectationes vehementiores sunt et difficilius moderantur, eas potissimum respicit Temperantia *stricte sumpta*. Spirituales autem coercentur et moderantur ab aliis virtutibus quæ dicuntur Temperantiæ *partes potentiales* seu virtutes annexæ. Hinc duplex paragraphus.

§ I

De Temperantia stricte sumpta.

Circa Temperantiam *stricte sumptam* quærendum est 1° quid sit ejus natura et objectum, 2° quænam ejus species, et 3° quænam vitia singulis speciebus opposita.

27. — *Quæritur* qui sit Temperantia stricte dicta, et quotuplex ejus species?

Resp. 1° Temperantia, stricte sumpta, est *virtus quæ moderatur appetitum et usum rerum quæ delectationem sensuum, præsertim tactus et gustus pariunt*, qualia sunt esculenta, poculenta, et venerea. Hinc patet quodnam sit objectum materiale Temperantiæ. Et vero, Temperantia versatur circa *maximas delectationes corporales :* porro quia delectatio consequitur operationem naturalem, et maxime naturales sunt animalibus operationes quibus conservatur natura individui, per cibum et potum, et natura speciei, per conjunctionem maris et feminæ, ideo circa delectationes ciborum et potuum, et circa delectationes venereas est proprie Temperantia; ita S. Th. 2. 2, q. 141, a. 4.

2° Tres sunt Temperantiæ strictæ species : *Abstinentia, Sobrietas* et *Castitas*.

1. Abstinentia est virtus *quæ secundum rectam rationem moderatur appetitum, et usum ciborum oblectantium, atque etiam potionis non inebriantis*. Abstinentiæ opponitur Gula, de qua in Tract. *de Peccatis*, n. 81.

2. Sobrietas est virtus, *quæ appetitum et usum potionis vim inebriandi habentis moderatur secundum rectam rationem :* supple semper secundum et *legem divinam;* nam quidquid est contra rectam rationem, est etiam contra-

legem Dei, cum recta ratio sit intimatio legis divinæ æternæ.

Abstinentia et sobrietas simul junctæ completam in materia gustus Temperantiam constituunt. Quare vere et perfecte temperans ille dicitur, qui rationis mensuram in cibo et potu constanter servat.

Regula autem ac mensura cibi, potus et somni sumenda est ex fine proximo ad quem ista per se referuntur, qui est bona corporis valetudo, et idonea mentis ad suas functiones obeundas dispositio, seu habitudo ad Dei gloriam ultimate ordinata : nam finis est mensura eorum quæ sunt ad finem : « Habet vir temperans in hujusmodi rebus mortalibus et fluentibus vitæ, regulam utroque testamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet; sed ad vitæ hujus atque officiorum *necessitatem, quantum sat est*, usurpet utentis modestia, non amantis affectu; » ait S. August. lib. *de Morib. Eccl.*, c. 21.

Per necessitatem intellige non solum absolutam indigentiam, sed etiam moralem : non enim illud solum dicitur necessarium vitæ humanæ ejusque officiis, sine quo absolute vivere aut ea officia omnino obire non potest; sed etiam id sine quo hoc non potes commode et conveniente tuo statui, spectatis quoad qualitatem cibi et potus, circumstantiis status, conditionis, officii, opulentiæ, loci, personarum quibuscum vivis et negotiorum occurrentium. Igitur ad Temperantiam spectat nec plus, nec minus cibi, potus et somni sumere, quam ad bonam corporis valetudinem, et vires ad munera sua recte obeunda requisitas, aptamque mentis ad suas functiones dispositionem expediat.

Notandum est *Abstinentiam* sæpe, imo plerumque designare *substractionem alimentorum, quæ major sit quam ratio Temperantiæ per se postulat :* quo sensu est actus pœnitentiæ, vel *medium* ad aliam virtutem. Porro inter utramque speciem hoc est discriminis, quod major quantitas cibi et potus sit illicita; minorem autem subinde sumere, ob justam et graviorem causam quam sit robusta valetudo corporis, laudabile sit, quamvis vires corporis imminuantur; modo tamen valetudo non nimis frangatur, nec mens reddatur ad suas functiones ineptior, ita ut homo semper valeat recte

præstare ea ad quæ tenetur. Ea quippe bona est corporis valetudo, quæ optime menti et animæ saluti servit : nam corporis est ut animæ serviat ad suas functiones, quæ omnes ad Dei gloriam et salutem nostram referri debent. Hæc autem abstinentia major quam ratio Temperantiæ per se exigit, pertinebit ad aliam virtutem, ex cujus affectu servatur, v. g., ad castitatem, pœnitentiam. etc.

3. Castitas est virtus *quæ cohibet vel moderatur appetitum et usum venereum ac delectationis venereæ secundum rectam rationem et legem divinam*. De qua Paulus, II Cor. 7, v. 1 : *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus*. Et, I ad Tim. 2, v. 2 : *Quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate*. — *Pudicitia* autem vel est eadem virtus quæ Castitas, vel ejus pars integralis cohibens oscula, amplexus, aspectus, et actus impudicos, eorumque delectationem.

Triplex est Castitas, nempe, *virginalis, conjugalis*, et *vidualis*. Prima est voluntas constans et efficax abstinendi per totam vitam ob omni prorsus actione et delectatione venerea. Secunda est voluntas constans et efficax abstinendi ab onmi actione et delectatione venerea cum non conjuge, et ea ipsa non utendi cum conjuge nisi juxta rectæ rationis et legis divinæ regulam. Tertia est propositum abstinendi *in posterum*, propter Deum, ab omni actione et delectatione venerea percepta in conjugio. Castitati opponitur *Luxuria*, de qua agitur in Tract. *de Peccatis*, n. 90. Castitas aliquando *Continentia* vocatur; imo hoc sensu vox illa accipitur passim in Scriptura et apud SS. Patres. Sed vox continentiæ latius sæpe accipitur, scilicet, pro virtute disponente voluntatem ad resistendum impulsionibus cujuslibet pravæ concupiscentiæ; et de hac mox dicemus.

Quæ omnia fuse absolvuntur in speciali Tract. *de Virtute Castitatis*.

§ II

De virtutibus Temperantiæ annexis.

29. — Partes *potentiales* alicujus virtutis, seu virtutes *annexæ* eæ sunt, ut jam dictum est, quæ modum, quem

principalis virtus observat circa aliquam *principalem materiam*, eumdem observant in quibusdam aliis materiis minus principalibus et minus difficilibus. Pertinet autem ad Temperantiam, de qua in præcedenti paragrapho, moderari delectationes tactus quas difficilimum est moderari; unde quæcunque virtus *moderationem* quamdam operatur in aliqua materia, et *refrenationem appetitus* in aliquid tendentis, poni potest potentialis pars Temperantiæ, sicut virtus ei adjuncta.

Porro circa tria requiritur virtutis moderatio, scilicet, 1° circa motus internos animi; 2° circa motus externos; 3° circa res exteriores.

NUMERUS PRIMUS

De Temperantia circa motus animi internos.

30. — Præter motus expertos *in ipso usu* tactus et gustus, quos moderatur Temperantia stricte sumpta, alii motus inveniuntur in anima ad aliquid sæpe immoderate tendentes, scilicet : 1° motus voluntatis commotæ ex impetu alicujus passionis ad aliquid delectabile desiderandum, et hunc moderatur specialis virtus quæ a S. Thoma vocatur *Continentia*, ex qua fit ut, quamvis pars inferior hominis immoderatas concupiscentias patiatur, voluntas tamen non vincatur, nec desideria eliciat, imo nec in earum rerum cogitatione complaceat. 2° Motus animi ad propriam excellentiam et laudem ex illa inordinatione optandam, et hunc moderatur *Humilitas*. 3° Motus ad cognitionem veritatis, et hunc regit *studiositas*. 4° Tandem motus *iræ et vindictæ*, quem temperant *mansuetudo* et *clementia*. Itaque

31. — Continentia est *firmitas voluntatis, qua quis resistit quibuscunque pravis concupiscentiis, quæ in eo vehementes existunt*. Quia vero concupiscentiæ secundum tactum maxime venereorum, sunt vehementiores et difficilius superabiles, eo quod magis sequuntur inclinationem naturæ in conservatione individui et speciei, ideo Continentia proprie dicitur : *dispositio voluntatis qua resistitur pravis concupiscentiis circa tactum*. Unde qui resistit hujusmodi passio-

nibus in aliis materiis, non continens simpliciter dicitur, sed secundum quid, ut continens iræ, continens avaritiæ.

Hæc Continentia appetitus, quæ scilicet ejus cupiditates pravas refrenat, et a *voluntariis desideriis* abstinet, dici potest castitas voluntatis, seu puritas animi experti ab omni amore inordinato creaturarum; quo sensu dictum videtur ab Apostolo, II Cor. 11, v. 2 : « *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* »

Quia vero facilius est desideria, seu motus appetitus ad delectationes quærendas, compescere, quam in ipso usu actuali moderationem servare, hinc intelligitur continentiam hanc a Temperantia stricta differre, sicuti imperfectum a perfecto, et partem a toto. Insuper Temperantia stricta actus ita moderatur, ut revera intra ordinis limites sistant; Continentia vero hoc quidem habet de ratione virtutis, ut per eam firmetur ratio contra passiones; non tamen attingit ad hanc perfectionem ut appetitus *dometur*, nec ideo motus inordinati insurgant. Unde merito ponitur inter partes mere *potentiales* Temperantiæ,

Ad hanc virtutem specialem pertinent nonum et decimum Decalogi præceptum; quæ sic se habent : « *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, etc.*

Vitium huic oppositum est *Incontinentia* seu *concupiscentia carnis* in quantum est voluntaria, licet in actum non prorumpat.

32. — De Humilitate. Humilitas est *virtus, quæ vera nostri cognitione, appetitum excellentiæ propriæ et laudis, secundum rectam rationem et Dei voluntatem, moderatur*, ne, scilicet, inordinate extollamur, et inclinat ad vilitatem nostram, ac subjectionem erga Deum, actibus externis agnoscendam et profitendam, atque omnem gloriam ac honorem Deo ut bonorum omnium auctori tribuendum.

Ejus *actus* præcipui sunt : 1. *agnoscere* se *ex seipso* nihil esse, nihique habere, sed omnia accepisse a Deo : imo se esse peccatorem, adeoque suppliciis et omni contemptu dignum. 2. Proinde, nihil sibi adscribere, sed *seipsum con-*

temnere, et omnem honorem, gloriam ac laudem Deo ut bonorum omnium auctori attribuere, 3. *Neminem despicere*, nemini velle præponi, sed omnes sibi animo præferre, considerando aliorum perfectiones ac virtutes, sua vero vitia ac peccata, juxta illud Epist. ad Philipp., 2, v. 3 : *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*. 4. *Subjicere se in omnibus Deo et superioribus* ut Dei ministris, propter Deum. 5. *Laudes et honores*, quantum recta ratio permittit, *fugere*, ea propter se nunquam quærere, nec iis partis delectari. 6. *Contemptus*, *contumelias* et *humiliationes*, æquo animo, propter Deum, exemplo Christi, *ferre*, imo *et diligere*. 7. In rebus externis et functionibus, quantum in se est, *amplecti semper id quod est abjectius et minus* honoratum, habita tamen ratione decoris, dignitatis et officii.

Quomodo autem possit justus se omnibus viliorem salva veritate æstimare, explicat S. Th. 2. 2, q. 161, a. 6, post S. Augustinum lib. *de Virginitate*, 52, dicendo unumquemque absque falsitate posse se credere et pronuntiare, omnibus viliorem secundum defectus *occultos, quos in se recognoscit, et dona Dei quæ in aliis latent*. Similiter posse credere et confiteri ad omnia se inutilem esse et indignum *per proprias vires*, ut sufficientiam suam totam in Deum refundat.

33. — De Studiositate. Studiositas est virtus, *quæ affectum seu appetitum cognoscendi, et ipsum studium juxta rectam rationis normam temperat*.

Omnis enim homo naturaliter scire desiderat : porro motus hujusmodi potest fieri inordinatus, non quidem *ratione objecti* in se spectati, nempe veritatis quæ ex se bona est, sed *ratione modi* quo veritas inquiritur, necnon *ratione finis* et *circumstantiarum ;* ideo indiget moderamine, quod præstat virtus specialis, quæ dicitur *Studiositas*.

Officium hujus virtutis est : 1. *moderari appetitum sciendi*, ut quis non velit plura aut altiora scire, quam ipsius conditioni et capacitati conveniat, nec pluris faciat scientiam quam oportet, illam virtuti, aut rebus ad salutem neces-

sariis præponendo, sed pro merito æstimet et diligat. 2. *Moderari ipsum studium*, ut ea diligentia, eo fine studeamus quo oportet. 3. *Affectum ad studium incitare*, et, prout ratio dictat, studium ipsum magis curare atque augere. Et quia hoc postremum plerisque necessarium est, ideo hæc virtus Studiositas vocatur, quod potius ab impellendo quam a refrenando dicitur. Itaque materia proxima hujus virtutis est non ipsa veritas, sed appetitus veritatis cognoscendæ, et quidem quatenus refrenatur immoderantia ejusdem. Incitatio autem ad studium potius ad Fortitudinem pertinet quam ac Temperantiam.

Ex dictis patet Studiositati opponi duplex vitium : *Curiositatem*, per excessum, *Negligentiam*, per defectum.

34. — *Curiositas* est *inordinatus appetitus cognoscendi*. Est autem inordinatus, vel 1. ex parte *objecti*, et tunc definitur *appetitio vel cura cognoscendi superflua* seu ea quæ ad se non pertinent, quia nec ad propriam aut ad proximi utilitatem, nec ad Dei honorem conducunt; vel 2. appetitus est inordinatus *ex parte modi*, ut si ea quæ ad te spectant, velis addiscere tempore non congruente, vel laboribus immodicis, et corpori vel menti noxiis.

Curiositas potest esse mortalis, 1. *ratione objecti prohibiti*, v. g., si legas libros prohibitos, aut velis scire ea quæ dicuntur in confessione; 2. ratione *medii*, si adhibeatur graviter illicitum, ut superstitiosum; 3. *ratione finis* mortaliter mali; 4. *ratione periculi*, ut si legas libros contra fidem aut bonos mores; 5. *ratione amissionis*, si per studium minus utile homo impediatur ab addiscendis iis quæ scire tenetur; 6. *ratione nocumenti* seu damni, ut si immoderatum studium valetudo graviter lædatur; 7. *ratione cooperationis*, si quis ab alio scire velit, quod sine mortali revelari nequit; 8. *ratione injuriæ gravis*, ut si quis litteras alterius clausas sine consensu ejus, a quo vel ad quem scribuntur, saltem prudenter præsumpto, aperiat et legat : nam tunc violatur jus quod quisque habet ne arcana consilia et negotia litteris commissa sine ejus consensu cognoscantur. Ita Navarrus, Toletus, Layman, et alii. Unde est

mortale contra justitiam litteras alienas legere, quando suspicio est illas continere secreta magni momenti, vel ea quæ multum expedit non innotescere, vel quæ *multum optat* celari is a quo vel ad quem scribuntur, vel quando timeri potest inde secuturam aliquam infamiam vel aliud damnum grave. Cum autem id omne ante apertionem ignoretur, ideo litterarum alienarum apertio lectioque, ordinarie mortalis est, ob morale periculum lædendi jus secreti in re gravi. Id etiam est contra fidem publicam, cui sigilla litterarum credita intelliguntur.

Multi docent esse solum veniale litteras a domino dilaceratas et in publicum projectas ex sola curiositate colligere, junctisque partibus legere, quia tunc habentur pro derelictis. Sed hoc alii melius negant, quia dominus lacerando satis ostendit se non derelinquere jus quod habet ad secretum litterarum. Imprudenter quidem agit, partes laceratas in publicum projiciendo; sed imprudentia alicujus non privat illum jure suo.

Item peccat contra justitiam qui alterius scripta, ipso invito, legit; et quidem mortaliter, si fiat cum gravi damno, vel alter valde cupiat esse secreta, graviterque sit laturus. Excipe, nisi constaret scripta vergere in damnum injustum communitatis, vel etiam privati; nemo enim habet jus ad medium injustum. Possunt quoque litteræ aperiri auctoritate publica, nempe Principis, Magistratus, cum id exigit bonum commune, cui jura privatorum subordinantur. Sed ii qui secreta legerint, tenentur celare. Parentes habent etiam jus aperiendi litteras liberorum curæ suæ subjectorum : Superiores religiosorum statutis specialibus reguntur.

Curiositas autem qua non læditur graviter caritas nec justitia, est *per se* solum venialis, secluso periculo graviter peccandi, vel prohibitione gravi; quia non est per se magna inordinatio quod quis *plus æquo* appetat cognitionem rerum sibi necessariam aut utilem, vel præcise id quod ad se non pertinet, cognoscere velit sine gravi injuria alterius, aut supervacaneam in eo curam ponat, modo necessaria non negligat.

35. — Per defectum adversatur Studiositati *Negligentia*, quæ est *voluntaria omissio studii vel inquisitionis ad discendum quæ quisque scire vel discere tenetur*. Estque peccatum grave vel leve pro gravitate vel levitate rei quæ scire debet, spectato ejus fine. Hinc gravis negligentia discendi obligationes suas, sive communes, sive proprias sui muneris, seu officii, est semper mortalis.

36. — De Mansuetudine et Clementia. Quartus animi motus qui moderamine indiget, est motus iræ tendens in vindictam, et hunc moderantur Mansuetudo et Clementia.

Mansuetudo est virtus, *quæ iram moderatur juxta rectam rationem*, ita ut non irascamur nisi quando, quantum, cui, et quomodo oportet. De qua Apostolus, ad Tit. 3, v. 42 : *Admone illos... neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.*

Ei opponitur, per excessum, *Iracundia*, de qua in Tract. *de Peccatis*, n. 106; per defectum vero, *nimia Dissimulatio*, cum nempe, ex iræ defectu, mala impunita manent, nec quis irascitur ubi, quando, quantum et quibus oportet, ut justitia servetur, vitia corrigantur, scandalum tollatur, etc,

Est mortalis ex genere suo, cum repugnet caritati, vel justitiæ.

Clementia est virtus, *qua superior ex animi lenitate inclinatur ad pœnam debitam mitigandam vel remittendam, quantum patitur recta ratio, justitia, disciplinæ bonum, rei salus, et ædificatio publica*

Ei opponitur, per excessum, *Crudelitas*, qua quis ex animi austeritate propensus est ad *exigendam pœnam ultra meritum culpæ*. Est ex genere sur mortalis, cum repugnet caritati et justitiæ. Per defectum vero, *nimia Lenitas*, qua quis pœnam remittit aut mitigat ubi severitate utendum recta ratio dictat ad delinquentem emendandum, servandam disciplinam, etc. Est culpa gravis vel levis, pro ratione damni vel scandali quod ex ea proveniț.

NUMERUS II

De Temperantia in motibus externis et in rebus ad apparatum spectantibus, seu de Modestia Morum et cultus.

37. — Modestia aliquando generatim accipitur, et designat virtutem qua quis se continet intra modum et limites sibi congruos, quantum ad motus *internos et externos, et omnem rerum suarum apparatum;* et sic intellecta humilitatem, studiositatem, mansuetudinem clementiamque comprehendit. Sed hic sumitur quatenus motus *externos* hominis, *rerumque suarum apparatum*, nec non *conversationem* cum aliis spectat.

38. — Modestia morum est virtus, quæ *gestus et motus corporis externos* moderatur secundum rectam rationem vel decori regulas; prout, scilicet, congruens est personæ spectatæ tum in se tum in ordine ad eos quibuscum versatur, et ad locum, tempus, statum : « Hoc est enim pulchritudinem vivendi tenere, convenientia cuique sexui et personæ reddere; » ait S. Ambr., lib. 1, *de Off.*, c. 9.

Ei opponitur, per excessum, *Petulantia* et *Insolentia, qua non servatur decorum in voce, gestu, et aliis motibus externis corporis;* ut si quis vocem nimium attollat, gestus aut gressus insulsos habeat; si Religiosus mores aulicos sectetur, etc. Per defectum, ei opponitur morum *cruditas* seu *Rusticitas*.

39. — Modestia cultus, seu *Parvitas*, est virtus qua *in cultu ornatuque corporis, et apparatu rerum externarum, domus supellectilis, convivorum*, etc., *servatur mediocritas et congruitas ad personam, facultates, statum, conditionem, approbatam consuetudinem, et ad tempus, locum*, etc. Contra hanc peccatur ob excessum, 1. per *Luxum*, excedendo modum consuetum et convenientem conditioni, ac facultati personæ in vestibus, conviviis, supellectili, etc. Item assumendo vestem alterius sexus. « Cultus exterior, inquit S. Thom. 2. 2, q. 169, a. 2, ad 3, debet competere conditioni personæ secundum communem consuetudinem. Et ideo de

se vitiosum est, quod mulier utatur veste virili, aut e converso : præcipue quia hoc potest esse causa lasciviæ, et specialiter prohibetur in lege... Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid aliud hujusmodi. » 2. *Ratione affectus inordinati*, quando nimium studium in hujusmodi rebus ponitur, ut sæpe faciunt feminæ multum temporis in se ornandis collocantes. Per defectum autem sæpe peccatur contra modestiam cultus, et hoc vitium dicitur *Sordiditas*, qua non servatur decorum in cultu corporis et rerum suarum.

Porro peccata contra utramque modestiam interdum sunt mortalia, scilicet, ratione scandali, damni, pravi finis, etc. Sic excessus in ornatu et apparatu externo est mortalis ratione *effectus*, si sit causa non solvendi debita, non dandi eleemosynas necessarias, non procurandi liberis statum convenientem, vel alia non præstandi ad quæ quis tenetur : vel ratione *affectus* graviter immoderati, ut si propter ornatum aliquis sit paratus peccare mortaliter : vel ratione *scandali* quod sæpe dant mulieres in se exornandi modo, qui ad luxuriam alliciat intuentes.

Quod ad larvas et personatus attinet, hæc propter immodestiam, et nimiam mentis divagationem sunt peccata venialia : mortalia vero si in talibus circumstantiis adhibeantur, ut ad libidinem incitent vel libidini præbeant occasionem, quod sæpissime accidit.

40. — *Quæritur* an mulieres peccant, si se ornent ad placendum viris?

Sic respondet S. Thom. 2. 2, q. 169, a. 2 : « Si mulier conjugata ad hoc se ornet ut viro suo placeat, potest hoc facere absque peccato. Illæ autem mulieres quæ viros non habent, nec volunt habere, et sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum : quia hoc est dare eis incentivum peccandi. Et eadem ratio, quantum ad hoc, est de viris. » Vide Tract. *de Decalogo*, n. 219.

41. — Eutrapelia seu jucunditas quæ a S. Thoma refertur ad modestiam morum, est virtus *quæ inclinat ad servandum modum ac decorum in dictis et factis ludicris ad animi recreationem institutis.*

Contra illam peccatur per excessum : 1. ratione *objecti*, si immodestum, petulans, contumeliosum, injuriosum, obscenum, periculosum, vel prohibitum jocandi aut ludendi genus usurpetur. 2. Ratione *circumstantiarum*, si genus ludendi vel jocandi, alioqui licitum, exerceatur in loco vel tempore indebito, modo indecoro, nimis diu, vel contra dignitatem personæ illud usurpantis, aut ejus coram qua usurpatur. 3. Ratione *immodici affectus*, « Caveamus etiam ne, dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum, » ait S. Ambrosius, lib. 1, *de Offic.*, c. 20.

Per defectum vero peccatur, cum quis ex animi austeritate seu morositate omnem honestam animi recreationem sibi necessariam repudiat, vel in aliis impedire conatur. « Volo tandem tibi parcas; sapientem enim interdum remittere aciem rebus agendis intentam, decet. » S. Aug., *de Musica*, lib. 2, in fine.

42. — Circumspectio est virtus, *quæ sermones moderatur secundum rectam rationem et legem divinam, ita ut non loquamur nisi quando, ubi, quæ, quibus et quomodo oportet.* Est valde necessaria, quia ex ejus defectu innumera admittuntur peccata; « nam lingua ignis est, universitas iniquitatum. » Epist. S. Jac., c. 3.

FINIS TRACTATUS DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

INDEX TOMI V

TRACTATUS

DE ACTIBUS HUMANIS

OBJECTUM, UTILITAS, DIVISIO TRACTATUS 7
CAPUT PRIMUM. De notione, et principiis actum humanorum 8
Articulus primus. De notione et speciebus actus humani 9
Articulus II. De principiis actuum humanorum, seu de voluntario libero. 13
§ I. *De notione et speciebus Libertatis* 14
§ II. *De existentia Libertatis electionis in homine lapso* 16
§ III. *De Libertatis impedimentis* 21
Numerus primus. De ignorantia respectu Libertatis 21
Numerus II. De concupiscentia respectu Libertatis 24
Numerus III. De metu respectu Libertatis 26
Numerus IV. De vi seu violentia respectu Libertatis 30
CAPUT II. De Moralitate Actuum Humanorum 31
Articulus primus. De notione Moralitatis 31
Articulus II. De Moralitatis speciebus 34
Articulus III. De Fontibus Moralitatis 36
§ I. *De objecto actus humani ratione Moralitatis* 36
§ II. *De Circumstantiis actus humani ratione Moralitatis* 39
§ III. *De Fine actus humani ratione Moralitatis* 43
Articulus IV. De requisitis ut actus liber sit malus, vel bonus 47
§ I. *De diverso respectu, sub quo bonitas aut malitia actus humani apprehendi potest a voluntate libera* 48
§ II. *De requisitis ut actus sit malus* 52
Numerus primus. De effectu malo directe intento 53
Numerus II. De effectu malo indirecte intento 57
§ III. *De requisitis ut actus sit bonus* 62

Numerus primus. De necessitate intendendi bonitatem actus, ut hæc agenti imputetur 62
Numerus II. De natura bonitatis quæ, ut actus sit bonus, intendi debet 63
§ IV. *De actu indifferenti* 71
CAPUT III. De Conscientia, seu applicatione legis unicuique actui humano. 75
Articulus primus. De notione Conscientiæ 76
Articulus II. De Conscientiæ speciebus 80
Articulus III. De Conscientiæ regulis 83
§ I. *De regulis Conscientiæ rectæ* 83
§ II. *De regulis Conscientiæ temerariæ, sive laxæ, sive scrupulosæ, sive perplexæ, sive veræ, sive vincibiliter erroneæ* 88
§ III. *De regulis Conscientiæ incertæ, sive dubiæ, sive plus minusve probabilis* 95
Numerus primus. De illicitate agendi cum Conscientia dubia aut probabili 95
Numerus II. De necessitate subjective excutiendi Conscientiam incertam 96
Numerus III. De modo discutiendi Conscientiam incertam 97
Punctum primum. De notione principii reflexi 97
Punctum II. De diverso gradu probabilitatis in Conscientia incerta. 99
Punctum III. De variis principiis reflexis, seu systematibus circa probabilitatem 102
Punctum IV. De principio reflexo sequendo in casu dubii, quoties agitur de speciali obligatione finis determinati obtinendi 104
Punctum V. De principio reflexo sequendo, in casu dubii, quoties agitur de solo licito, vel illicito 107

TRACTATUS

DE LEGIBUS

OBJECTUM, UTILITAS, DIVISIO TRACTATUS 122
CAPUT PRIMUM. De notione et speciebus legis in genere 123
CAPUT II. De juris notione, fundamento, et speciebus 125
Articulus primus. De notione juris in genere 125
Articulus II. De juris fundamento seu origine 126
Articulus III. De juris speciebus 133
CAPUT III. De Lege divina 134
Articulus primus. De Lege æterna 134
Articulus II. De Lege naturali 136

§ I. *De notione et existentia Legis naturalis* 136
§ II. *De objecto Legis naturalis* 139
§ III. *De subjecto Legis naturalis* 140
§ IV. *De qualitatibus Legis naturalis* 141
Numerus primus. De unitate Legis naturalis 141
Numerus II. De indebilitate Legis naturalis 141
Numerus III. De immutabilitate Legis naturalis 142
Articulus III. De Lege positiva divina 146
§. I. *De Lege veteri* 146
§ II. *De Legē nova* 148
CAPUT IV. De Lege humana 151
Articulus primus. De notione Legis humanæ 151
§ I. *De notione Legis Ecclesiasticæ* 151
§ II. *De notione Legis civilis* 155
Articulus II. De potestate legislativa Ecclesiæ et Principis 156
Articulus III. De extensione obligationis Legum 165
§ I. *De Lege mere pœnali* 166
§ II. *De Lege humana obligante sub peccato mortali* 167
§ III. *De Lege humana obligante sub gravi damno, aut vitæ periculo.* 169
§ IV. *De Lege humana obligante sub pœna ipso facto incurrenda.* ... 170
§ V. *De Lege humana actus irritante in foro conscientiæ* 172
§ VI. *An Lex Tributorum vere et proprie conscientiam obliget* 174
Articulus IV. De objecto Legum 176
§ I. *De actibus qui cadere possunt sub obligatione Legis humanæ* 176
§ II. *De modo implendi Legem* 180
§ III. *De tempore implendi Legem* 181
Articulus V. De subjecto Legis humanæ 184
§ I. *De Legis humanæ obligatione quoad infantes* 185
§ II. *De Legis humanæ obligatione quoad Legislatorem* 186
§ III. *De Legis humanæ obligatione quoad absentes* 187
§ IV. *De Legis localis obligatione quod advenas et vagos* 189
Articulus VI. De Legis interpretatione 191
Articulus VII. De Legis cessatione 195
§ I. *De cessatione Legis et mutatione materiæ, vel cessatione finis Legis.* 195
§ II. *De Dispensatione Legis* 198
Numerus primus. De notione et effectu Dispensationis 198
Numerus II. De auctore Dispensationis 199
Numerus III. De causa Dispensationis 201
§ III. *De Privilegio* 203
§ IV. *De Abrogatione Legis* 205

Articulus VIII. De Lege non scripta, sive de Consuetudine..... 206
§ I. *De consuetudinis notione, et speciebus*..... 207
§ II. *De Juris consuetudinarii conditionibus*..... 209
§ III. *De consuetudinis effectibus*..... 212
§ IV. *De effectibus desuetudinis, revocationis, prohibitionis, reprobationis consuetudinis*..... 213
§ V. *De jure consuetudinario ecclesiastico et civili in Gallia*..... 216

TRACTATUS

DE VIRTUTIBUS

Objectum, utilitas, divisio tractatus..... 219
Articulus primus. De notione et speciebus Virtutum..... 219
Articulus II. De incremento Virtutum..... 228
Articulus III. De amissione et imminutione Virtutum..... 230
§ I. *De amissione Virtutum*..... 230
Numerus primus. De amissione Virtutum infusarum..... 230
Numerus II. De amissione Virtutum acquisitarum..... 232
§ II *De imminutione Virtutum*..... 233
Articulus IV. De Vitiis in genere..... 235

TRACTATUS

DE PECCATIS

Objectum, utilitas, divisio tractatus..... 238
Caput primum. De Peccatis in genere..... 238
Articulus primus. De peccati notione..... 239
Articulus II. De gravitate Peccatorum..... 241
§ I. *De essentiali distinctione inter Peccatum mortale et Peccatum veniale*..... 241
§ II. *Quandonam Peccatum judicandum sit mortale, aut solum veniale*..... 244
Numerus primus. Quandonam Peccatum sit mortale ex genere suo, aut veniale per accidens..... 244
Numerus II. Quandonam Peccatum sit veniale ex genere suo, aut mortale per accidens..... 251
Articulus III. De distinctione Peccatorum..... 255
§ I. *De distinctione specifica Peccatorum*..... 255

§ II. *De distinctione numerica Peccatorum*..... 259
Numerus primus. De distinctione numerica Peccatorum ex parte ipsorum actuum..... 260
Numerus II. De distinctione numerica malitiarum in uno et eodem actu peccaminoso..... 264
Articulus IV. De Peccatorum causis, effectibus et remediis..... 265
§ I. *De causis Peccatorum*..... 266
Numerus primus. De interioribus causis ad Peccata disponentibus. 266
Numerus II. De causis Peccatorum exterioribus..... 268
§ II. *De Peccatorum effectibus*..... 269
Numerus primus. De macula animæ a Peccato inducta..... 269
Numerus II. De reatu et pœna Peccati..... 271
§ III. *De Peccatorum remediis*..... 272
CAPUT II. De Peccatis in specie..... 274
Articulus primus. De Peccatis cordis, oris et operis..... 274
§ I. *De delectatione morosa*..... 275
§ II. *De gaudio rei malæ præactæ*..... 280
§ III. *De desiderio rei malæ*..... 281
Articulus II. De Peccatis ex Malitia, Infirmitate, et Ignorantia..... 283
Articulus III. De Peccatis commissionis et omissionis..... 285
Articulus IV. De Peccatis carnalibus et spiritualibus, et contra Deum, proximum et ipsum peccantem..... 287
Articulus V. De Peccatis capitalibus..... 288
§ I. *De Superbia*..... 289
§ II. *De Gula*..... 295
§ III. *De Luxuria*..... 300
§ IV. *De Avaritia*..... 303
§ V. *De Acedia*..... 305
§ VI. *De Invidia*..... 308
§ VII. *De Ira*..... 310

TRACTATUS

DE CENSURIS

OBJECTUM, UTILITAS, DIVISIO TRACTATUS..... 313
CAPUT PRIMUM. De Censuris in genere..... 313
Articulus primus. De notione et speciebus Censuræ..... 314
Articulus II. De Censurarum auctore, subjecto, causa, conditionibus.. 316
§ I. De Censurarum auctore..... 318

§ II. *De subjecto Censuræ*..... 320
§ III. *De causa Censuræ*..... 323
§ IV. *De conditionibus Censuræ*..... 325
Articulus III. De causis excusantibus a Censuris..... 327
Articulus IV. De absolutione a Censuris..... 330
§ I. *De notione et speciebus absolutionis a Censuris*..... 331
§ II. *De necessitate absolutionis a Censuris*..... 334
§ III. *De iis, qui a Censuris possunt absolvere*..... 335
Numerus primus. De absolutione a Censuris non reservatis, ab homine inflictis, a reservatis in genere..... 335
Numerus II. De absolutione a Censuris Jure S. Pontifici reservatis per delegatum..... 337
Punctum primum. De absolutione a Censuris S. Pontifici Jure reservatis, ante decretum S. Officii 30 jun. 1886..... 337
Punctum II. De absolutione a Censuris S. Pontifici jure reservatis, post S. Officii decretum 30 jun. 1886..... 339
Numerus III. De absolutione a Censuris jure communi Ordinariis vel ab ipsis Ordinariis reservatis..... 343
§ IV. *De conditionibus absolutionis a Censuris*..... 346
CAPUT II. De Censuris in particulari..... 348
Numerus primus. De Excomunicatione..... 348
§ I. *De Excommunicationis notione et speciebus*..... 348
§ II. *De effectibus Excommunicationis*..... 350
Numerus primus. De effectibus Excommunicationis majoris respectu excommunicati, sive tolerati, sive non..... 351
Numerus II. De effectibus Excommunicationis majoris respectu Fidelium..... 354
§ III. *De Excommunicationibus in particulari*..... 356
Numerus primus. Excommunicationes latæ sententiæ speciali modo S. Pontifici reservatæ..... 358
Numerus II. Excommunicationes latæ sententiæ S. Pontifici simpliciter reservatæ..... 374
Numerus III. Excommunicationes latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ..... 384
Numerus IV. Excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatæ. 385
Articulus II De Interdicto..... 389
§ I. *De notione et speciebus Interdicti*..... 389
§ II. *De effectibus Interdicti*..... 392
§ III. *De Interdictis in particulari*..... 393

Articulus III. De Suspensione..... 394
§ I. *De notione et speciebus Suspensionis*..... 394
§ II. *De effectibus Suspensionis*..... 397
§ III. *De Suspensionibus in particulari*..... 400
Numerus primus. Suspensiones latæ sententiæ S. Pontifici reservatæ..... 400
Numerus II. Suspensiones non reservatæ S. Pontifici, a Conc. Trid. statutæ..... 401
APPENDIX. De sepultura ecclesiastica..... 402

TRACTATUS

DE DECALOGO

Objectum, utilitas, divisio tractatus..... 407

PARS PRIMA

De Præceptis primæ tabulæ, seu de officiis erga Deum.

Caput primum. De primo Decalogi præcepto..... 410
Articulus primus. De Fide..... 410
§ I. *De articulis explicite credendis necessitate medii*..... 411
§ II. *De actu interno Fidei necessario necessitate præcepti*..... 419
Numerus primus. Utrum Fides cadat sub speciali præcepto..... 419
Numerus II. Quorumnam articulorum fides explicita cadat sub speciali præcepto..... 420
Numerus III. De tempore quo urget præceptum eliciendi internos actus fidei..... 423
§ III. *De præcepto Fidem exterius confitendi*..... 425
§ IV. *De vitiis et peccatis contra Fidem, et de eorum causis*..... 430
Numerus primus. De vitiis et peccatis contra Fidem..... 430
Numerus II. De causis peccatorum contra Fidem..... 433
Articulus II. De Spe..... 436
§ I. *De Spei notione*..... 436
§ II. *De Spei subjecto*..... 440
§ III. *De Spei necessitate*..... 441
§ IV. *De vitiis contra Spem*..... 443
Numerus primus. De desperatione..... 443
Numerus II. De præsumptione..... 445
Articulus III. De Caritate..... 446

§ I. *De Caritatis notione*. 446
§ II. *De Caritatis necessitate*. 449
§ III. *De Peccatis contra Caritatem erga Deum*. 453
Articulus IV. De Religione. 453
§ I. *De Religionis notione*. 454
§ II. *De Religionis præcepto*. 455
Numerus primus. De Devotione. 456
Numerus II. De Adoratione. 457
Numerus III. De Oratione. 458
Punctum primum. De Orationis notione. 458
Punctum II. De Orationis necessitate. 459
Punctum III. De Orationis objecto. 465
Punctum IV. De Orationis subjecto, seu de iis pro quibus orandum est. 468
§ III. *De Vitiis Religioni oppositis*. 470
Numerus primus. De Irreligiositate, et de ejus speciebus. 470
Punctum primum. De Blasphemia. 470
Punctum II. De Tentatione Dei. 473
Punctum III. De Sacrilegio. 474
Punctum IV. De Simonia. 477
Numerus II. De Superstitione, et de variis ejus speciebus. 482
Punctum primum. De Idololatria. 483
Punctum II. De Magia. 484
Punctum III. De peccato Cultus illegitimi. 488
CAPUT II. De secundo Decalogi præcepto. 490
Articulus primus. De Juramento. 491
§ I. *De notione et speciebus Juramenti*. 491
§ II. *De licitate Juramenti*. 493
§ III. *De irreligioso Juramento*. 495
§ IV. *De Juramenti promissorii Obligatione*. 498
Numerus primus. De obligatione adimplendi Juramentum promissorium. 498
Numerus II. De Causis impedientibus ne contrahatur obligatio per Juramentum promissorium. 500
Numerus III. De Causis auferentibus obligationem Juramenti promissorii. 502
Articulus II. De Voto. 504
§ I. *De natura Voti, et ejusdem speciebus*. 504
§ II. *De obligatione Voti*. 508
§ III. *De Cessatione Voti*. 511

Numerus primus. De irritatione Votorum..... 512
Numerus II. De dispensatione Votorum..... 514
Numerus III. De commutatione Votorum..... 519
CAPUT III. De tertio Decalogi præcepto..... 521
Articulus primus. De sanctificatione diei Dominicæ..... 523
§ I. *De obligatione audiendi Missam die Dominica*..... 525
§ II. *De modo audiendi Missam*..... 526
Numerus primus. De præsentia corporis ad Missam rite audiendam. 526
Numerus II. De intentione audiendi Missam, et de pia attentione ad Missam rite audiendam..... 528
Numerus III. De loco debito ad Missam audiendam..... 531
§ III. *De causis ab obligatione audiendi Missam eximentibus*..... 533
Articulus II. De obligatione cessandi a nonnullis operibus diebus Dominicis..... 534

PARS SECUNDA

De præceptis secundæ tabulæ, seu de Officiis erga proximum.

CAPUT PRIMUM. De Caritate erga proximum..... 545
Articulus primus. De actu interno Caritatis erga proximum..... 545
§ I. *An detur præceptum diligendi proximum*..... 545
§ II. *De Dilectione inimicorum*..... 548
§ III. *De Ordine in Caritate servando*..... 551
Articulus II. De externo actu Caritatis erga proximum..... 556
§ I. *De Eleemosyna corporali*..... 556
§ II. *De Eleemosyna spirituali*..... 563
Articulus III. De Peccatis contra Caritatem erga proximum..... 567
§ I. *De Odio contra proximum*..... 568
§ II. *De Discordia*..... 570
§ III. *De Scandalo*..... 572
Numerus primus. De Scandalo in genere..... 572
Numerus II. De quibusdam Scandali speciebus..... 579
Punctum primum. De Scandalo ratione luxuriæ..... 579
Punctum II. De Scandalo per libros et ephemerides pravos..... 581
Punctum III. De Scandalo per choreas..... 582
Punctum IV. De Scandalo per spectacula..... 585
§ IV. *De Cooperatione in re mala*..... 587
CAPUT II. De Officiis pietatis et observantiæ, seu de quarto Decalogi præcepto..... 590

Articulus primus. De Præceptis Pietatis filiorum erga parentes..... 592
§ I. *De Præcepto reverendi Parentes*..... 593
§ II. *De Præcepto amandi Parentes*..... 594
§ III. *De Præcepto obediendi Parentibus*..... 595
Articulus II. De Præceptis Observantiæ Inferiorum erga Superiores... 596
CAPUT III. De officiis Justitiæ erga proximum..... 598
Articulus primus. De quinto Decalogi Præcepto..... 599
§ I. *De Præcepto non occidendi, nec mutilandi seipsum*..... 599
§ II. *De Præcepto non occidendi, nec mutilandi Proximum*..... 607
§ III. *De abortu*..... 615
Articulus II. De Octavo Decalogi Præcepot..... 623
§ I. *De Falso Testimonio et Mendacio*..... 623
Numerus primus. De Falso Testimonio..... 623
Numerus II. De Mendacio..... 624
§ II. *De Detractione et Contumelia*..... 629
Numerus primus. De Detractione..... 629
Punctum primum. De notione et speciebus Detractionis..... 629
Punctum II. De Detractionis illicitate..... 631
Numerus II. De Contumelia..... 638
§ III. *De Judicio temerario, et Violatione secreti*..... 641
Numerus primus. De Judicio temerario..... 641
Numerus II. De Peccato Violationis secreti proximi..... 646
Articulus III. De Nono et Decimo Decalogi præcepto..... 650

TRACTATUS

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ

OBJECTUM, UTILITAS, DIVISIO TRACTATUS..... 651
Articulus primus. De sanctificatione Festorum..... 652
Articulus II. De præcepto Jejunandi certis diebus..... 656
§ I. *De notione et præcepto Jejunii*..... 656
§ II. *De modo Jejunandi*..... 661
Numerus primus. De unica Refectione, et de Collatione..... 661
Punctum primum. De unica Refectione..... 661
Punctum II. De Collatione..... 667
Numerus II. De hora Refectionis et Collationis..... 670
Numerus III. De abstinentia carnis in Jejunio..... 672
§ III. *De causis a Jejunio excusantibus*..... 675
Articulus III. De præcepto Abstinentiæ..... 679

TRACTATUS

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

OBJECTUM UTILITAS, DIVISIO TRACTATUS..... 681
Articulus primus. De Virtutibus Justitiæ annexis..... 681
Articulus II. De Prudentia..... 685
Articulus III. De Fortitudine..... 689
Articulus IV. De Temperantia..... 693
§ I. *De Temperantia stricte sumpta*..... 694
§ II. *De virtutibus Temperantiæ annexis*..... 696
Numerus primus. De Temperantia circa motus animi internos... 697
Numerus II. De Temperantia in motibus externis et in rebus ad apparatum spectantibus, seu de Modestia morum et cultus.... 703

FINIS TOMI QUINTI.

Tolosæ, Typis DOULADOURE-PRIVAT, via Saint-Rome, 39. — 7592

250.8
B697

Bonal, A.

Theol. moralis

Vol. 2

DATE	ISSUED TO

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
1962

Property of

CBF

Please return to

Graduate Theological

Union Library